277
42803

# LAVRENTII PIGNORII PATAVINI DE SERVIS.

## Et eorum apud veteres miniſterijs COMMENTARIVS.

*In hac Ultima Editione pro rerum diverſitate diſcretus in capita additis Titulis denotata.*

ACCESSIT

SYMBOLARUM EPISTOLICARUM LIBER



BONONIÆ. EX CONGR. ORAT. S. PHILIPPI NERII

PATAVIJ, M. DC. XCIIII.

Typis Petri Mariæ Frambotti. *Superiorum permiſſu.*

# V. C.
# JOANNI ANTONIO
# LEONICO
# ATHESTINO
## I. V. D.

Petrus Maria Frambottus
F.

*PEtyſti non ſemel à me Pignorij commentarium De Servis, & Epiſtolas Symbolicas. Nequicquàm quæſitum utrumque librum luce redonare volui meis typis, ut tuo deſiderio, & Auctoris merito paria facerem. Tum hic, tum in Germania olim impreſſum, tam avidè ubique gentium exceptum eſt, ut nulla uſque adhuc editio commune votum expleverit. Quamobrem & tibi, & tui ſimilibus probatum iri ſpero conſilium meum, augente*

*ſpem*

*ſpem ſectione libri in capita, qua legentium commodo conſuluimus in hac noſtra Editione.*

*Quod verò tuum Nomen eius fronti præſcripſerim, id tuæ in me benevolentiæ tribuendum, cui æquas vices ſola poſſum nominis proffeſſione rependere. Amori tuo reſpondentem omnes intelligent, qui norint, non alia mente à me editum, tibique inſcriptum librum, quam ut tuis ſtudijs gratificarer, meamque addictionem duraturæ famæ traderem.*

*Æqui bonique facient dedicationis meæ rationem Viri docti, quibus non incompertum quantum decoris acceſſerit litteris à Maioribus tuis. Gaſpar Ventura Leonicus Canonicus Atheſtinus, Sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ à conſilijs, & Metheororum in Gymnaſio Patavino Profeſſor, ſpectatæ fidei, & Doctrinæ Famâ ad memoriam poſteritatis inſignis, cum laudis incremento retulit ſuis, tuiſque gentilibus, antiquiores Leonicos, celebratos tum medica ſcientia apud Polonos, tum editis libris, quà ſidus currit utrumque.*

*Eorum laureolas, tuis additas præſeferet mea editio, cuius frons tui nominis honore fuerit decorata. Indè meæ erga te obſervantiæ, meo erga Litteratos ſtudio, meoque operi, publicam lucem, & gratiam unà comparavero. Vale.*

# LECTORI S.

COmmentarium Lector, quem nunc primum, grandiuſculum iam, nec omnino implumem, evolare patior de nidulo, ſuo, ſuiſſe compreſſum mihi ſupra nonum annum, ſciunt pleriq; amicorum, qui argumento olim delectati, & amori nimis indulgentes, iam urgere non deſtiterunt, ut perficerem porro quod inchoaveram. Monebant, autem, è re tum mea tum aliorum eſſe, diligenter & accuratè tractari, quę non exiguam portionem antiquitatis, ut ipſi quidem profitebantur, illuſtratum irent. Neq; verò mihi propoſitum eſt hac prętatione, aut excuſare quod ſecus, aut prędicare quod ſedulò fecerim. Delegabo nimirum hoc arbitrium aliis, ut diſpiciant an conſtiterim intra conatum, an excurrerim longius. Quæ tractanda mihi ſumpſi, dubio procul ex obvia paſſim vetuſtate ſunt, quam qui non novit, ille verò puer dici iure merito poteſt. Romanam, Græcam, atque adeò barbaram hiſtoriam qui primoribus labris deguſtarunt, ſciunt nullum ferè auctorem reperiri, in quo non de Servis, & eorum miniſteriis, ſermo habeatur. Poetę, Grammatici, Oratores, Iuriſconſulti, graviorum doctrinarum profeſſores, Theologi ipſi, hæc ideo attigerunt, quia uſus poſcebat, & quia privatim, &

publicè ingenuos omnes, domos & earum ſingulas partes, vicos, regiones, opera publica, publicas voluptates, templa, fora, baſilicas, curias, collegia, negociationes, artificia, totas urbes, rura univerſa, orbem denique Romanum, nec non & circumfuſam barbariam, hoc genus hominum perpetuo agmine obſederat. Et quamvis nuſquam gentium, ut ſcripſit [a] Anaxandrides, civitas Servorum exſtaret, ius tamen belli, & turpis hic quæſtus, delicatorum hominum intemperantię innixus, adeò reſerſerant omnia, ut liberorum capitum ſolitudo, ſervilibus copiis arte & conſilio occultanda videretur. [b] Seneca: *in Senatu dicta eſt aliquando ſententia, ut Servos à liberis cultus diſtingueret, deinde apparuit quantum periculum immineret, ſi ſervi noſtri numerare nos cœpiſſent*. Nimirum hoc erat curare, ut dominorum hoſtes (ita vulgo audiebant ſervi) agnoſcerent vires ſuas, & armis arreptis, turbarent omnia miſcerentque. De [c] Euno Athenioneque legimus, ut Siciliam vaſtarint, ut Prætores exuerint caſtris, ut inſignia Regia arripuerint. Neque hæc mirabitur, qui norit (ut de ergaſtulis nihil dicamus) urbana & ruſtica mancipia inexhauſtam materiam bello præbere potuiſſe. Iure namque ſcripſit Seneca, ad paſcendam ſervorum turbam, traſmarinarum regionum fuiſſe optandam fertilitatem: neque ſinxit ſupra fidem Petronius, Emolpi familiam tam magnam per agros Numidiæ ſparſam fuiſſe, ut poſſet vel Carthaginem capere; [f] Plinius ipſe teſtatus eſt, in domos mancipiorum legiones, & turbam externam ita coniectam, ut ſervorum cauſa nomenclator ipſi domino habendus eſſet. Pervulgata ſunt illa, T. [g] Minucio

[a] Apud Athenæum lib. 6.

[b] lib. 1. de clementia n. 24.

[c] d Dicris Sic. excerpta lib. 34. & 36.

[e] Ep. 17.

[f] lib. 33. c. 2.

[g] Excerpta Diodori lib. 36.

equi-

equiti Romano quadringentos ſervos fuiſſe; totidem ceſſiſſe filijs ſuis [a] Pudentillam matronam provincialem; [b] Proculum arrepto imperio armaſſe eorundem duo millia; C. [c] Cæcilium. C. L. Iſidorum reliquiſſe ſupra quattuor millias; M. [d] Craſſum maximam ſuorum turbam domi aluiſſe; [e] Demetrio Pompeiano, numerum quotidie ſervorum velut Imperatori exercitus referri ſolitum; ab [f] Hermete præfecto urbis eodemque martyre, mille ducentos quinquaginta manumiſſos fuiſſe die Sancto Paſchatis. Hæc inquam ſunt pervulgata, & nota ſatis. Quæ ſubiungemus genitiora erunt fortaſſe, neq; ideo tamen incredibilia, ſeu falſo memoriæ prodita. Ab [g] Ovinio videlicet Gallicano martyre clariſſimo, quinque millia ſervorum libertate fuiſſe donata, octo millia à [h] Melania iuniores; & quod mirandum noſtris moribus valde ſit, duodecim millia puerorum [i] Beliſarium habuiſſe. Quæ ſane faciunt, ut credam, non augendæ rei gratia, ſed plane pro veritate, legi in [k] Actis Iuliani martyris: *hec dicente Præſide, advenit mater eius cum innumerabili familia utriuſque ſexus*, Iam verò illa [l] Ariſtotelica vix fidem invenient apud pleroſq; noſtrorum, qui vetera è præſentibus metiuntur. in Aegina Inſula, & illa quidem ſatis anguſta, nec admodum magni [m] ambitus, quadringenta ſeptuaginta millia ſervilium capitum fuiſſe; ut etiam illa Cteſiclis, Athenis in cenſu Demetrii Phalerei, quadringenta millia ſervorum fuiſſe recenſita. Italiam ſane noſtram his omnibus anteferre, hac etiam inparte certum eſt; ſedem nimirum, & domicilium Imperii auguſtiſſimi, quod oppreſſit ſui maieſtate quidquid uſpium olim mirum fuit. Ideoq; non imme-

*a Appul. Apol. 2.*
*b Spartianus.*
*c Plinius lib. 33. c. 10.*
*d Plutarchus.*
*e Seneca de Tranquill. cap. 8.*
*f Surius To. 3.*
*g Terentianus in Actis SS. Ioh. & Pauli.*
*h Palladius.*
*i Aimonius & Regino apud Lipſium.*
*k apud Sur. To. primo.*
*l Athenæus lib. 6.*
*m ſtadior. clv ex Strab. lib. 8*

rito *MARTINVS SANDELLIVS* politiſſimus ami-cus noſter, Rempublicam & Imperium quæ Romæ viguerunt, humanę magnitudinis finientes vel horizontas appellare ſolitus eſt. Confirmatur autem ſententia hæc noſtra [a] Pliniano encomio. *Ergo in toto orbe, & in quacunque parte cœli convexitas vergit, pulcherrima eſt omnium, rebus meritoque principatum naturæ obtinens, Italia, rectrix parenſque mundi altera, viris, fœminis, ducibus, militibus, SERVITIIS, artium præſtantia, ingeniorum claritatibus &c.* huc pertinent illa D. [b] Hieronymi, labente iam & inclinato pæne Imperio ſcripta: *quis crederet, ut totius orbis extructa victorijs Roma corrueret? ut ipſa ſuis populis & mater fieret & ſepulcrum? ut tota ORIENTIS, ÆGYPTI, AFRICÆ littora, olim dominatricis urbis SERVORUM & ANCILLARUM numero complerentur?* Quod ſi Romæ [c] Libertini, qui è ſervili ſegete manipuli aliquot fuerunt, non unam aut alteram tribum, ſed tres & quatuor occuparunt ſi ibidem [d] legibus latis manumiſſiones cohibitæ ſunt, ne Rempublicam peſſundarent illi, quos domini quotidie, ſervos eſſe non patiebantur, quid tandem ſervorum dicemus Romæ fuiſſe? quid in Italia univerſa? quid in univerſo Imperio? hinc profecto effluxerunt non minus veri quam familiares auctoribus hæc explicandi modi, miniſter *POPULUS*, longus *ORDO*, *GREX*, *AGMEN*, *NUMERUS*, *COHORS*, & *LEGIO* ſervorum. [e] Romæ autem antiquitus, cum integra eſſet, valeretque recte publicæ re dignitas & maieſtas, paucis admodum [f] ſervis contenti erant. At poſt everſas [f] Carthaginem & Corinthum, cum vitia facto agmine in urbem

a lib ult. c. ult.
b Epiſt. ad Euſtachium.
c Sigonius de antiquo iure lib. 2. cap. 14.
d Inſtitution. lib. 1. Tit. 6. & 7.
e Val. Max. li. 4. cap. 1.
Ab henaus li. 6
f Strabo lib 14. apud quem

urbem victricem influxiſſent, & privata luxuria publicam magnificentiam concutere cœpiſſet, tunc irrupit vis & multitudo ſervorum, qui rei familiaris animata inſtrumenta, & oculi, aures, manus, pedes, omnia denique dominorum eſſent. Iam verò miniſteria eorundem adeò diſtincta & peculiaria fuerunt, ut non ab re ſcriptum exſtet apud iuniorem [a] Plinium, Servis Rempublicam quandam & quaſi civitem, domum eſſe. Et hæc certè omnia noſtri ordinis hominibus hactenus ita deſpecta fuerunt, ut pudeat me plerunque delicatum illud dominorum faſtidium in ſervos non cum ipſa vetuſtate conſenuiſſe. At hæc minuta ſunt (inquiunt) præ Militia, Triumpho, Comitiis, Ludis. Demus eſſe, & ſanè ſint. At minuta quædam etiam parum utilia ut Myrmecidis Quadrigæ, & Formicæ neſcio cuius Callicratis nonne ſuos amatores invenerunt? Me autem addictum ex vitæ inſtituto ſtudijs ſacris, non uſquequaque dedecebat hæc pertractare. Ex his enim copiis, quot cœlo recepti liberalem animum geſtarunt in ſervili corpore? Referti ſunt prædicandis horum nominibus ſacri Faſti, in quibus tyranni calcati, cupiditatum lenocinia deſpecta, vitiorum illecebræ inſuper habitæ, opum ingeſtarum contemptus inſignis, ſpecioſis & veris elogiis immortalitati commendantur. Nimirum in his Apoſtolicæ voces, celebres illæ & decantatæ, mirum in modum enituerunt; [a] οὐ γάρ ἐστι προσωποληψία παρὰ τῷ Θεῷ. Quid? quod *CHRISTVS* dominus ſermones ſuos ſervilibus miniſteriis implevit? ut videlicet ad deſpectum noſtri nos informaret, ut obſequium doceret ut oſtenderet è re noſtra eſſe, id demum

*numerus venalium in emporio Deliaco expoſitorum, ad paradoxon videtur accedere.*

*a lib. 8 ep. 16.*
*Seneca epiſt. 47.*

*a D. Paulus.*

mum velle, id nolle non quod liberet, ſed quod expediret. Horum ego omnium tenuem deſcriptionem ſcriptis hiſce meis complexus ſum, non ut gloriolam aliquam aucuparer, ſed ut pleraque mihi ſparſim adnotata, in unum veluti corpus redigerem, tironibus noſtris (ſi non veteranis) uſui aliquando futura. Et verò mihi ſatis ſuperque erit functum eſſe indicis partibus, & alicui monſtraſſe feracem olim agrum, nunc verò ceſſantem, qui impenſam coloni laboremque magno poſſit fœtu remunerari. Hanc etenim Ilotarum noſtrorum Spartam, quiſquis è prima philologorum nobilitate non aſpernatus fuerit, næ ille operam non ludet, tum quia Latinæ linguæ & nobiliſſimis ſcriptoribus afferet lucis non parum; tum quia excitabit alios ad huiuſmodi laudatæ conſcriptionis genus perſequendum, quo mores & inſtituta veterum magno cum fructu, nec minore cum temporis compendio in conſpectu habemus. Deſinere hîc eſt animus; neque diutius tuam mi Lector patientiam in hoc veſtibulo fatigare. At percurre queſo hęc pauca, & quidem excepta è Phœbi cortina Quidquid ego in hunc meum commentarium retuli, illud omne annotatum, diſpoſitum explicatum meâ operâ eſt. Evoluti mihi ſunt boni ſcriptores non pauci, & plures fortaſſe, quàm rationes ocij mei patiebantur. Inſpicere omnes neq; potui, neque ſane volui: tantum abeſt, ut me adeò lynceum præſtare auſim, ut perviderim omnia. Quid tum? inquies. hoc unum, quod velo neſcius ne ſis, me non ideo compilaſſe ſcrinia aliorum, quod alij alibi hæc & his ſimilia notaverint. Quid enim? num furti aut plagij damnabimus illam apem, quæ in

prato

prato patente, florem hodie inſederit, libatum heri & nudiuſtertius uni aut alteri comitum ſuarum? Num ideo pagani minacibus edictis arcendi ſunt ab aquatione, quod maiores eorum, iam inde ab extructo pago, de unico & perenni fonte hauſerint? Non opinor. At quod his ultro damus, demus & nobis non inviti. Communem & nos (ut eſt in vetere parœmia) Mercurium habemus. eoſdem auctores volutamus. ex iiſdem ſeligimus, & colligimus ſinguli. novos & adulterinos mihi conflare aut cudere conſilium non fuit, & virgula divina ad manum haud erat, quę defoſſos & latentes erueret. edere autem, quæ acumen fugerint hactenus criticorum noſtrorum, paucis admodum contingit, in tanta præſertim eruditorum hominum copia, quæ hoc noſtro ævo facit, ut nihil ſemel dicatur, quod non prius, ter, & amplius dictum ſit. Hæc, neque admodum multa, Lector habebis, quæ proponas illis, qui ut putentur ſapere, cœlum vituperant. Tu benè vale, & conatui noſtro fave.

# BREVIARIVM OPERIS.

# PRÆLUDIA.

SErvorum *multitudo apud veteres Præf. & 246. in Aegina inſula, Athenis & alibi, in Italia, & Romæ. Præf. Romæ quando. Præf. Servi quo tempore eſſe deſierint. 189. Servorum miniſteria diſtincta. Pref.*

ſervitii *nomen vetuſtiſſimum. 1. origo antiquiſſima 2. duplex ratio 1. 2. Legibus & conſtitutionibus Principum ampliati. 3. Servorum, & mancipiorum etymon. 1. 2. Servitutis conditio iniqua. 3. 4. 5. Servilia ſupplicia. 5. 6. 7. 8. 9. eadem quæ martyrum noſtrorum. ibid.*

fugitivi, *& fugitivarij qui conquirerent. 9. 10. 11. 12. 13. Præconium. Libellus. preces Veſtalium. 10 milites ſtationarij. 11. Aſylum, ſtatua, ara, perfugium fugitivis. ibid. fugæ cognitio ad quem ſpectaret. 11. 12. 13. ſtigmata fugitivorum. 13. 14. in fronte, & quibus notis 14. 15. Collaria inſcripta. Lamellæ inſcriptæ. 15. 16. fugitivi dati ad beſtias, in ludum, & cruci affixi. 17. 18*

ſervorum *omnia dominorum omnia. Filij etiam & caritates. 18. 19. Ipſi pignori dati, addicti, & cenſit 19. 20. horum nomina collectiva aliquot.*

familia, *famulitium, grex. 20. puer, pueri, pædagogium, pædagogia 21. 22. ſervitium, ſervitia, homines, ibid. vernæ, vernaculi. 22. 23. 24. Catalla, & mangonum fraudes. 24. 25. 26. 171. vernula, vernalis. verniliter. 26. 27. comati, criniti, capillati. 28. 224. ſervorum frequentes quædam appellationes in ſcriptis I Ctum 27. Servi publici. Limocincti. 27. 28. 29. Aquarij, & eorum munera. 29. 31. 32.*

nationes & *nomina propria ſervorum. 31. 32. cognomina eorundem. 33.*

## FAMILIA VRBANA.

Servi urbani *qui 33. 34. medici, chirurgi, & ocularij. 34. clinici, chirurgi, & ocularij ſimul. 35. clinici qui. 36. diſſectores cadaverum. pollinctores, ſuccollatores, uſtores. 35. 36. orcini & pileati. 37. princeps medicorum ſuperpoſitus medicorum; medicæ & tractatrices. 37. Iatraliptæ, aliptæ, unctores, mediaſtini. 38. 39. curatores ægrorum, & amentium. 38.*

balneatores, *39. pueri unguentarij. 40. 41. alipilarij, alipili, mulieres unctrices.*

ces.

*ces.* 41. *tonſores.* 42. *tonſtrices* 43.
oſtiarij, *& coqui. archimagiri & ſupra coquos.* 44 *piſtores, dulciarij, lactarij:* 45. 46. *placentarij, pomarij, focarij, venatores, aucupes.* 46. *promi, penuiarij, condi-promi, procuratores peni. ancillæ penuariæ,* 47.
miniſtri *convivales, qui propriè miniſtri, & miniſteria.* 47. 48. *miniſtri, & miniſteria latè accepta. ibid. miniſteriales.* 49. 62.
obſonatores, *invitatores, vocatores, nomenclatores, calatores.* 53. 54. *indices horarij.* 65. *tricliniarcha, qui & ſummus miniſter.* 54 *ab aquimanili & polubro. ibid. Infertores epularum & luminum. Lectiſterniatores* 54. 55. 56. 57. *menſarum deterſores.* 56.
ſtructor. 56. 57. *ſciſſor & carptor.* 54. 58. *diribitores panarij.* 50. 59.
præguſtatores, *papates.* 59. *argento & auro præpoſiti.* 60. *ab auro gemmato.* 61. *ab argento potorio, ab argento ſcænico, vaſorum deterſores. ibid.*
miniſtratores. 61. 62. *pueri ad cyathum & vinum, pocillatores, ad cyathos, ſcantiones, à lagena ſeu laguna.* 62. 63. *miniſtri aquę calidę & gelidę, muſcarum abactores. ibid.*
à matella. 63. *pueri ad pedes; à pedibus; & circumpedes.* 65. 66.
ſymphoniaci, *& acroamata.* 73. *aretalogi; ſymphoniaci in navi.* 74. 75. *chorus, choraulæ, cytharœdi.* 75. *prępoſitus à fiblis Cęſarianus.* 75. 76. 77. 78. *mulieres cythariſtriæ.* 78. 79.
tibicinæ, *tibicines, fidicines, fiſtulatores, ſambucinæ, crotaliſtriæ.* 80. 81. *cymbaliſtriæ.* 83. 93. *tympaniſtriæ.* 88.
organici, *hydraulę*; organarij. 88. 89 *alij ſervi de triclinio docti ſymphoniam.* 90. *puellæ in miniſterio, nuditate, cantu, ſaltatione.* 91. 92.
comœdi, *& hiſtriones.* 92. 93. 102. *moriones* 93. 94. *nani, nanæ, ſcurræ.* 94. 95. *ſuffitores* 96. 97. *gladiatores in convivio. ibid.*
mediaſtini, *ſcoparij, lecticarij pro ſcoparijs.* 97. 94. *ſputiſmatum deterſores, & reliquiarum abiectarum collectores.* 99.
miniſtrorum *numerus, geruli.* 99. 100. 101. 102.
ſupellecticarij. *cælatores, vaſcularij, argentarij, & à Corinthiis.* 103. 104. 105. *veſtiarij, veſtifici, veſtiſpici veſtitores* 105. 160. *ianitores, & clavicularij.* 108.
à bibliothecis *à ſtudis, anagnoſtæ, à manu, ſcriptores, notarii.* 108. 109. 110. *librarij, antiquarij, tabellarij* 113. *ſcribę, bibliopolę, librarię.* 114. *glutinatores.* 115. *pumicatores, malleatores, ornatores, miniculatores.* 116.
grammatici, *pædagogi, magiſtri, præceptores.* 116. 117. *capſarii.* 119.
armigeri. 119. *à pugione, à cuſtodia armorum, caculę. calones.* 120. *clavatores, galearii, lixæ.* 121.
anteambulones. 121. 122. *pediſſequi officium, ſalutatores.* 124. 125.
adverſitores, *accerſitores, comites.* 127. *geruli lychnorum, funalium, laternarum, lampadarum &c.* 128. 129. *monitores varii. ibid.*
lecticarii. 130. *cathedrarii & cathedralicii.* 136. 210.
nomen-

nomenclatores *publici, & privati, monitores & fartores.* 138. 139. 140. *præcones, & buccinatores.* 139. 140.
curſores. 141. 142. *Mauri & Aethiopes.* 144. *machærophori.* 145.
tabellarii. 145. *tabularij Cæſariani.* 147. *qui dominum rus, vel peregre abeuntem comitabantur.* 147. 148.
actores, *maiores domus.* 148. *adiutores actoris.* 149. *à calendario.* 150. *diſpenſatores & prorogatores.* 150. 151. *à frumento.* 153. *ab ephemeride* 154. 155. *teſſerarij. ibid.*
arcarii. 154. *à loculis, à crumena, à marſupio* 155. *procuratores privati & palatini.* 167. 168. *à pignoribus, à pecuniis, à menſa ibid. exactores, procurator Cæſaris* 161. 162. *rationalis.* 163.
ratiocinator *& à rationibus.* 163. 164. *calculator.* 164. 165.
negotiatores, *ſarcinatores, ſarcinatrices.* 169. *navi præpoſiti, venalicarii & venalicii* 176. *inſtitores varii.* 171. 172. *circitores.* 172. 173. *ancillæ negociationi præpoſitæ.* 214.
artifices. 173. *gladiatores, agitatores, funambuli, paleſtritæ.* 173. 174. *magici pueri.* 174. 175. *pictores, cælatores.* 175.
fullones, *textores, phrygiones, ſutores, cerdones.* 176. *ſolearii, ſandaliarii, ſutores caligarii,* 177.
dominarum *famulitium.* 177. 178. *eunuchi.* 178. 177. 178. 179. 180. 181. 182. 183. *ancillæ.* 184. *eædem à cubili. ibid. præpoſitus & primicerius* 177. 179. *ſilentiarii.* 150. 181. *papat. s.* 181. *aquarii, aquarioli, baccariones. ibid.*
obſtetrices, *adſtetrices, nutrices, gerulæ, nutritores, nutricii, baiuli, cunarii, educatores.* 185. 186. *tata, mamma.* 187. *alumnus, collactaneus colactius, collacteus.* 188. 189.
à cura catellæ *mulier, item ab argento potorio.* 190.
coſmetæ, *ornatrices, ornatores.* 191. 192. 193. 194. *cinerarii & ciniflones.* 194. 195.
veſtiplicæ, *veſtiſpicæ, veſtifici veſtificæ.* 202. *veſtiariæ.* 203 *textrices lanipendiæ, lanificæ,* 203. 204. 205.
ancillulæ, *flabelliferæ, umbelliferæ, ſandaligerulæ, anteambulatrices, pediſſequæ* 205. 206. *comites varii.* 207. *ſalutigeruli, internuncii.* 208.
muliones, *baſternarii, carrucarii, ciſiarii, lecticarii, rhedarii, iunctores.* 208. 209. 210. 211. 213. *pueri cathedralicii.* 210. 211.
oſtiarii. 214. 215. 216. 217. 219. *excubiæ, cuſtodes.* 215. 216. 232. *ianitores & ianitrices.* 218. 219. 220. *ſervi à Iano.* 220.
atrienſes, *atriarii.* 221. 222. *ab atrio curando* 224. *officinatur à ſtatuis, magiſter ab marmoribus.* 225.
admiſſionales. 225. *magiſter admiſſionum, proximus admiſſionum.* 226. *adiutor magiſtri.* 227. *ſervi velarii.* 227. 228.
cubicularii, *præpoſitus cubiculo, ſupra cubicularios.* 231. 232. 233. *cuſtodes cubiculares &c.* 235.

diæ.

diætarii, & zetarii. 235. 236. 238. *diætarchi*. 238. 239.
hortulani. 239. 240. *villici & procuratores hortorum. ibid. ſubuillici*. 241. *viridarii & aquarii*. 241. 242. 243. *topiarii*. 243. 244.
inſularii & *cuſtodes*. 244. 245. 246.

# FAMILIA RVSTICA.

Servi ruſtici *numero & ordine nobiles*. 246. 247.
atrienſes *ruſtici*. 248.
piſtores & *piſtrices*. 248. *mulieres de coquina, ibid.*
focariæ, *focarii, cenarii, cellerari, promi*. 249.
operarii. 249. *coloni, lanificæ, laniæ, textores*. 250. 251. *foſſores, ergaſtuli, ergaſtularii*. 251. 252. 253. 254. 255. 256. *figuli*. 258. 259. *fornacarius. ibid.*
arator, *iugarius bubulcus, bubſequa, tonſores ovium opiliones, oviliones, caprarii, virvicarii, equiſones, equorum magiſtri, agaſones, cuſtodes equorum, equitii, gregarii*. 259.
ſuperiumentarii, *aſinarii, agitatores, muliones, ſubulci, porculatores, porcarii*. 260. *paſtores, pecori præfecti, pecoris magiſtri, cuſtodes armenti, armentorum paſtores*. 261.
villicus, *epirtopos, vicedominus*. 261. 262. *villica*. 262. 263. *monitor, diſpenſator, procurator*. 263. 264. *à mercedibus præſtandis, actores*. 264. *exactores ruſtici, & operum dominicorum*. 165.
olivitores, *capulatores, leguli, ſtrictores, factores, cuſtodes torcularium, prælatores, ſervi doliarii*. 265. *vinitores*. 266. *vindemiatores, putator, frondator, legulus, ſalictarius*. 267. *fœniſector*. 267. 268. *olitor, fornacarius, panicoctariæ*. 268.
piſcatores. 268. 269. *gallinarius, aviarius, curatores, & paſtores*. 269. *aviarius altiliarius, fartor*. 270.
aucupes. 269. 271. *venatores, luparii, manſuetarii*, 271. *urſarii, veſtigatores, indagatores*. 272.
fabri, *architecti*. 272. *ſtructores, ferrarii, tignarii, fabri carpentarii, ad quaelum, & calcem*.
cuſtodes *villæ mulieres, ſaltuarii, ianitores, &c*. 274.

# INDEX
# CAPITVM

Cap. I. De nomine origine, & antiquitate ſervorum, & mancipiorum. pag. 1
Cap. II. De iniqua conditione & ſupplicijs ſervorum. 4
Cap. III. De inquiſitione, asylo, ſtigmatibus, & pœnis Fugitivorum. 9
Cap. IV. Quenam complecteretur ius Dominorum in Servos. 18
Cap. V. De diverſis appellationibus Servorum eorumque cauſis. 20
Cap. VI. De Servis privatis, ut primò de Viris, & mulieribus, varia medicorum munera exercentibus. 35
Cap. VII. De Viris, Pueris, & mulieribus, in balneo miniſtrantibus. 39
Cap. VIII. De Coquis, & Piſtoribus. 44
Cap. IX. De Miniſtris Convivij. 48
Cap. X. De Symphoniacis. 73
Cap. XI. De Tibicinibus, & Organicis, eorumque varijs Inſtrumentis, & generibus. 80
Cap. XII. De Comædijs, Iſtrionibus, & Gladiatoribus in convivium inductis. 92
Cap. XIII. De Mediaſtinis, & numero ſervorum convivalium. 97
Cap. XIV. De Servis ſuperlecticarijs, Ianitoribus, & clavicularijs. 103
Cap. XV. De mancipijs ad uſum ſtudiorum. 108
Cap. XVI. De Hijs qui extra domeſticos parietes Dominum, aut pracedebant, aut ſequebantur. 119
Cap. XVII. De Tabellarijs, & Tabullarijs. 145
Cap. XVIII. De actoribus, & Procuratoribus rei dominicæ. 148
Cap. XIX. De Negociatoribus, & Artificibus. 169
Cap. XX. De Famulitio dominarum, 178
Cap. XXI. De Servio ab aliqua ædium parte nomen habentibus. 214
Cap. XXII. De Diætarijs. 235
Cap. XXIII. De Ortulanis, & Aquarijs. 239
Cap. XXIV. De Inſularijs. 244
Cap. VIt. De Familia Ruſtica. 246

LAV-

# LAVRENTII PIGNORII VITA
## Iacobo Philippo Tomaſino auctore.

LAurentius Pignorius Presbyter Patauij ortus eſt Anno M D LXXI. die duodecima Menſis Octobris, hora XIX. ſupra dimidiam, Antonio patre. Liberalibus ſtudijs ab ineunte ætate delectatus, præceptores habuit præclaros, & in primis ex Societate Ieſu Patauij tum docentes; & humaniores literas quidem hauſit ex ore Benedicti de Benedictis, quem poſtea vidimus Epiſcopum Caprularum; & Candidi Æmiliarii; Dialecticam, & Philoſophiam tradente Io. Baptiſta Scortia Genuenſe, cuius extant libri duo *de natura, & incremento Nili*; & Hieronymo Dandino Ceſenate, cuius labor eſt Liber *de Corpore animato*.

Hinc ad Franciſcum Picolomineum, ac Iacobum Zabarellam, publicos eiuſdem Facultatis Interpretes in Academia publica Patauina audiendos tranſiit, quos & ſedulò auſcultauit. Philoſophiæ ſpatia emenſum amœna literarum, & antiquitatis ſtudia ad ſe totum traxerunt: atque exhortante patre, ad Iuriſprudentiam amplexandam non inuitus acceſſit, & Legum illius æui Coryphæos ſectatus eſt, Guidum Panicirolum, Angelum Mattheacium, Ottonellum Diſcalcium, & Marcum Antonium Ottelium. Horum ex ſcholis quidquid ad Iuris cognitionem pertinet celerrimè domum ſuam tranſtulit. Ex Doctorum quoque Virorum colloquiis, Iuriſprudentiæ, & rerum priſcarum notitia ſenſim in eo ſuccreuit; quarum ita poſtea dulcedine perfuſus eſt, ut illi ſe totum addixerit.

Cœlibatum perpetuò coluit, candidiſſimis moribus ornatus; & cum eccleſiaſticæ vitæ normam plurimùm adamaret, ſacris ordinibus initiatus eſt Anno M. DC.II. Marci Cornelii Epiſcopi Patauini manu. Is enim iuuenis indole, dotibus, & eruditione captus, eum ſibi adeſſe voluit à ſecretis. Deductus eſt ab eodem Romam Anno M. DC. V. ubi biennio hæſit, & otium ſuum omne, quà in priſcorum monumentis, & venerandæ antiquitatis reliquiis perluſtrandis, quà veteribus libris inter ſe conferendis inſumpſit. Hæc illius ſola & vnica voluptas erat; tantumque labore iſto erudito profecit, quantum eius libri Romana undequaque eruditione referti docent, & elogia, quibus à viris doctis cum noſtris tum exteris cumulatur.

Romæ degens hiſce potiſſimùm Viris omni doctrinæ genere clariſſimis innotuit, Angelo Roccæ, Epiſcopo Tagaſti, Scipioni Cobellucio, qui

Cardinalitia purpura decoratus,non eum dilexit tantum, ſed & inter ſuos habere cupiit; quamobrem ei libros duos, *de Seruis* vnum; *de Patauinis Originibus* alterũ inſcripſit; Cæſari itẽ Baronio doctiſſimo S.R.E. Cardinali, cui dicauit *Menſam Iſiacam*; & Ioſepho Caſtillioneo I. C. præclaro; à quo ad Aulam quoque Pauli V. Sum. Pont. ſummis plerumque conatibus accitus eſt; aliiſq; multis nobilitate,& eruditione conſpicuis; qui omnes eius famæ fauentes,ingenium ſimul eiuſdem exoſculati ſunt. Patauium inde rediit, vbi primum domeſticis rebus implicitus, à ſacris demum Virginibus D. Stephani datus eſt Rector Eccleſiæ Parochiali D. Laurentij, Abbatiſſa Magdalena Vercelleſia.

Hoc in onere luculentũ adeò ſpecimẽ ſedulitatis,& virtutis dedit,vt nõ ſolum Eccleſiæ ſibi cõmiſſæ prouinciam adminiſtrarit egregiè;ſed etiam Epiſcopi iuſſu, ſacrarum earundem Virginum confeſſiones exceperit poſt eandem operam nauatam Virginibus D. Claræ,magna cum laude. Quidquid inde verò nanciſci poterat otii, id omne literarum ſtudijs,ſuis amoribus ac delitiis impendebat; in quo vigilijs aſſiduis noctes ducebat, ut cum omnis Hiſtoriæ; tum patriæ ſuæ monumenta, & ornamenta luſtraret, & in commentaria quæque referret ſuis temporibus euulganda. Pluribus annis hoc illi onus dulce, ac iucundum fuit. Clericatu quoque S. Clementis ab eiſdem Veſtalibus decoratus eſt. Oblatam ſibi Lecturam Humaniorum Literarum & Eloquentiæ in Piſano Gymnaſio à Magno Etruriæ Duce per Galileum Mathematicum inſignem renuit quietis & patriæ ſuæ ſtudio; cuius ergò animo planè ingenuo talia plura vitauit.

Proceræ ſtaturæ Vir, coloris albi, oculis quoque albis,ſed fulgentibus nitet; grauis incedit, ac ferè cogitabundus; ceterum amabilis,placidus, pius, nec aſſentiri facilis cuiuslibet dictis. Varia Patauinæ Ciuitatis monumenta e latebris eruit;nec acquieuit omnibus à Scardeonio allatis.Ea re totius antiquitatis indagator accerrimus,& in veterum Numiſmatibus interpretandis oculatiſſimus, Oraculũ veluti Delphicum ſemper eſt habitus. In heroico carmine vera Muſarum & Apollinis proles audit;quibus dictantibus plurima cecinit.Elogiographus egregius etiam paſſim ab omnibus ſalutatur.Has ob dotes gratia tum ciuium,tum exterorum floret maxima; Purpuratis quoque Patribus Venetis, & Romanis carus. Commendat illum in primis ubertas ſcribendi mira,cui nulla ferè par alibi hac ætate. Quanti porrò amicos ille ſuos faciat, eiuſdem docent Epiſtolarum Symbolicarũ libri; quibus eoſdem immortalitate donare nititur;ac licet in iiſdem epiſtolis amicorum illius recenſus appareat,non pigebit tamen horum aliquos memorare.

Ioanni cum primis Vincentio Pinello carus,quoad vixit, extitit; fuit


& eo-

& eodem tempore ſumma neceſſitudine coniunctus Marco Velſero, Paulo Aicardo, Vincentio Contareno, Franciſco Viduæ, Andreæ Mauroceno Senatori Veneto, Alnaldo Cebæ, Edmundo Brutzio, Philippo Rubenio, Iano Grutero, Hieronymo Aleandro, Iacobo Auguſto Thuauo, Gaſparibus duobus, Scioppio, & Barthio, & Antonio Quærengo, eruditiſſimis & ampliſſimis viris.

Dilexerunt & illum vnicè Iacobus Cauaccius, Hiſtoriæ Caſſinenſis Scriptor, Bernardus Bruſcus, Andreas Chioccusmedicus, Curtius Pichenas, Io. Hier. Bronzerius, Iulius Cæſar Velius, Marcus Antonius Bonciarius, Petrus Paulus Venturinus, Proſpet Alpinus, Thomæ duo, Dempſterus, & Segetus Scoti, & Ioannes Manganus. Ex ijs demum, qui nunc lucis uſura fruuntur, & literas meliores amant, eundem in delicijs habent Cl. & omnis penitioris literaturæ Vir Caſſianus à Puteo, Eques; cui nuper inſcripſit *Explicationem antiquiſſimæ Picturæ, quæ Romæ* viſitur; Ioſeph Maria Suareſius, Muſarum ocellus, Præpoſitus, & Vicegerens Auenionenſis, Ioannes Meurſius, Gerardus Ioannes Voſſius, Ericius Puteanus, I. Liſpij Succeſſor, Nicolaus Fabricius Peireſchius Regij Conſilij Aquis Sextijs Senator, Nicolaus Rigaltius, Petrus Scriuerius, Annibal Campegius I.C. Daniel Heinſius, Chriſtophorus Forſtnerus, Euerardus, & Adolphus Vorſtius, Albertinus Bariſonus Abbas, & Canonicus Patauinus, Pandectarum in publicis ſcholis interpres, Felix Oſius inibi eloquentiam docens, Gulielmus Soierus, & Ioan. Rhodius, & alij, quos omnes tua vicit humanitas Illuſtriſs. & Excellentiſs. MOLINE, qui licet literatorum omnium Mecœnas habearis, in LAVRENTIVM PIGNORIVM potiſſimùm ſic effunderis, vt eius labores inter ceteros ſtudioſiſſimè amplectaris, & orbi toti patere velis. Colitur & ab alijs ſummis, & eruditis viris Pignorius; ut indicabunt elogia, quibus ab illis ſuo merito decoratur. A varijs Academiis exoptatus, inter Recuperatos Patauij præcipuè fulſit hoc ſibi epicheremate concinnato.



Extant & eiuſdem alia Epicheremata duo; vnum Apodis, cum lemmate. *Tellurem preſſiſſe pudet.*




Alterum Tripodis, cum Elogio. *Non vno reſponſo animum deluſit.*




Dubia ſanè ſententia: ſed qua teſtari voluiſſe videtur, quod cum plurimum Aulæ operã nauaſſet, paulũ inde emolumenti hauſiſſet. Sed hæc ingeniorum infelicitas eſt, vt ipſi vix habeant quod ſatis ſibi ſit; cùm otio, & inertia torpentibus affluant omnia. Poterit ille tamen hoc anno M. DC. XXX. epicherema ſuum aliter interpretari, Taruiſinum Canonicatum liberalitate Eminentiſs. Cardinalis FRANCISCI BARBERINI filij fratris Summ. Pont. VRBANI VIII. qui patrui ſapientiſſimi veſtigiis

ſtigijs inhærens, una cum ANTONIO fratre, literarum Ocelli prædicantur ambo, Muſarumque deliciæ, & incrementa ſapientiæ pariter, ac literariæ rei, viros bonis artibus excultos iuuare, & ornare quotidie pergunt. Tali recreatus honore PIGNORIVS, felix viuit, & æternum viuat precor, patriæ ſuæ decori, & ornamento. Atq; hæc mihi ſine fuco dicta de amiciſſimo & eruditiſſimo viro; cui immortalem gloriam pepeꝛere, quæ ſubdam diuini illius ingenii monumenta. Ad hanc enim vſq; diem

*Edidit Latinè Pignorius.*

VEtuſtiſſimæ tabulę æneæ, ſacris Aegyptiorum ſimulacris cælatæ accuratam explicationem, &c. *Venetijs apud Io: Antonium Rampazetum Anno M. DC. ſumptibus Iacobi Franco; cum Priuil. in* 4.

Quæ prodijt etiam Francofurti, Typis Matthiæ Deckeri, impenſis vero Io. Theodori de Bry, & Io. Iſraelis de Bry viduæ, matris eorumdem. anno M. DC. VIII. hoc titulo.

CHARACTERES Aegyptii, hoc eſt Sacrorum, quibus Aegyptij utuntur, ſimulacrorum accurata delineatio. &c. in 4.

DE SERVIS, & eorum apud Veteres miniſteriis Commentarium, *Auguſtæ Vindelicorum, ad Inſigne Pinus. Anno M. DC. XIII. in* 4.

NOTVLAS extēporarias in Emblemata Andreæ Alciati. *Patauij apud Petrum Paulum Tozzium. Anno M. DC. XIIX.* 8. In eadem Commentaria ampliora. *Patauij apud Petrum Paulum Tozzium, Anno M. DC. XXI. in* 4.

PROSOPOPOEIAM ALDINÆ CATELLÆ *Patauij Typis Laurentii Paſquati. Anno M. DC. XXII. in f.*

Tandem ſub titulo LACRYMARVM POETICARVM IN OBITVM ALDINÆ CATELLÆ, *Pariſijs apud Nicolaū Buon M.DC.XXII. in* 8.

MAGNÆ DEVM MATRIS IDEAM, ET ATTIDIS INITIA. *Pariſijs, apud Nicolaum Buon via Iacobea, ſub ſignis SS. Claudij, & Hominis ſilueſtris. Anno M. DC. XXIII.*

Sed auctiora. 4. *Venetijs, Anno M. DC. XXIV. Sumptibus Petri Pauli Tozzi Bibliopolæ Patauini.*

CARMEN ad Vrbanum VIII. Pont. Opt. Max. *Patauij, ex Typographia Laurentij Paſquati. Anno M. DC. XXIII.* 4.

APONVM, ad Franciſcum Barberinum Card. *Patauij, ex Typographia Laurentij Paſquati. Anno M. DC. XXIII.* 4.

MISCELLAM ELOGIORVM, ADCLAMATIONVM, ADLOCVTIONVM, CONCLAMATIONVM, EPITAPHIORVM, &c. *Patauij apud Impreſſores Camerales. Anno M. DC. XXVI.*

SYMBOLARVM EPISTOLICARVM Librum: in quo nonnulla ex anti-

Antiquitatis, Iuris ciuilis, & Hiſtoriæ penu depromuntur, & illuſtrantur; multaque Auctorum loca emendantur, & explicantur. *Patauij ex Typographia Ioannes Baptiſtæ Martini, & Liuij Paſquati. Anno M.DC.XXIIX.* 8.

ET ITERVM *apud Donatum Paſquardum, & ſocios. M.DC.XXIX.*

ANTIQVISSIMÆ PICTVRÆ, quæ Romæ viſitur, Typū, ad V.N. Caſſianum à Puteo, Equitem. *Patauii apud Donatum Paſquardum M.DC.XXX.*

Recognouit, & euulgauit ELOGIA ANACHORETARVM Iacobi Cauaccij, & iiſdem Præfationem elegantiſsimam adiecit.

*Italicè.*

ANNOTATIONI, & AGGIVNTE al libro delle Imagini de gli Dei di Vicenzo Cartari. *In Padoua, appreſſo Pietro Paolo Tozzi nella Stamparia del Paſquati, l'Anno M. DC XXV. & M. DC.XXVI. in* 4.

DELLA CONSECRATIONE delle Vergini. *In Padoua, appreſſo Pietro Paolo Tozzi M.DC.XXIV in* 4.

GAREGGIAMENTO vicendeuole in lode dell'Illuſtriſsimo Signor Domenico Molino. *In Venetia l'Anno M. DC.XXIV. in* 4.

NOTITIE HISTORICHE ſopra la Gieruſalemme del Taſſo. *In Venetia, appreſſo Nicolò Miſſerini l'Anno M. DC. XXV. in* 24. *XXIIX. in* 4.

LE ORIGINI DI PADOVA. *In Padoua appreſſo Pietro Paolo Tozzi. l'Anno M. DC. XXV. in* 4.

L'ANTENORE. *In Padoua appreſſo Pietro Paolo Tozzi. l'Anno* 1625.

L'ATTESTATIONE DI GIVLIO PAOLO. *In Padoua nella ſtamparia di Pietro Paolo Tozzi l'Anno* 1620. *in* 4.

LA PRINCIPESSA delle compoſitioni sfiorate Riotta. *In Venetia appreſſo Antonio Pinelli Stampator Ducale. l'Anno* 1625. *in* 4.

LA VITA DI SANTA GIVSTINA VERGINE, ET PROTOMARTIRE PADOVANA. *In Padoua per Giouan Battiſta Martini, & Liuio Paſquati Stampatori Camerali. l'Anno* 1626. *in* 4.

Habet nondum edita, ſed perfecta, & editioni parata.

*Variorum carminum Lib.* 2.

*Symbolarum epiſtolicarum Lib.* 3.

*Sacrorum Monumentorum Librum Etruſco idiomate.*

*Riſpoſta all'Apologia del P. Angelo Portenari, della Libertà de popoli Veneti.*

Hæc illius ſunt, quibus è re mihi quoque viſum, ad indicandam eiuſdem præſtantiam, adſcribere Clariſſimorum virorum aliquot iudicia, ſiue teſtimonia, quæ ad nos peruenere; & hæc in primis è literis, in quibus ad Illuſtriſſimum Dominicum Molinum datis iidem viri clariſſimi Pignorij meminere.

Anni-

Annibal Campegius. Dominico Molino
Senatori Ampliſſimo S. P. D.

*Offendunt me in agris ſpatiantem poſtremæ literæ tuæ, ſeu verius Laurentii Pignorii Symbolæ, quæ me in Parnaſſum legentem tranſtulerunt: uſque adeò Muſarum amœnitatibus refertæ ſunt. Nam quis in eo eruditionem miretur, quin iam eruditionis nomen ſuum fecerit; ut doctiſſima eius monumenta teſtantur. Si duos præterea ſimiles haberet Italia, faſces fortaſſe vt ingenii, ita eruditionis illi Germania ſubmitteret. Sed quid Te in beatiſſima Italiæ parte, ſtudiorum, & libertatis præſide ſperare non licet? Te quidem iam unum reſpiciunt literæ, te aſſertorem, & vindicem miratur Italia: ad te ex toto terrarum orbe confugiunt dedita Muſis ingenia. Sed ut ad Pignorium redeam, non poſſum non tibi in præſens teſtari, quantas illi gratias debeam, quod me obſcurum hominem in luce epiſtolarum ſuarum collocarit, ut hoc veluti pignus immortalitatis haberem. Id, ſi quando vſus venerit, eruditiſſimo viro atteſteris oro te per hæc Muſarum ſacra, ut hoc quoque ipſe officio literis meis perfungar, &c.*

*Ticini ter. Id. Sept.* 1628.

Daniel Heinſius Dominico Molino, &c.

*A Laurentio Pignorio, Viro verè eximio, & qui priſcam illam propriamq; Italorum laudem, ſiue proſa, ſiue verſu ſcribit, fortiter it reſtitutum, literas accepi, ad quas proximè ſum reſponſurus. Quæ Ioſephus Scaliger ad Triumuiros amorum olim ſcripſit, ante mortem auxit, aliquot ab hinc annis Geneuam excudenda miſi. Sed cum videam ab iis nihil præter moram expectandam eſſe, repoſcendus nobis erit codex; quem vel Elzeuiro, vel aliis hic excudendum tradam. Si quæ meditata ſunt in eam rem doctiſſimo Pignorio, cum videbitur, tranſmittat, opera quamprimum dabitur, ut voti fiat compos, &c.*

*Lugduni Batauorum* 13. *April.* 1622.

Io: Meurſius Dominico Molino, &c.

*Pignorii libellus eſt egregius; & profectò eſt vir ille ſummum omnino Italiæ veſtræ ornamentum. A. D.* 11. *Maii, Anno* 1624. *Domino Bonifacio, cuius virtutem, & doctrinam, tum affectum in me iſtum magni facio, ſalutem officioſam dico, ut & Domino Pignorio, à quo miſſa mihi ſalus per literas ad Heinſium noſtrum ſupra modum grata fuit. Amo beneuolentiam viri in his ſtudiis noſtris magni, & repono item affectum.*

Gerardus Io. Voſſius Dominico Molino, &c.

In calce epiſtolæ. *Item quando occaſio erit ſummo viro Pignorio, cuius ego omnia & auidè lego, & maximi facio, vti rara eius eruditio meretur.*

*Lugd. Batauorum pr. Id. Sept.* 1625.

Balthaſar Bonifacius Dominico Molino, &c.

*Laurentio Pignorio, qui de Elogiis, atque Inſcriptionibus luculentum opus*

nuper

*nuper confecit, &c.* VIII. *Kl. Sext. Anno* 1626.

Gerardus Io: Voſſius in lib. 3. de Hiſtoricis Latinis p. 727.

*Cuius rei indicium debeo Viro clariſſimo Laurentio Pignorio.*

Paulò poſt, p. 733.

*Hæc omnia manuſcripta ſuperſunt Patauii apud clariſſimum, & diffuſæ reconditæque eruditionis Virum Laurentium Pignorium. p.* 734.

*Summus vir Laurentius Pignorius p.* 738.

*Vt ex doctiſſimo Laurentio Pignorio accepi, p.* 745.

*Vt didici ex Viro clariſſimo Laurentio Pignorio, & infra. p.* 746. 747. 818. 819. 820. 822. 823. 824. 827. 828. 830. 838.

Chriſtophorus Forſtnerus in dedicatoria Orationis ad Io. Cornelium Ducem Venetum p. 4. *Docuit enim nos Laurentius Pignorius vir clariſſimus in notitiis hiſtoricis.*

Andreas Scotus de bono Silentii p. 203. & in Muſeo Calceolariano p. 293. 368. 375. 614. *Erant enim varii tunc ut hodie ſeruorum gradus, ut obſeruat Iac. Reuardus, Auſonius Popma, & Laurentius Pignorius,* ex lib. 49. cap. 3. p. 2285.

Ex lib. 55. cap. 1. & paſſim De Iure Pont. lib. 1. Cap. 25.

Item Barthius Lib. 47. cap. 23. de eruditioribus ſeruitiis. *Alia apud doctiſſimos viros Titum Popmam, & Laurentium Pignorium.*

Ex lib. 49. cap. 3. *De Stigmatibus Seruorum, ſi qua cupis, lege Pignorii Commentarium de Seruis.*

Ex lib. LI. cap. x. de Tympanis.

*Tympana veterum cribris fuiſſe ſimilia ex conſpectu ipſo eorum apparet, quem exhibuit nobis in admodum eleganti Commentario de Seruis Laurentius Pignorius.*

Ex lib. LV. cap. 1. *Titus Popma, & Laurentius Pignorius Commentariis peculiaribus de Seruis, &c.*

Ex lib. 35. cap. 6. *Quem tentare voluit & Laurentius Pignorius, Vir eruditiſſimus in Com. de Seruis*; & infra, *benè correxit Pignorius*. Meminit pariter Lib. xx. p. 972. & Lib. 43. cap. 27. & Lib. 57. cap. 1. & alibi.

Iacobus Gutherius de Vetere Iure Pont. Lib. 1. cap. 25. ſub finem: *Extat menſa Iſiaca, quæ in Ducis Mantuani Bibliotheca adſeruatur, ex Petri Bembi reliquiis, illuſtrata pridem perdoctis Pignorii Commentariis.*

Petrus Scriuerius Animaduerſionum in epigrammata Martialis lib. 1. p. 9. *Sed quid hodie Scaligero, Lipſio, Caſaubono, & Velſero (quantis Di boni viris?) defunctis, tantæ eruditionis, aut ſpiritus, qui Spartam hanc dignè exornare poſſit? Poſſes tu veterane Schote, poſſes eruditiſſime Grutere, poſſes tu Pignori.*

Nicolaus Craſſus in vita Andreæ Mauroceni p. 42. *Vt magnos illos*

*Sca-*

*Scaligeros, & Lipſios Italia exteris nationibus non inuideret, Laurentium quoque Pignorium, & Martinum Sandelium Contareno coniunctiſſimos.*

Andreas Maurocenus ex L. Pignorii de Antonio Priolo Venetiarum Principe Elogio Epiſtol. poſtrema 246. *Sileant marmora, taceant æra, obmuteſcant picta, ſculpta, cælata monumenta, omni ære, ac marmore firmius, & perennius Pignori doctiſſime trophæum iſtud erit abs te ſapientiſſimo, prudentiſſimo, feliciſſimo Antonio Priolo Principi erectum, &c.* & in calce. *Salue interim Pignori pignore quolibet carior, ac pretioſior, qui dum aliis immortalitatis ſpecimen impertis, tui memoriam in omnem poſteritatem longiſſimè propagaſti.*

Antonius Quærengus in Carm. ad Hieronymum Aleandrum de Laurentii Pignorii commentario in Tabulam Ægyptiacam.

*Docta inter monumenta, quæ perenni*
*Sunt digniſſima laude iure cenſes,*
*Erudite Aleander, hunc libellum*
*In omnes celebrem dies futurum,*
*Quo Laurentius, inclytum Latini*
*Eloqui decus, abditas vetuſtis*
*Sacras Niligenum notas figuris*
*Pandit mirifica explicatione.*
*Viuet, quis dubitet? ſuopte cunctas*
*Per terras genio aureus libellus.*
*Verum clarior uſque, & uſque viuet,*
*Tua quod merito poli ad ſupremam*
*Arcem tollitur approbatione.*

In lib. 3. pag. 197.

Fortunius Licetus in lib. de Lucernis. *A Laurentio Pignorio ſpectabilis eruditionis viro, feſtiuiſſimum hoc etiam habui. lib. 2. p. 193.*

Et lib. 3. p. 193. *Poſt Aldrouandicas, & Corradinas apud Laurentium Pignorium antiquæ rei cultu egregium, duas fictiles vidi Lucernas.*

Io: Thuilius in Præfatione Emblematum Alciati pag. 9.

*Idem præſtitit in elegantiſſimis ſuis Emblematis Hadrianus Iunius, ſed in Alciatinis ante me adhuc nullus: niſi quod Pignorius plurimas figuras ex venerandæ Antiquitatis monumentis paſſim correxit, & feliciter reſtituit, cui ſanè hac in parte multum debemus.*

FELIX OSIVS In Caſtig. in Auguſtam Hiſtoriam Muſſati p. 191. *Cenſet enim is in Itinerario, cuius loci indicium debeo Viro Cl. Laurentio Pignorio rerum antiquarum rariorumque, vt Indici, ita & vindici excellentiſſimo, apud quem eius Itinerarii Codex extat.*

Et pag. 71. F.

*Laurentius Pignorius, ſanæ vir fidei, & integer veritatis myſta.*

Et p. 14.

*Abrahamus Ortelius in Itinerario, quod MS. exſtat penes eruditiſſimum, & amiciſſimum Laurentium Pignorium.*

In Vrbe Aeterna lib. 1. cap. 1.

*Adiecit his Antonini Pii numiſma Goltius elencho Hiſtoriæ primo Adriani, præterea Commodi, &c. & Flaui Priſci Attali, quod aureum mihi recens oſtendit vir amiciſſimus multarum, atque adeo reconditarum rerum notitia perinſignis Laurentius Pignorius.*

Et in calce eiuſdem capitis.

*Nec deſunt qui pari fine coniecerint impoſitam fuiſſe Turrim Capiti Genii Populi Romani in Flaui Valerii Seueri Nummo, quorum ego coniecturæ plena cera ſubſcriberem, niſi Vir Cl. Pignorius, à quo monumenta propemodum omnia vetera non excuſſa modo, ſed extrita penè ſunt, non Turrim, ſed Modiolum Serapidis eius in Genii capite collocaret.*

Iacobus Philippus Tomaſinus in elogijs Illuſtrium virorum p. 13.

I. *Numiſma, quod à Laurentio Pignorio doctiſſimo, & amiciſſimo viro obtinuimus &c.*

II. Et infra p. 14. *Quæ in Bibliotheca ſupra laudati viri eximii Pignorii Antiquitatum omnium ſtudioſiſſimi cultoris exſtant.*

III. Pag. 271. *Huius mihi rei teſtis eſt eruditiſſimus vir Laurentius Pignorius.*

In vita Titi Liuii Patauini.

IV. Pag. 36. *Cui iſta non ſatisfecerint legat is epiſtolam Laurentii Pignorii. 44. Balthaſſari Bonifacio ſcriptam.*

V. Pag. 69. *Quod innuit Pignorius noſter.*

VI. Pag. 60. *At ea memoria periit Pignorio teſte in ſuis Originibus Patauinis.*

In Franciſco Petrarcha rediuiuo Cap. X.

VII. *Viri Clariſſimi Laurentii Pignorii Canonici Taruiſini carmina.*

VIII. Cap. XI. *Quod eſſe cultiſſimi, & elegantiſſimi Laurentii Pignorii Canonici Taruiſini.* & infra ad domum Arquadianam Franciſci Petrarchæ *Laurentii Pignorii viri clariſſimi, & Canonici Taruiſini carmen.*

IX. Et paulo poſt. *In Sellam Franciſci Petrarchæ carmina Laurentii Pignorii viri clariſſimi.*

X. Cap. XV. *Vidit illam non raro Laurentius Pignorius Canonicus Taruiſinus.*

XI. In Bibliothecis Patauinis Bibliotheca S. Ioannis in Viridario: *ut expreſsè teſtatus eſt Vir omnium literarum clariſſimus Laurentius Pignorius lib. ſymbolicarum epiſt. 3.*

XII.

XII. Et in Bibliotheca Fratrum Minorum obſeruantiæ D. Franciſci, & D. Vrſulæ, *Suggeſſit mihi amiciſſimus noſter, & cultiſſimus Pignorius*.

XIII. In elogio Abbatis Albertini Bariſoni. *Pro viro amiciſſimo, & eruditiſſimo Laurentio Pignorio contentionis ergo inter utrumque exortæ de patria Iulii Pauli*.

XIV. In elogio Antonii Quærengi. *Laurentio Pign. V C. teſte*.

In Athenis noſtris Patauinis paſſim meminimus.

XV. In Annotationibus Poematis Torquati Taſſi, cuius eſt titulus GOFREDO, Etruſco idiomate conſcriptis in ea parte. *Dechiarationi delle Hiſtorie, &c.* leguntur hæc.

*La diuina penna di Monſignor Pignoria ammirata da me in tutti li ſuoi tratti hà illuſtrato queſta parte del Taſſo, che contiene l'Hiſtorie, onde le ſue NOTITIE come coſe ſacre le leuerò. inteſſendole in queſte mie dichiarationi come fiori, ò perle, acciò l'opera riceui vaghezza, e ſplendore.*

Nec funeri quæ viuo laus defuit. vnam GOLDASTI Viri inter eruditos ſummi in ſua ad Illuſtriſſimum & Excellentiſſimum DOMINICVM MOLINVM Epiſtola ſubdere viſum.

PIGNORII *induſtriam immortali vita inter mortales digniſſimam nunc iacere quis tam alienus ab humanitate eſt, vt æquo animo ſuſtineat. Nam & eum vixiſſe, idem mihi Maximilianus noſter conſtanter affirmauit, & tua quidem fide. Sed erramus: non vixit, ſed viuit, & cum beatis cælitibus fruitur aura diuinæ contemplationis. Neque enim aliter ut ſentiamus, dum ad vixit ingenium, candor, ſinceritas, probitas, fides, quæ in ſcriptis eius eluceſcunt, mihique aliunde ſatis cognita, perſpectaque fuerunt, permittunt. Sanè ingentem iacturam feci in eius obitu. ſed abitu: quo præiuiſſe eum cenſeo, vt mox propero pede inſequamur. Tam nuper mecum egerat de Opuſculis ſuis tam editis, tum* ἀνεκδότοις *in vnum corpus redigendis, & vt mea comitate, ac miniſterio in hiſce oris ſimul imprimantur ad me tranſmittendis procurandiſue. Quid nunc illis fiet? Quin è poſtremis literis Illuſtriſſimæ Dominationis tuæ effigiem ære expreſſam cum aliis nonnullis ad me mittere adſtipulatus erat. Vtinam ſit, cui ambas imagines Molini (inquam) & Pignorii hominum mihi ſempiterna memoria colendorum debere agniturus ſum? ut quos coram complecti non licet, ſaltem in vultibus adoſculari permittatur, &c.*

# LAVRENTII PIGNORII
# M V S E V M.

In Iconotheca Laurentii Pignorii laudati ſpectantur multa, eaque præclara videre eſt, quæ paucis hic amplectar.

In ipſa fronte oſtii Muſei occurrunt ſtatim hæc carmina.

*Sidera doctrinæ hic fulgent digniſſima cœlo*
*Quæ placidam illuſtrant non læuo lumine vitam*
*Selige tu tibi, quæ inſtillent virtutis amorem*
*Vt ne oculos tantum Pictura oblectet amicos.*

IMAGINES VIRORVM CLARISSIMORVM.

Cæſaris Baronii S. R. E. Cardinalis, & Hiſtorici præclariſſimi.

Roberti Bellarmini S.R.E. Cardinalis, & Eccleſiæ propugnatoris acerrimi.

Scipionis Cobellucii S.R.E. Cardinalis.

Illuſtriſſimi, & Excellentiſſimi Dominici Molini Senatoris Veneti, & literatorum Mecœnatis, ſub qua hæc leguntur.

GENIO POTENTI HVMANITATIS, ET TVTELÆ.
*Qui*
PHOEBÆAS ARTES ALTO CVM PECTORE IVNXIT.

Aloyſii Lollini Epiſcopi Bellunenſis, Philologi eximii.

Guerini Piſonis I.C. præclariſſimi.

Speronis Speronii Philoſophi, ac Oratoris inſignis.

Franciſci Petrarchæ Vatis eminentiſſimi.

Ioannis Vincentii Pinelli.

Guidi Panciroli I. C. excellentiſſimi.

Pauli Aicardi Summi Philoſophi.

Torquati Taſſi Etruſcorum Poetarum decoris.

M. Tullii Ciceronis.

Bernardini Scardeonii Canonici, & Hiſtorici accuratiſſimi.

Aloyſii Corradini I. C. & cauſarum actoris ſtrenui.

Euerardi Vorſtii, Medici peritiſſimi.

Edmundi Brutzii.

Onufrii Panuinii.

Valerii Belli Sculptoris gemmarum nobiliſſimi.

Honorii Belli Medici.

Lauræ Franciſci Petrarchæ Amaſiæ.

Iſotæ Nogarolæ.
Angelæ Nogarolæ.
Caſſandræ Fidelis.
LucretiæBorromeæ.

} Mulierum eruditiſſimarum.

Antonii Querenghi Poetæ celebratiſſimi.

☞ Quibus accedunt Phœnix propriis coloribus, & germana figura delineatus ex Pignorii obſeruationibus in veteres auctores, & tabulæ pictorum celebrium.

Capita aliquot Virorum inſignium e marmore operis antiqui.

## STATVÆ.

Romæ bellatricis Deæ exſerto brachio.

Harpocratis quæ ſpectatur in lib. Imag. Deorum p. 335. & 553.

Mercurii.

Æſculapii, quæ cernitur in lib. ſymbol. epiſt. XIII. p. 48.

Palladis.

Apollinis inter Deorum Imagines conſpicitur p. 592.

Serapidis, ſiue Priapi.

Pocillatorum, e miniſterio antiquo, quæ expreſſa cernuntur in lib. de Seruis p. 75. 76. 77. 78.

Equitis armati.

Variorum Virorum, Mulierum, e donariis templi apud Hadriam, quos intuemur in lib. de Originibus Pat. cap. XI. p. 61. in quibus elucet habitus incolarum vetuſtiſſimorum, ſiue Phryges aduenæ illi fuerint, ſiue e Tuſcia coloni.

## NVMI, ET NVMISMATA.

Hæc carmina inſcripta capſulæ leguntur, in qua diſpoſita ſunt veterum Cæſarum numiſmata.

*Cæſareos Proceres, in quorum præmia ceſſit*
*Res Romana olim, ſpectandos arcula promet.*
*Tu ſapiens animo atque oculis ſpectator adeſto,*
*Et cum de tanto hæc faſtu vix fruſtula reſtent,*
*Aſſueſce humanis minimum confidere rebus,*
*Inuida quas volucri Rhamnuſia turbine verſat.*

Veteres argentei numi, & ærei gentium Romanarum cum Regibus Romulo, Numa, Anco Martio, &c.

Ad hæc totius Græciæ, quà continentis, quà Inſularum Numiſmata, & Africana, & Hiſpanica, Hebrea, & Barbara nonnulla Græciæ totius. Hæc ſpectantur in Menſa Iſiaca p. 15. & epiſt. XII.

§ §§ 3 Bar-

Barbara in ſymbol. epiſt. xii. p. 43. & epiſt. 23. p. 84. & 86.

Cæſarum Imagines non deſiderantur ex ære, ex argento, & aliquot ex auro pulcherrimæ.

Sigilla ærea quamplurima, & eorum pariter eiuſdem ſeculi non minima congeries, in quibus nominum propriorum, familiarum, ſtemmatum, ciuilium munerum, multa obliterata in lucem reuocantur.

Numiſmata Cæſarum poſteriorum, in quibus præclara aliquot ad res Chriſtianas pertinentia.

Nummuli aurei Regum Gallicorum, iique rariſſimi.

Monetarum nou--antiquarum aceruus.

Numi plumbei, qui ſpectantur in lib. de Seruis p. 129.

Artificii recentioris ſpectantur Imagines à Io. Cauino clariſſimo noſtrate cælatore expreſſæ; tum Auguſtorum, & Auguſtarum, tum Illuſtrium Virorum, qui patrum noſtrorum æuo floruerunt, Pontificum aliquot, Cardinalium, & Ducum vultus ſpectantur.

## SVPELLEX ANTIQVARIA.

Æris graues partes in Symbol. ſpectantur epiſtol. 11. p. 13.

Modulus exactiſſimi pedis antiqui.

Pondera Vnciæ, & legitima Romana, & quædam Conſtantipolitana, & æui recentioris.

| | | |
|---|---|---|
| Stylus<br>Teſſera<br>Talus<br>Armillæ | quæ expreſſa cernuntur in lib. de Seruis. | p. 118.<br>p. 162. 164.<br>p. 82.<br>p. 149. |

Murenulæ.

Acus Crinales.

Securis anceps ſpectatur in Antenore cap. 6.

Plumbatæ.

Iaculum, quod intuemur in vita Antenoris c. 6. p. 20.

| | | |
|---|---|---|
| Claues<br>Lenticula<br>Calculi<br>Fibulæ | quæ videnda ſe offerunt in lib. de Seru. | p. 113.<br>p. 46.<br>p. 134.<br>p. 82. 83. |

Annuli.

Lychni, qui expreſſi videntur in lib. Fortunii Licetti de Lucernis antiquorum.

Amuletum, vt in menſa Iſiaca p. 17.

Papyri vetuſtiſſimæ ſcriptæ notis Longobardicis duo grandiora fragmenta.

Seg-

Segmenta veſtium cum oris purpureis antiquis.

Conchyliorum variæ ſpecies, in quibus multa lapidea naturæ luſu.

Gemmæ annulares inſignes non paucæ, ſiue ex promiſcuo ſignandi uſu, ſiue ex myſterijs Ægyptiorum, & veterum hæreticorum.

Lapilli, & Gemmæ.

Alectorius.

Smaragdus è fodina.

Iaſpis ſanguinem ſiſtens.

Stauros lithos.

Cryſtallorum naſcentium congeries.

Vaſcula pretioſa, ex argilla Melitenſi.

Tabellæ æneæ, quæ typos exhibent pugnarum bacchanalium.

Tabellarum, & hiſtoriarum magnus numerus, inter quæ eminent Piſani pictoris, & ſtatuarij maxima toreumata, quæ vocamus Italicè *Medaglioni*.

Alberti Dureri typus plumbêus exhibens Imaginem muliebrem artificii ſingularis.

Exotica non pauca veluti legumina ex India.

Chartæ, & Sericum e regione Sinarum.

Succinum rude, & ſimilia.

Et ut uno verbo dicam Amphitheatridium artis, & naturæ vnico conclaui concluditur.

# BIBLIOTHECA LAVRENTII PIGNORII.

## Pro foribus.

*Quiſquis amas miſeræ duxiſſe obliuia vitæ*
*Accede, & latebris propera te te abdere noſtris,*
*Hic tibi quotquot habet natura arcana recludet,*
*Imbuet atque auidum monitis ſapientia pectus.*

Exſtant inibi hi calamo exarati Codices
L A T I N I.

1. Titi Liuij prima Decas.

2. Horatii Carmina ſcripta characteribus Longobardicis ex munere Cl. Viri Nicolai Graſſi S. C.

3. Ouidii Metamorphoſis ex munere Cl. Viri Ioannis Bonifacii Hiſtoriarum ſcriptoris.

4. Virgilii Bucolica cum notis, qui Codex fuit primum Bernardi Bembi, deinde Petri Bembi Cardinalis.

5. Eiuſdem libri Aeneidos, item cum gloſſis; qui fuerunt Modeſti Polentoni Sicconis filii, & Petri Bembi Cardinalis.

6. Vita Virgilii auctore Seruio Honorato Grammatico.

7. Ciceronis Topica cum Commentario Boetii.

8. Boetius de conſolatione Philoſophiæ.

9. Vitruuius de re ædificatoria.

10. Pomponius Mela.

11. Apicii Cœlii Epimeles.

12. Fragmenta Aſconii Pediani,& C. Valerii Flacci ex editione Poggii.

13. Prudentii Diptychion.

14. Sortes Apoſtolorum,& Commodianus auctor antiquiſſimus à Iacobo Sirmundo eruditiſſimo Theologo manu propria deſcripta, & dono data.

15. Notitia Vrbium Variarum incerti auctoris ex Iſidoro,& aliis.

16. Ioannis de Rauenna opera.

17. Epiſtolæ Petri de Vineis, & aliorum, e quibus aliquot tranſtulit in ſua vetera monumenta Vir. Cl. Sebaſtianus Tengnagel edita Ingolſtadii anno M.DC.XII.

18. Summa artis vulgaris dictaminis auctore Antonio de Tempo Iudice

dice

dice Patauino. exemplaria duo.

19. Clarorum virorum epiſtolæ ex munere amiciſſimi viri Hieronymi Aleandri.

20. Ieſuida. & carmina Hieronymi de Vallibus Patauini.

21. Capitula de Amore, & dilectione Dei, & proximi, Albertini Iudicis Brixienſis.

22. Clariſſimi viri Guarini Veronenſis ad Ludouicum de Gonzaga illuſtrem Mantuæ Marchionem de Diphthongis compendiolum, cum Valerio Probo de notis Antiquorum, & Aldo Manutio ad Chriſtophorum Fulginantem de Diphthongis Græcis.

23. Andreæ Nauageri Carmina.

24. Capitula Mineralium.

25. Vita Senecæ autore Franciſco Petrarcha.

26. Hiſtoriæ Latinæ ſcriptores cum Cenſura Caroli Sigonii.

27. Commentaria in Perſium, & Iuuenalem.

28. Albertini Muſſati Eccerrinis.

29. Franciſci Barbari de re vxoria.

30. Ioannis Iouiani Pontani de Fortuna ex autographia P. Bembi.

31. Inſcriptiones antiquæ Vrbis, & agri Brixiæ.

32. Franciſci Pamphili Sancto-Seuerinatis Picœni Fragmentum.

33. Pomponii Læti autographum in Quintilianum, Martialem, & alia eiuſdem.

34. De machinis hauſtoriis incerti auctoris fragmentum.

35. Ludouici Lalarelli de apparatù haſtiludii Patauini fragmentum.

36. Oratio Io. Bapt. de Adrianis ad Ducem Auguſtinum Barbadicum.

37. Statii Thebaides.

38. Logica Pauli Perguléſis, cuius apud Pignoriũ imago ectypa viſitur.

99. Dantis Tertii Aligeri Panegyricus ad Franciſcum Diedum Veronæ Prætorem.

40 Matthei Palmerii Chronica.

41. Tranquilli Moloſſi Cremonenſis carmina.

42. Bartholomæi Fuſci Leonici Veneti de Thomeis Carmina.

43. Publii Auguſti Gratiani Vtinenſis Odarum, ſeu Hymnorum liber, cuius Imaginem in Icono-theca Pignorius adſeruat.

44. Farrago Carminum, Orationum, Epiſtolarum nou-antiquarum.

45. Capitulare Eccleſiæ S. Marci auctore Nicolao Morauio.

46. Vita Beatæ Euſtochii.

47. Prouinciale Romanum.

48. Series Epiſcoporum Patauinorum.

49. Ioannis Sancto-Martini Medici Vicentini de Vinorũ cõmixtione,

50. Ia-

50. Iacobi Cuiacii diſſertatio in Titulum de Pactis.

Præterea habet multos Codices impreſſos,notatos ad marginem manu doctiſſimorum virorum. Ad hæc

Volumen Epiſtolarum variarum Autograph um.

A. Matthioli.

C. Cluſii.

R. Dodonei.

G. Bauhini.

Torquati Taſſi, &c.

Item Opera Ciceronis duobus Tom. ex Bibliotheca Caroli Quinti Imp.

## CODICES GRÆCI.

1. Gloſſarium.
2 Homeri Batrachomyomachia.
3. Orphæi Hymni.
4. Ariſtotelis Rhetorica.

## LINGVIS VERNACVLIS Scripti.

1. Le Origine delli Longobardi.
2. Croniche della Città di Parma.
3. Cronica di Eſte.
4. Cronica di Frate Martino.
5. Le inuentioni antiche, & moderne di Giulio Pancirolo.
6. Fragmento d'Hiſtoria di Papa Aleſſandro donato dall'Eccellentiſſimo Signor Gio: Bonifatio con figure antiche.
7. Compendio delle Nauigazioni del Rhamuſio, & altre coſe.
8. Di Leon Battiſta Alberti inuentioni diuerſe.
9. Viaggio di S. Carlo alla Santa Sindone, & Inuentione del Corpo di S. Stefano Protomartire.
10. Varie memorie della Religione Franceſcana.
11. Delle coſe auuenute nella Creatione del Sereniſs.Principe Donato.
12. Teſoretto di Brune tto Latini.
13. Theſeide del Boccaccio.
14. Regola, & modo per fare li Horologi da Sole.
15. Marco Antonio Soranzo delle Cifre.
16. Arte del Nauigare in lingua Portugheſe.
17. Regole di Monache.

At fluxa, & caduca nimis hæc noſtra. Adeò verum Tragici illud.

*Vbique mors eſt. Optimè hoc cauit Deus,*
*Eripere vitam nemo non homini poteſt,*

At

*At nemo mortem.*

Typographo Io. Baptiſtæ Martino Muſeum hoc cum Bibliotheca noſtra iam excudendum deſtinaram. Verum ſerpente Patauii contagio, nobis inſperatis ille vita excedit. Malo in dies ſine delectu in quoſuis ſæuiente, x. Iunij in extremos Colles Euganeos CORTELLATAM ſecedo. Loci amœnitatem vix oculis hauſeram, en ferales literas, quæ Clariſſimi Pignorii noſtri obitum nunciantes mihi lacrimas extorſerunt, ſimulque affectus extremum Pietatis officium elicuit piis precibus & ſolemni Parentalium ritu mitigans doloris acerbitatem. Quod ne lateret poſteros, Viro amiciſſimo cum Nepotibus eodem fato abreptis monumentum hocce ſupra Aulæ oſtium erexi, vt ſuæ conditionis memores Aduenæ tanti Viri obitum lugeant.

LAVRENTIO PIGNORIO
MVSARVM CORCVLO
FRANCISCO, ET ANTONIO
NEPOTIBVS,
EX PESTE PEREMPTIS.
IAC. PHIL. TOMASINVS
HANC GRATI ANIMI MEMORIAM
C. P.

Tu verò Illuſtriſſime, & Excellentiſsime MOLINE literatorum Mecœnas, præclarum adeò PIGNORIO noſtro Monumentum ſtatuiſti, vt iam non peſte ſublatus tumulo lateat, ſed in ſuæ domus faſtigio ſub porticu D. Laurentij veluti rediuiuus ingenij maieſtate nunquam interiturus digno emineat Encomio inter tuarum Charitum oblectamenta mortalitatis legibus exemptus. Factum verè ſplendidum, ob quod meritò ſalutaris Sereniſs. Reip. Venetæ decus, rei literariæ Alcides, Virtutum Vbertas, Phœbi amor, Muſarum delicium, Eruditorum præſidium ac numen.

D.O.M.

D. O. M.

# LAVRENTIO PIGNORIO

ALTERI HVIVSCE ECCLESIÆ PRIMVM PAROCHO

DEINDE TARVISII CANONICO

PIETATE AC MORVM SANCTITATE SPECTATISSIMO

VERO CANDORIS ET PVDORIS EXEMPLO

LITERARVM OMNIVM

CVM GRAVIORVM TVM POLITIORVM PERITISSIMO

PENITIORIS ANTIQVITATIS NON MINVS CERTO QVAM CVRIOSO

INDAGATORI

PATRIÆ AMICORVM ET SVI IPSIVS MEMORIÆ

LVCVLENTISSIMIS SCRIPTIONIBVS PROPAGATORI

MVSARVM DENIQVE ET GRATIARVM CORCVLO ET OCELLO

# DOMINICVS MOLINVS

## SEN. VEN.

AMICO AC HOSPITI CARISSIMO ET IVCVNDISS. P.

OB. ANN. cIↃ. IↃc. XXXI. ID IB. IVNII

VIXIT ANN. LIX. MENS. VIII.

# LAVRENTII PIGNORIJ PAT. DE SERVIS COMMENTARIVS.

## CAPUT I.

*De nomine origine, & antiquitate ſeruorum, & mancipiorum.*

VEtuſtiſſimum SERVITII nomen eſſe, & à Noe uſq; temporibus deductum, ſacra Biblia [a] teſtantur: *maledictus Chanaan, ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis*. Expreſſit autem eleganter [b] Alcimus Auitus:

a Gen. 9. Aug de Ciui. Dei lib. 19. cap. 5.
b Lib. 4.

*— primum inde repertum*
*Seruitij nomen: cuncti nam ſemine ab uno*
*Prodijmus, patremque omnis ſibi vendicat unum*
*Poſteritas: deque ingenuo mala crimina ſeruum*
*Efficiunt —*

Et hoc ab ipſo Noe totum effluxiſſe, ut canit Alcimus, argumento eſt celebris deinceps facta mentio ſeruorum, ut in illa [c] Abram ſubitaria copiarum domeſticarum recenſione, ad fratrem è captiuitate eximendum in præſcripto [d] circumciſionis & impleto ritu, & [e] alibi; ubi ancillarum, vernarum, emptitiorumq; memoria extat. Ad nomen quod attinet, [f] SERVI ex eo appellati ſunt à noſtris, quod Imperatores captiuos vendere, & per hoc ſer-

c Gen. ca. 14
d Cap. 17.
e Cap. 20. & 22.
f L. 4. de ſta hom.

ſeruare, nec occidere ſolent. MANCIPIA verò dicta ſunt, quod ab hoſtibus manu capiuntur. [g] Eamdem Etymi vim latiore aliquanto verborum ambitu circum ſcripſit antiquus neſcio quis Iuris [a] ſtudioſus, qui *in hoſtibus captis, & in ſeruitutem redactis* ſcribit *eſſe obſeruatum, quod utile erat & benignum. Eos* enim *ſeruari, & non occidi benignitatis eſſe, ſeruire utilitatis, occidi neutrius*. Ita ſane Latini, alij alia; quæ nos tranſiliemus, ne Lector in ipſo pene limine hæreat. Captiuitas ſane nouitium inuentum non fuit. ſiquidem effluxit ab ipſo uſque Nemrod. Quæ enim leguntur in Geneſi; *porrò Chus genuit Nemrod: ipſe cœpit eſſe potens in terra, & erat robuſtus* [b] *venator coram Domino*; illa interpretatur D. [c] Auguſtinus de oppreſſione, & captiuitate intelligi. [d] Ioannes Saresberienſis apertè: *traditur hic* (Nemrod) *in tantam elationis erupiſſe vecordiam, ut non vereretur iura temerare natura, cum conſortes conditionis & generis, quos ingenuos illa creauerat, hic addiceret ſeruituti*. Non improbat hanc ſententiam [e] Pererius, quam etiam tutatur [f] Conr. Rittershuſius. Et hoc profecto non dedecebat idololatriæ repertorem, & Politicorum patrem. [g] Alij autem Nino attribuunt, qui primus intulit bella finitimis, ut facile fuerit Semiramidi eius uxori metalla primum inuenire, & captiuis eorum tractationem mandare, ut ſcribit Suidas. Duplici autem iure aliquis ſervus ſiebat; [h] ciuili, quando maior viginti annis præcij participandi cauſa ſe venire patiebatur; gentium, quando ab hoſtibus quis capiebatur, aut ex ancilla naſcebatur. Dominatio enim ex gentium iure introducta eſt, inquit [i] Iuriſconſultus, quod & [k] Luctatio Placido viſum eſt ad illa Statij:

[g] *Epitom. Iur. ciu.*
[a] *Epitome iur. ciu. ex edit. Pariſ.* 1599.
[b] *Gen. c. 10.*
[c] *Lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 4.*
[d] *Lib. 1. Policrat. cap. 4.*
[e] *Lib. 15. in Geneſ.*
[f] *Schol. ad Oppian.*
[g] *Iuſtinus & Oroſius.*
[h] *L. 5. de ſtat. hom.*
[i] *L. 64. de cond. ind.*
[k] *Lib. 5. Theb.*

Ne

*Ne triſtes Dominos, orbamque inimica reuiſam*
*Eurydicen* ——

Naturà enim ſeruum eſſe quempiam [a] paucis viſum eſt omnino. Iuris ciuilis capita ampliauit maximus Imperator [b] Conſtantinus, qui ſanciuit, Libertos homines ingratos recidere in Seruitutē, quã euaſiſſent; [c] Claudium imitatus. quod & [d] Nerone imperante agitatum eſt. Imo & in patriam ingrati, qui olim militiam detrectabant, ad dilectum non reſpondentes, ut proditores Libertatis, in Seruitutem [e] redigebãtur. Et horum auctariorum alia quidem (ut vidimus) culpæ, & noxæ imputanda ſunt, alia egeſtati, & pietati. Cõſtituit enim idem [f] Conſtantinus, licere patribus, filios inopiæ cauſa diſtrahere; iure nimirum antiquiſſimæ à Romulo inuectę patrię poteſtatis, cuius meminerunt [g] Dionyſius Halicarnaſſęus, [h] Cicero, Dion Chryſoſtomus, & alij. Hi tamen precium, aut vicarium offerendo, [k] vindicabantur in Libertatem; quã compenſationē ſuſtulit [l] Valentinianus Imperator, quod ſeruitium (diceret) ingenui, etiam minimi temporis ſpatio, remunerationi pręcij facere ſatis. Et idem ius videtur fuiſſe obſeruatum in [m] expoſitis libris, quo θρεπτοὺς appellabant eorũ enim Liberis, quos maximã habendã rationē reſpondit Imperator [n] Traianus. At cum anno [o] Domini CDXLVII. fames uniuerſam Europam vexaret, Italici homines filios, & parentes vendiderunt, quos [p] Placidius Valentinianus redimi pręcepit ſub quintę adiectione. Quibus tamen optimorum Imperatorum ſanctionibus malę huic mercaturę obuiam penitus itum non eſt, cum in [q] Lucanis, conuentu Leucotheæ, natali D. Cypriani, a parentibus liberi paſſim diſtraherentur.

[a] Ariſtot. lib. 1. Politicor. cap 3. & 4.
[b] L. 11. c. de libert. & eo. libe.
[c] Sueton. c. 2.
[d] Tacitus lib. 13 Annal.
[e] L 4. de re milit.
[f] L 11. c pa qui fit. diſtr.
[g] lib. 1.
[h] lib. 1. de Oratore.
[i] Oratione 15.
[k] Eadem L. 15.
[l] L. unic. c. Theod. eod.
[m] Apud Bithynos.
[n] Plin. lib. 10 ep 71.
[o] Marcellinus
[p] Nouell. 12. Valent.
[q] Caſſiodorus lib. 10 Variar.

# CAPUT II.

## *De iniqua conditione & ſupplicijs ſeruorum.*

SERVITVTIS autem conditio iniquior fuit, quàm ratio humanitatis ſeruo, & domino communis exigeret. *Eſt autẽ infima conditio, & fortuna ſeruorum* inquit [a] Cicero. *caput enim ſeruile* ait [b] Paulus, *nullum ius habet, caret nomine, cenſu, tribu.* [c] Fabius Maior de addicto, cuius manumiſſio erat cõtrouerſa; *ante omnia Seruus hic habet nomen, eſt in cenſu, eſt in tribus; quorum nihil (ut opinor) deprehendi in ſeruo poteſt.* A militia præterea [d] arcebantur, & quidem propoſitâ capitali pœnâ. [e] Marcianus, *ab omni militia ſerui prohibentur: alioqui capite puniuntur.* [f] Traianus Imperator de ſeruis inter tyrones repertis: *lecti ſi ſunt, inquiſitor peccauit, ſi vicarij dati, penes eos culpa eſt, qui dederunt, ſi ipſi cum haberent conditionis ſuæ conſcientiam, venerunt, animaduertendum in illos erit.* Ex hoc adeò receptum fuit, ut cum ex inopia liberorum capitum, Imperatores ad ultimum prope deſperatæ Reipublicæ auxilium adigerentur, tunc nõ legerent in militiam ſeruos, niſi [g] liberos factos. Nunc ex his, quæ diximus, intelligi dabitur, quid ſibi vellet Plinius, cum ſe confectũ ſcribit infirmitatibus, & mortibus ſuorum, illud ſolatij habere, quod permitteret ſeruis quoque quaſi [h] teſtamenta facere, eaque ut legitima cuſtodiret. Quaſi teſtamẽta appellat ea, quæ Ius ciuile teſtamenta eſſe nolebat. Qua ratione Ulpianus ſeruam ſeruo quaſi dotem dare ſcripſit; [k] Paulus peculium ſerui quaſi patrimonium; ſerui contubernalem, vernæ filij [l] quaſi nouercam appellauit. DOMINIVM verò in ipſos tum ſummi iuris, tum ſummæ iniuriæ erat. Pecudum enim potius, quàm homi-

a lib. 1. offic.
b L. 3. de cap. dimin.
c Declam. 311.
d Seruius lib. 9. Aen.
e L. 11. de re milit.
f apud Plin. Ep. 39. lib. 10.
g Liuius lib. 22.
h lib. 8. ep. 16.
i L. 40. de Iur. Lat.
k L. 48. in fi. de peculio.
l L. 14 de ritu nupt. ibid. quaſi nurus & quaſi ſocerus.

hominum numero cenſebantur [m] Caius: *ut igitur apparet, ſeruis noſtris exequat quadrupedes, quæ pecudum numero ſunt.* [n] Seneca; *allia interim crudelia, & inhumana prætereo, quod nec tamquam hominibus quidem, ſed tamquam iumentis abutimur.* Et, *nolo in ingentem me locum immittere, & de uſu ſeruorum diſputare, in quos ſuperbiſſimi, crudeliſſimi, & contumelioſiſſimi ſumus.* Ideo rectè excepit [a] Cicero: *ſervus eſt nemo (qui modo tolerabili conditione ſit ſeruitutis.)* fuerunt enim qui intolerandâ erant conditione, etiamſi ad Legis Æliæ Sentiæ capite Cicero minimè reſpexiſſet. Cibum enim adurere, menſam euertere, dicto tardius audientem fuiſſe, cruce, aut flagellis ad minus [b] expiabantur dixiſſes, omnes penitus dominos profeſſos fuiſſe Stoicam ſectam, adeò illius altè inſederat, omnia ſeruorum peccata æqualia eſſe. Quo factum eſt, ut ſerui nuper empti non quęrerent an ſuperſtitioſum, vel inuidum, ſed an iracundum herum nacti eſſent. [c] Seneca: *quid eſt quare ego ſerui mei hilarius reſponſum, & contumaciorem vultum, & non peruenientem uſque ad me murmurationem flagellis & compedibus expiem?* [d] Petrus Chryſologus ſuauiſſimus, & eruditiſſimus Tractator, veriſſimo epiphonemate ſententiam concludit: *Quidquid dominus indebitè, iracundè, libens, nolens, oblitus, cogitans, ſciens, neſcius, circa ſervum fecerit, iudicium, iuſtitia, lex eſt. imperantis ira ſubdito ius eſt, & ad libitum domini vocem non habet conditio Seruitutis.* Et has ſeruiles delicias tangit eleganter Geta [e] Terentianus:

*— berus ſi redierit,*
*Molendũ uſq; in piſtrino, vapulandũ habendæ cõpedes,*
*Opus ruri faciundum —*

ubi hęc Donatus: *facetè enumerat ſeruus uniuerſa ſuppli-*

m L. 11. ad L. Aquill.
n Ep. 47.
a 4. Catilin.
b. Plut. de ira cohib.
c lib. 3. de ira, cap. 28.
d. Serm. 141.
e Phorm. Act. II. Sc. I.

*plicia ſuæ conditionis, excepta cruce & furca, quarum pœnã verbis extenuare non potuit.* Et ex horũ ſuppliciorũ frequentia honoraria illa manarunt ſeruorum epitheta, Furciferi, Maſtigiæ, Flagrionis, Verberonis, & Cruciarij. Ab hoc eodem capite eſt Domitij [a] Vlpiani ſententia, *licere ſeruis naturaliter in ſuum corpus ſæuire.* Quam bonus cenſor, juſtitiæque ſacerdos, ad liberos etiam homines tranſtulit [b] aliquando: ut hic obiter animaduertere liceat, quantopere ius humanum diuini iuris lumine deſtitutum, cœcutiret. diſcuſſit ſanè aliquoties natura caliginem hanc: ita ut [c] Paulus viderit, *difficile dignoſci poſſe liberum hominem à ſeruo:* at hoc non diu manſit, ſiquidẽ pleriq; ita ſentiebant, ut illa apud [d] Iuvenalem garrit:

*O demens, ita ſeruus homo eſt!* —

Quod nequis Satyricè dictũ putet, audiat L. [e] Florum: *enimverò ſeruilium armorum dedecus feras. nam & ipſi per fortunam in omnia obnoxij, tamen quaſi ſecundum hominum genus.* Quæ ſi apud politos, & humanitatem profeſſos obtinuerunt, quid mirum à rudioribus fuiſſe recepta? Leges [f] Ripuariorum: *quod ſi ſervus ſervum, ictu uno, vel duobus, ſeu tribus percuſſerit, nihil eſt, ſed tamen propter pacis ſtudium tremiſſem, ideſt, quattuor denarios componat.* Non igitur mirandum eſt, ſi [g] Ulpianus ſeruitutem morti adſimilauerit. Et olim quidem poteſtas dominica necem ipſam ſeruorum complectebatur. [h] Caius; *nam apud omnes peræquè gentes animaduertere poſſumus, dominis in ſeruos vitæ neciſque poteſtatem fuiſſe.* Et profectò, ſanguinarium hoc ius notauerunt apud Germanos [i] Tacitus, apud Perſas [k] Ammianus. Et huius ſanè iuris illa fuit vis, ut [l] Hadrianus Imperator *ſeruos à dominis vetuerit occidi, coſ-*

a L. 10. de pœnl.
b l. 11. de his qui not. inf.
c L. 5. de cõt. empt.
d Sat. 6.
e lib. 3. Hiſtor. cap. 20.
f Tit. 23.
g l. 18. de cõd. & dem.
h L. 1. de his qui ſui, vel alie. ſunt iur.
i De mor. Ger.
k lib. 23.
l Spartianus.

*que iuſſerit damnari per Iudices, ſi digni eſſent*, Quod & [a] Antonino Pio Hadriani ſucceſſori placuit.[b] Cõſtantinus autem, ſub cuius humano imperio immanitatem olim exuit orbis Romanus, reſcripſit, *reum homicidij fore, qui ſervum, barbarorum ſæuitiam imitatus, in ipſis adegerit cruciatibus vitam relinquere*. Egregiê quidem Conſtantinus. At neque ideò domini ius ſibi ſuum eripi paſſi ſunt. [c] Saluianus: *homicidia quoque in ſeruis rara ſunt, terrore, ac metu mortis. in diuitibus aſſidua, ſpe ac fiducia impunitatis, niſi forte iniqui ſumus, hoc, quod diuites faciunt ad peccatum referendo: quia illi, cum occidunt ſervulos ſuos, ius putant eſſe non crimen*. Lenioribus autem animaduerſionibus frequenter domini utebantur. [d] Iuvenalis,

— *hic frangit ferulas, rubet ille flagello,*
*Hic ſcutica* — — Baltea verò, quæ vocat [*] Iuuenalis, Lora interpretatur Scholiaſtes antiquus. Quam utique operam nauaſſe conſeruos argumento ſunt [e] LORARII, qui apud Plautum catenas, & vincula inijciunt vinciendis. Imò & cõſerui apud Apuleium, [f] Myrmecen vinciunt; & Sollicitudo [g] Triſtitieſque Veneris ancillæ, Pſychen miſellam flagellis affligunt, & cæteris tormentis excruciant. Et quidem flagella in peculio ſeruorum erant. Imò & ad Libertos pertinebant aliquando, iniurio tamen iure. [h] Ulpianus: *nam interdum etiam ex cauſa famoſa, ut Pædius putat, permitere debet patronum in ius vocari à Liberto, ſi eum grauiſſima iniuria affecit, vel flagellis fortè cæcidit*. Neque verò mitiores fuerunt in ſeruos magiſtratus, quàm domini. [i] Hermogenianus: *& ſerui quidem flagellis cæſi dominis reſtituuntur, liberi verò, humilioris quidem loci, fuſtibus ſubijciuntur: cæteri autem vel exilio temporali, vel interdictione rei certæ*

coer-

[a] L. 1. & 2. de his qui ſui vel alie. ſunt iur.
[b] L. un. c. de emend. ſer.
[c] de Gubern. lib. 4.
[d] Sat. 6.
[*] Sat. 9.
[e] lib. 10. cap. 3. Gellius.
[f] lib. 9. Meta.
[g] lib. 6. Met.
[h] L. 10. de in ius voc. & L. 7. de iniur.
[i] L. ult. de in iur. & fam. lib.

*centur*. Recenſuit autem [a] Ariſtophanes catalogum ſeruilium aliquot tormentorum. *Extenſionem videlicet in tabula, ſuſpenſionem, ſcuticam e pelle hiſtricis, verbera, torturam, aceti in nares infuſionem, & laterum impoſitionem.* ubi notat Scholiaſtes, Liberos porri,& gythij caule cædi conſueuiſſe. huius verò loci indicium debeo VINCENTIO CONTARENO, qui ſplendorem humaniorum litterarum, quas profitetur publicè, humaniſſimis moribus pene obruit. Huic eidem dominicæ licentiæ adſcribamus neceſſe eſt enarrationem illam Donati Grammatici ad [b] Terentianam parœmiam.

— *at enim in me iſthæc cudetur faba.*

quoſdam videlicet conſueuiſſe, *malè coctam fabam, & quæ non maduerit, ſupra caput coqui ſaxo comminuere.* Item ſupplicium [c] villici, quem dominus melle perlitum, formicis cruciandum obiecit. Ab huiuſmodi ſæuis, & ſanguinarijs hominibus, *qui* [d] *fame, verberibus, & acerbo dominatu familiam ſuam vexarent, ne oblata recipiat Epiſcopus*, ſeriò admonet Clemens Conſtitutionum Apoſtolicarum lib. 4. Quod utique monitum perneceſſarium tunc temporis viſum eſt, cum domini non rarò adeò aſperi, & immites inuenirentur, ut *macelli ſpecie* (utar [e] Capitolini verbis) *domus eorum cruentarentur ſanguine vernularum.* Nota eſt immanitas [f] Vedij Pollionis, quam Auguſto feſtiuo talione contudit. Verè demum [g] Iuvenalis;

— *hic frangit ferulas, rubet ille flagello,*
*Hic ſcutica. ſunt quæ tortoribus annua præſtant.*
*Verberat, atque obiter faciem linit; audit amicas,*
*Aut latum pictæ veſtis conſiderat aurum;*
*Et cædit: longi relegit tranſuerſa diurni;*

*Et*

[a] Βάτραχ.
[b] Eunucho.
[c] Appul. lib. 8. Met.
[d] ex hoc capite gulam & furias ſeruorum excuſat Saluianus lib. 4.
[e] Macrino.
[f] Lib. 3. de ira cap. 40. Seneca. Idem de clem. cap. 18.
[g] Satyra 6.

*Et cedit, donec laſſis cædentibus, exi*
*Intonet horrendum, iam cognitione peracta:*
*Præfectura domus Sicula non mitior aula.*

Et huius carnificinæ ſcænam repreſentat nobis non obſcurè [a] Galenus, apud quem legimus, *famulos tum calcibus appetitos, tum graphijs compunctos: eiſdem confractos dentes, oculos ſtylo, & calamo erutos; eoſdem gladio percuſſos,* [b] *ancillas morſu dominarum cruentas.* Imò quidquid tætrum, ſævum, horribile in Chriſtianos olim excogitatum, & exercitum eſt, illud omne (ut ego quidem cenſeo) à ſervis ad illos tranſiuit. Idem enim [c] Galenos alibi ſcribit, *dominos fugitiuorum crura adurere, cædere, lacerare: furum manus: edacium ventrem; garrulorum linguam torquere conſueuiſſe.* Jam verò colaphi,& alapæ præ his fuerunt nugæ meræ. Quæ tamen & ad noſtros martyres pertinuerunt.

a de dignoſc. cur. an. morb. cap. 4.
b cap. 8.
c Lib. 6. de Decr. Hipp. & Plat.

## CAPUT III.

*De inquiſitione, asylo, ſtigmatibus, & pœnis Fugitiuorum.*

ET hęc inclementia in FVGITIVOS præſertim eminuit, quos per amicos, vel per fugitiuarios conquiſitos, ſtigmatibus notatos, vel trudebant in cuſtodiam publicam ad tempus, vel in piſtrinum, vel interficiebant. [d] Cicero: *cum eum fugitivum poſtea eſſe ex Æſopi litteris cognoſſet, hominem comprehendit; & in cuſtodiam Epheſi tradidit; ſed in publicam vel in piſtrinum, nõ ſatis ex litteris eius intelligere potuimus.* De FVGITIVARIIS [e] Florus præter alios; *itaque qui per Fugitiuarios retrahi debuiſſent, Prætorios duces profugos prælio, ipſi ſequebantur.* Piſtrini elegans deſcriptio legitur apud [f] Appuleium: *ibi complurium iumentorum multiuij circuitus intorquebant molas ambage*

d lib. 1. Epiſt. ad Q. Fr.
e lib. 3. Hiſtor cap. 19.
f lib. 9. Metam.

*varia; nec die tantum, verum perpeti etiam nocte prorſus inſtabili machinarum vertigine lucubrabant peruigilem farinam*. At quales piſtrini habitatores? pergit idem auctor; *homunculi vicibus liuedinis totam cutem depicti, dorſumq; plagoſum ſciſſili centunculo magis inumbrati, quàm obtecti; nonnulli exiguo tegili tantummodo pubem iniecti, cuncti tamen ſic tunicati, ut eſſent per panulos manifeſti frontes litterati, & capillum ſemiraſi, & pedes annullati*. Quod ſi latitarent fugitiui PRAECONIO illos indagabant. [a] Petronius: *intrat ſtabulum Præco cum ſeruo publico, aliaq; ſanè modica frequentia; facemq; fumoſam magis, quàm lucidã quaſſans hæc proclamauit. Puer in balneo paulò ante aberrauit, annorum circa ſexdecim, criſpus, mollis, formoſus; nomine Gyton. ſi quis eum reddere, aut commonſtrare voluerit, accipiet nummos mille*. [b] Lucianus, & alij eadem habent. Quidam etiam inquirebant Libello propoſito. [c] Curius Fortunatianus; *cuius ſervus fugerat, Libello propoſito, vel per Præconem nuncians dixit, daturum ſe -x- ∞ ei, qui ad ſe ſervum perduxiſſet*. LIBELLI ſpeciem exprimunt auctores proximè citati, & [d] Propertius egregiè.

*Quas ſi quis mihi rettulerit donabitur auro.*
*Quis pro diuitijs ligna retenta velit?*
*I puer, & citus hæc aliqua propone columna.*
*Et dominum Exquilijs ſcribe habitare tuum.*

Huc pertinent verba [e] Juliani J. C. *Solent qui nouerunt ſeruos fugitiuos alicubi celari, indicare eos dominis, ubi celentur. quæ res non facit eos fures. ſolent etiam mercedem huius rei accipere, & ſic indicare*. Porrò Libellus γραμμάτιον [f] Luciano eſt. At eouſque progreſſa eſt dominorum ſæuitia, & procliuis ſeruorum fuga, donec ad publica ſacra populi Romani perueniret. [g] Plinius; *Veſtales noſtras hodie credimus, non-*

dum

[b] in fugitiuis & amore fugit.
[c] lib 1. Art. Rh. Sbel.
[d] lib. 3. El. 22
[e] l. 16 de praeſcr. verb.
[f] in Demonacte.
[g] lib. 28. c. 2.

*dum egreſſa urbe mancipia fugitiua retinere in licio precationis*. (ita enim ibi videtur legendum.) Hoc ut verum fuerit, homines tamen Veſta valentiores, non carmina modò, ſed & cuſtodias euadebant; quod ut publicè pernicioſum, publico etiam iure coercitum eſt. [a] Ulpianus. *Senatus cenſuit ne fugitiui admittantur in ſaltus, neue protegantur à villicis, vel procuratoribus poſſeſſionum, & mulctam ſtatuit*. infra. *Senatus conſultum Modeſto Conſule factum, ut fugitiuos inquirere volentibus, litteræ ad magiſtratus dentur, mucta etiam centum ſolidorum in magiſtratus ſtatuta, ſi, litteris acceptis, inquirentes non adiuuent: ſed & in eum qui quæri apud ſe prohibuit, eadem pœna ſtatuta eſt etiam generale epiſtola diuorum Marci, & Commodi, qua declaratur & Præſides, & magiſtratus, & milites ſtationarios dominum adiuuare debere.* Hinc apud [b] Pliniũ iuniorem legimus, Appuleium militem è ſtatione Nicomedienſi de ſervo ſcripſiſſe, qui ad ſtatuam confugerat. Statua ſcilicet miſeris perfugium erat, tunc enim magiſtratus de querelis ipſorum cognoſcebat & venire eos iubebat, ne in poteſtatem dominorum [c] reciderent amplius. Ideoque neque fugitiui cenſebantur, qui in [d] aſylum, aut ad ſtatuam confugiebant. Aſylum aut eſt templum religione, & iure ſanctum; quod ſervitijs etiam peſſimis patebat aliquando. Quare S. C. abolita quæpiam aſyla ſunt, quibuſdam modus præſcriptus apud Cornelium [e] Tacitum, cui nos alibi lucis aliquid attuliſmus. Statua quibus ad manum non erat, illis ara non deerat, ut notarunt viri docti ad Tibullum, & elicitur ex [f] Cornelio Nepote, *fanum Neptuni, & Tænari quod violare nefas putant Græci, eo ille index confugit: in ara conſedit*. Hæc autem fugæ cognitio, vel Præ-

a lib. 11. l. 1. de ſer. fugit.

b l. lib. 10. epiſt.

c L. 2. de his qui ſui vel alieni ſunt iur.

d l. 67. de ædil. ed.

e lib. 3 annal

f Pauſanias

a L. 27 de ſeru. fugit. ſidis, & Proconſulis in prouincia, vel Præfecti vigilum Romæ fuit. [a] Labeo: *tamdiu autem coſtudiantur, quamdiu ad Præfectum vigilum, vel ad Præſidem deducantur, eorumque nomina, & notæ, cuius ſe quis eſſe dicat, ad magiſtratus deferantur*. Quod ſi à dominis agniti non fuiſſent, per officium Præfecti vigilum diſtrahebantur, ut aſſerit Julius [b] Paulus. Neque de fuga tantum Præfectus vigilum cognouit, ſed & de [c] furtis ſeruorum, excepto adulterio in domini uxorem commiſſo, quod ad notionem Præfecti [d] urbis ſpectabat. Et ſanè [e] Ulpianus, cum ſervos pro maleficijs oblatos Præfecturæ ſcribit, vix de alia quàm vigilum Præfectura videtur intellexiſſe. Animaduertebant autem in ſervos & IIIviri capitales. Monet Aſconius in commentario ad primam, in Verrem, quæ diuinatio dicitur, fures, & ſervos nequam apud III. viros capitales, apud columnam Mæniam puniri ſolere. [f] Horatius in Mænam Pompeianum;

b Lib. 1. ſent. Tit. 14.
c lib. 15. de concau. da.
d L. 1. de off. præf. urb.
e L. 24. de pignor. act.
f Epod. Ode 4.

*Sectus flagellis hic triumuiralibus,*
*Præconis ad faſtidium.*

Ubi Porphyrion animaduertit poetam ſpeciali elocutione uſum pro generali neque enim IIIviris tantum, ſed & alijs poteſtatibus ius eſſe alienos ſervos flagellare. Soſia apud [g] Plautum ſtat à Triumviris,

*Quid faciã nunc, ſi Treſviri me in carcerẽ compegerint?*
*Inde cras è promptuaria cella depromar ad flagrum?*

g Amphitruone.

[h] Val. Maximus: *Fannij ſervus Alexander, cum in ſuſpicionem C. Fl. equitis Romani occiſi veniſſet, ſexies tortus pernegauit, ei ſe culpæ affinem fuiſſe: ſed perinde atq; confeſſus, & à iudicibus damnatus, & à L. Calpurnio IIIviro in crucem actus eſt*. Imò & fugitiui ad eos perducebantur, ut diximus. [i] Aſconius Pædianus. *Munatius, & Pompeius Tribuni plebis in roſtra produxerant IIIvi-*

h lib. 8, cap. 4.
i lib. 8. cap. 4.

*IIIvirum capitalem, eumque interrogauerant, an Galatam Milonis ſervum cædes facientem deprehendiſſet; ille dormientem in taberna pro fugitiuo deprehenſum, & ad ſe perductum eſſe reſponderat.* IIIviri autem non ſervorum, & humilium tantum, ut quibuſdam placuit, ſed & liberorum, nobiliumque maleficia conquirebant, carceris cuſtodes erant, animaduerſionique intereant, ut ex [a] Varrone, & [b] Pomponio didicimus. Liuius autem, & Gellius diſertè. [c] ille; fugientes Bacchanalium conſcios à IIIviris in carcerem coniectos fuiſſe ſcribit; [d] hic: Næuium, ob aſſiduam maledicentiam, & probra in principes ciuitatis, de Græcorum poetarum more dicta, in vincula Romæ à IIIviris coniectum eſſe. Servos retractos à fuga STIGMATIBVS notabant. [e] Auſonius;

a Lib 4. de L. L.
b L. 11. de orig iur.
c Lib. 39.
d Lib. 3. c. 3.
e Epigr. 15.

*Pergame non rectè punitus. fronte ſubiſti*
*Supplicium, lentæ quod meruere manus.*
*At tu, qui dominus, peccantia membra coerce:*
*Iniuſtum falſos excruciare reos.*
*Aut inſcribe iſtam, quæ non vult ſcribere dextram,*
*Aut profugos ferri pondere necte pedes.*

[f] Columella Lepidium circumſcribens, cecinit; f lib. 10.

*Ponitur & lactis guſtum quæ condiat herba,*
*Deiectura quidem fronti data ſigna fugarum,*
*Vimque ſuam idcirco profitetur nomine Graio.*

[g] Juvenalis de Xerxe: g Sat. 10.

*Ille tamen qualis rediit Salamine relicta,*
*In Corum, atque Eurum ſolitus ſæuire flagellis*
*Barbarus, Aeolio numquam hoc in carcere paſſos,*
*Ipſum compedibus qui vinxerat Ennoſigæum?*
*Mitius id ſanè, quod non & ſtigmate dignum*
*Credidit* ——

At credidit, ſi [a] Herodoto credimus. Quod ſanè fa- a lib. 7.

ctum

ctum indicat antiquitatem ſtigmatiarum, ut & capitalis ille [b] Tabellarius ab Hiſtiæo miſſus ad Ariſtagoram, & [c] Artemiſiæ trophæum apud Rhodios. Imò & Phocylides præcipit;

b Herodot. lib. 5.
c Vitruuius lib. 2. c. 8.

*Στίγματα μὴ γράψῃς ἐπονείζον θεράποντα.*

Et his notis inſignes videntur fuiſſe Pagaſæi δοῦλοι, quos Hermippus apud [d] Athenæum recenſuit. Et hoc fuit inſcribere, ut apud Auſonium vidimus; [e] Claudianus,

d lib. 1. Deipnoſaph.
e lib. 2 in Eutrop.

*Iura regunt, facies quamuis inſcripta repugnet,*
*Seque ſuo prodat titulo* —

Locus inuſtionis fuit frons, ut monſtrat [f] Lucianus, qui fugitiuos neſcio quos Philoſophos, typo vulpis, aut ſimiæ, cenſet in ea parte vultus inuri debere. [g] Diphilus quoque neſcio, quem inſectatur, qui comam ſe alere Deo dicebat, ut capillis promiſſis obuelaret frontem inuſtam notis. At quæ nam hæ notæ? Fuerunt, qui ſtatuerunt φ & F: quod utique nobis non improbatur. Illud inijcit ſcrupulum, quod Petronius narrat, Eumolpum impleuiſſe frontes Eucolpij, & Gytonis ingentibus litteris, quas appellat notum fugitiuorum epigramma. [h] Val. certè Maximus memoriæ prodidit, ſervum Reſtionis inexpiabili litterarum nota, per ſummam oris contumeliam inuſtum; ubi vox illa litterarum minus aptè ad unicum φ vel F videtur referri poſſe. [i] Martialis & ipſe ſcrupulum non eximit. cum enim neſcio quem liberum ſe, & fortunatum mentientem, carmine inſectaretur, Rufum monuit, ut perſonam fronti detraheret, neque permitteret, ut imponerent ſibi manus Sardonychata, Lacernæ Tyriæ, toga candida, unguentorum fragrantia, & cætera, quæ apud ipſum videre eſt. Latitare enim ſub his omni-

f Reuiuiſcentibus.
g lib. 6. Deipn.
h lib. 6. cap. 8.
i lib. 2. 29.

omnibus ſervum, eumque inſcriptum, & pro nequitia litteratum huius porrò frontem numeroſis ſplenijs inſignem, ut reſpiciat hortatur, concluditque,

*Ignoras, qui ſit? ſplenia tolle, leges.*

Splenia profectò numeroſa videntur adhibita, ut contegerent numeroſas inſcriptas litteras quid ergo? num frontem implebant repetita littera F vel φ? Ego quidem nihil habeo, quod ſtatuam. Arbitror tamen inſcriptionem fugitiuorum fuiſſe conceptam illis verbis, quæ in eorumdem collaria, & æreas lamellas inciſa, Romæ ab hinc trienium vidi, Cum enim [a] Conſtantinus Aug. ad normam eius humanitatis, quam profitebatur, vetuiſſet in facie noxiorum ſcribi, quod dedeceret faciem maculari, quæ ad ſimilitudinem pulchritudinis cœleſtis eſſet figurata, non defuerunt lenes domini, qui obſequerentur, & frontis contumeliam in ea, quæ diximus, transferrent. Collaria enim fuiſſe apta fugitiuis, teſtatur & [b] Lucillius.


*Cum Manicis, Catulo, Collarique ut fugitivum*
*Deportem* —

Collare autem vidi Romæ, ut dixi apud LAEL. PASCHALINVM cum huiuſmodi inſcriptione: TENE ME, QVIA FVGI, ET REVOCA ME DOMINO MEO BONIFATIO LINARIO A ☧ Ω. Extat apud eumdem ærea lamella utrimque inſcripta:

[a] l. 11. C. de pœnis.


[b] Nonius ex lib. 29.

TEN-




Sunt verò illæ, quæ in ipſa aduerſa leguntur, litteræ non prominentes, ſed inciſæ, & quidem non inelegantær. at quæ in eadem auerſa conſpiciuntur, in ſumma velut cute, cultelli acumine videntur exaratæ negligentius. Et ex hoc demum capite famoſa erat olim collaris ferrei geſtatio, ut notat Metaphraſtes in actis SS. Martyrum Carpi, Papyli, Agathodori, & Agathonicæ; ut quæ liberos homines deceret. Vidit & [a] BENEDICTVS AEGIVS Romæ ollim apud Maffæios laminam æneam, in qua legebatur.

*[a] Ex autographo ipſius.*




Neq; verò non poterant verba in fronte commodè imprimi, cum [b] Theophilus Iconomachus deteſtabili ſolertia, xi. verſus Theophanis, & Theodori fratrū Martyrum frontibus inſcripſerit. Et hæ lamellæ, ut ego quidem ſentio, clauis cappitatis ad collaria affigebantur, ut indicio ſuo proderent fugitiuos. Et ut priora illa Chriſtianorum ſunt, è

*[b] Baronius in Not. ad martyrol. 22. Dec.*

è no-

nota ☧ quæ CHRISTI nomen indicat, & è mentione Acolythi, & Dominici Clementis ( Dominicum enim ædes ſacra eſt ) ita poſterior hæc inſcriptio habet nonnihil, de quo ambigamus. Baſilica enim Pauli, & ad Titulum Pauli via Oſtienſi ( ut nominat Prudentius) poteſt referri, & ad inſignem illam Baſilicam, quam L. Æmilius Paulus in medio foro extruxit. Ego tamen ad res noſtras pertinere arbitror. Quod enim Conſtantinus damnatos in ludum, vel in metallum inſcribi vetuerit, id homines noſtri mites & innocentes, videntur & in fugitiuis recepiſſe, At hæc, non ut aſſeramus, dicta ſint: ſed ut diſſeramus, teruendæ ſtudio veritatis. Porrò de uniuerſa ſtigmatum ratione tractarunt [a] CAESAR BARONIVS, *a loco citato.*

*Quem nunc emeritæ permenſum tempora vitæ,*
*Secreti pars orbis habet, munduſque piorum:*

Et [b] HIERONIMVS ALEANDER meus, Myſta ille Muſarum. *b Comment in inſtit. Caii.* Neque his tantum finibus concluſum fuit ſupplicium fugitiuorum. dati enim ſunt non rarò ad pugnam beſtiarũ. Androclus apud Appionẽ; ſeu [c] Gellium ita de ſeipſo ait; *c lib. 5. c. 14.* *ad dominum ex Africa Romam deductus, is me ſtatim rei capitalis damnandum, dandumque ad beſtias curauit.* Ab hac impia conſuetudine profluxit [d] Caij Imperatoris immanitas; qui multos honeſti ordinis, deformatos prius ſtigmatum notis, *d Suetonius Caio cap. 27* ad metalla, aut ad viarum munitiones, aut ad beſtias condemnauit. Fugitiui nimirum ad manum nõ erant, quos feris obijceret, ſubſtituit igitur honeſtiores homines, ſed inſcriptos prius, ut fronte ſaltem fugitiuos ementirentur. Præterea fuerunt in ludum coniecti, quod ſolemne fuit M. [e] Opelio Macrino Imperatori, *e Capitolinus.* quam ob cauſam illa [f] Iuuenalis, *f Sat. 8.*

—*ſed in magna legatum quære popina;*
*Inuenies aliquo cum percuſſore iacentem,*
*Permiſtum nautis, & furibus & fugitiuis,*
*Inter carnifices, & fabros Sandapilarum.*

ad Gladiatores retulit antiquus Grammaticus. Imò & non fugitivi, atq; adeò innocentes, ut de Spartaco & eiuſdem ſocijs tradidit [a] Plutarchus, cui adſtipulatur [b] Lactantius; *hac conſuetudine*, inquit, *imbuti* (efflagitandi homines ad lanienam) *humanitatem perdiderunt. itaq; non parcunt etiam innocentibus; ſed exercent in omnes, quod in malorum trucidatione didicerunt*. Quæ ſanè arbitrij dominici impotentia impulit [c] Hadrianum Aug. ut vetaret, Laniſtæ ſervum vendi, cauſâ non præſtitâ. Crux ipſa, ut ad fugitivos reuertamur, non infrequens his poſita fuit. [d] Val. Maximus: *quoniam quidem id egerit, ut qui cupiditate vitæ adducti, cruce digniſſimis fugitivis, trophæa de ſe ſtatuere conceſſerant, libertatiq; ſuæ ſervili manu flagitioſum imponi iugum non erubuerunt, &c.* Idem auctor. *hos enim* (Romanos) *tamquam patriæ fugitivos crucibus affixit*.

a in Craſſo.
b lib. 6. c. 20.
c Spartianus.
d lib. 2. cap. 7.
e Loco proxi., n. 12. vide & Polyb. lib. 1. Hiſtor.

## CAPVT IV.

*Quenam complecteretur ius Dominorum in Seruos.*

ET hoc dominicum ius non vitam modò, ſed & alia omnia ſeruorum complectebatur [f] Caius; *igitur quod ſerui noſtri ex traditione nanciſcuntur, ſiue quid ſtipulentur, vel ex qualibet alia cauſa acquirant, id nobis acquiritur. ipſe enim, qui in poteſtate alterius eſt, nihil ſuum habere poteſt*. Itaque filios etiam ſeruos pro-

f L. 10. de acq rer. dom.

crea-

creabant, inter ipſos enim non matrimonium, ſed contubernium erat, ut illi quidem opinabantur. [a] Paulus I. C. *idem tamen quod in ſeruilibus cognationibus conſtitutum eſt, etiam in ſeruilibus affinitatibus ſeruandum eſt, veluti ut iam, quæ in contubernio patris fuerit, quaſi nouercam, non poſſim ducere.* [b] Plautus:

*Sunt hic quos credo nunc inter ſe dicere,*
*Quæſo hercle quid iſthuc eſt? ſeruiles nuptiæ?*
*Serui ne vxorem ducent? aut poſcent ſibi?*
*Nouom attulerunt, quod fit nuſquam gentium.*

Et hoc demum iure nititur Diocletiani, & Maximiani A.A. [c] reſcriptum, ſeruos ob violatum contubernium, adulterij crimine accuſare non poſſe. Si quis autem ſervi alieni corpus, animumve corrupiſſet, ex edicto Prætoris, & lege [d] Aquilia pœnam facti dominus exigebat. Non igitur mirum eſt, ſi domini ſeruos pignori dabant, ſi addicebant, ſi deferebant in cenſu de pignore Papinianus; *Seruo pignori dato, peculium eius creditor, citra conuentionem ſpecialiter ſuper ea [illegible] ceptam, fruſtra diſtrahit.* Servum autem oppigneratum fiduciarium appellat [f] Julius Paulus. de addictione [g] Martialis.

*Addixti ſervum nummis here mille ducentis,*
*Vt benè cœnares Calidore ſemel.*

De cenſu [h] Ulpianus hæc habet; *in ſeruis deferendis obſeruandum eſt, vt & nationes eorum, & ætates, & res, & officia & artificia ſpecialiter deferantur.* Plerumque verò homines etiam liberi addicebantur à Prætore creditoribus ex Lege XII. tabularum, cuius verba ſunt apud [i] Gellium, & meminit [K] Quintilianus. hi autem licet in vinculis eſſent, ſervi tamẽ non erant [l]. Fabius maior contra addictum, qui ſe teſtamento manumiſſum fuiſſe protebatur: *ante omnia ſervus*

a L. 14. de ritu nupt.
b Caſina Prologo.
c L. ſerui 23. ad l. Iul. de adult.
d L. 9. D. Tit. 2. & Lib. 1. Tit. 3.
f L. 1. de pigno.
g l. 10. 31.
h l. 4. de cenſi.
i lib. 20. cap. 1.
K lib 3. cap. 8.
l Declam 311

*hic habet nomen, eſt in cenſu, an in tribu.* infra, *hunc ex quo genere ſeruorum ponitis? dominatum eſſe ſe non dicit, ne emptum quidem aut hæreditate relictum. pendet igitur omnis hæc conditio ex fœnore. quid ſequitur? ut nomen ſit.* Et hi omnes vel pactione, vel debiti repræſentatione liberabantur: *quod ipſum* (inquit Fabius) *ſerui non eſt habere in ſua poteſtate, quando deſinat ſeruire.* At quia nomina quædam, ut appellant Grammatici collectiva, ſervilia hæc recenſentes obſervavimus, noſtrum erat illa indicare.

## CAPUT V.

*De diuerſis appellationibus Seruorum eorumque cauſis.*

*a L. 25. de ædil edit.*
*b lib. 47 Dig.*

FAMILIAE *appellatione omnes, qui in ſeruitio ſunt, continetur*, inquit [a] Ulpianus. huc pertinet [b] Rubrica, *ſi Familia furtum feciſſe dicatur*: & Feſti epitomator, cum eodem [c] Ulpiano, etiam alibi in idem conſentiunt. [d] Phædrus ironicè;

*c L. 195. de verb. ſign.*
*d lib. 3. Fabul.*

*Æſopus domino ſolus cum eſſet familia.*

*e pro Cæcinna.*
*f Appuleius in Apol.*
*g Lib. 1. Saturnal. c. 11 Plautus in Epidico in prin.*
*h Pertinace,*

*Cum unus homo*(ut inquit [e] Cicero) *familia non ſit.* [f] XV. autem ſervis conſtabat familia ad minus, *Domini patresfamilias, ſerui familiares appellati ſunt* (inquit [g] Macrobius) *à maioribus noſtris, quod vellent his vocibus omnem dominis inuidiam, omnem ſeruis contumeliam detrahere*, FAMVLITII nomen idem penitus expreſſit. [h] Capitolinus;

*i Seuero.*

*Superuenerunt autem Pertinaci, cum ille aulicum famulitium ordinaret.* [i] Spartianus: *& poſtera die occurente omni famulitio aulico.* Famulitium à famulo; Famulus à Famel, ſeu Famul Oſco verbo deducta ſunt; & meminerunt Feſtus, Nonius, Ennius Lucretius.

*l Epiſt. 110.*
*m Sat. 12.*

GREX. idem ſignificat [l] Seneca: *hinc puerorum perſpicuos cultu atque forma greges.* [m] Iuuenalis;

*Alter enim, ſi concedas, mactare vouebit*

De

*De grege ſeruorum magna, aut pulcherrima quæq;*
*Corpora* —

Et quidem Cumœdos ſignanter, & Hiſtriones. Petronius

*Grex agit in ſcena mimum: Pater ille vocatur*
*Filius his: nomen diuitis ille tenet.*

Donatus in Adelphos: *hæc ſanè acta eſt Ludis ſcænicis funeribus L. Æmilij Pauli: agentibus L. Ambiuio, & L. Turpione, qui cum ſuis gregibus etiam tum perſonati agebant.* PVER, & PVERI eâdē ratione [a] Paulus *Pueri appellatio tres ſignificationes habet, unam cum omnes ſeruos pueros appellaremus, &c.* [b] Cicero: *nam puer feſtiuus Anagnoſtes noſter Soſitheus deceſſerat, meque plus quàm ſerui mors debere videbatur, commouerat.* huc referenda ſunt Feſti verba. *Quintipor ſeruile nomen frequens apud antiquos erat, à prænomine domini ductum, ut Marcipor, Caipor.* huc [c] Plinij, *ſinguli Marcipores Luciporeſve, dominorum gentiles, victum in promiſcuo habebant.* huc Fabij [d] Quintiliani; *in ſeruis iam intercedit illud genus, quod ducebatur à domino: unde Marcipores, Publiporeſq;* hinc lucem accipit vetus inſcriptio quæ & ad Libertos hoc transferre videtur.

a l. 204. de verb ſign.
b lib. 1. ad At.
c lib. 33. c. 1.
d lib. 1. cap. 4.

P. RVBRIO. LATINO
SICINIVS. P. POR. PATRONO
SVO. B. M

Marcipores autem & Publipores dicebantur, quaſi Marci, & Publij pueri, ut docet [e] Priſcianus, pueri id eſt ſervi. quo ſpectat forte [f] Varronis obiurgatio; *quotuſquiſque iam ſeruos habet priſcis nominibus?* Quæ omnia faciunt, ut ſerui nomen apud [g] Aſconium reſtituendum putem; *& cum puer ante ſubtractus eſſet, de ſeruo Alicore quæſtionem ita habuiſſe, ut eum articulatim conſecaret.* pro Alicore lego Aulipo-

e lib. 6.
f lib. 8. de L. L.
g in Milonianam.

re, ad præſcriptum eorũ, quę diximus. PAEDAGOGII etiam nomine venerunt ſervi, licet non omnes promiſcuè. [h] Ulpianus; *ſi inſtructum fundum legaſſet, ea Pædagogia, quæ ibi habebat, ut cum eo veniſſet, præſto eſſent in triclinio, legato continentur.* [i] Seneca: *quare Pædagogium precioſa veſte ſuccingitur?* [l] Idem: *omnium Pædagogia oblita facie vehuntur, ne Sol, ne frigus teneram cutem lædat.* [a] Tertullianus; *cum de Pædagogijs aulicis, neſcio quem, cynædum deum facitis.* [b] Ammianus Marcellinus de Procopio tyrranno; *ſtetit itaque ſubtabidus (excitum putares ab inferis) nuſquam reperto paludamento, tunica auro diſtincta, ut regius miniſter, indutus à calce ad pubem in pædagogiani pueri ſpeciem, purpereis opertus tegminibus pedes, haſtatuſque; purpureum itidem pannulum læua manu geſtabat, ut in theatrali ſcæna ſimulachrum quoddam inſigne, per aulæum, vel mimicam illationem ſubitò putares emerſum.* Ex his patet opinor, è quo genere ſeruorum Pædagogium conſtaret. SERVITIVM, & SERVITIA familiam uniuerſam complexa ſunt. [c] Cicero: *quid magis deformatum, inquinatum, peruerſum, conturbatum dici poteſt, quàm omne ſeruitiũ permiſſu magiſtratus liberatum, in alteram ſcænam immiſſum?* [d] Columella, *Villicum fundo, familiæque præponi conuenit, ætatis nec primæ, nec ultimæ; nam ſeruitia ſic tirunculum contemnunt ut ſenem.* At ſi ſervos homines non eſſe nonnullis (ut vidimus) aliquando placuit; non ideò tamen ablatum etiam illis hominis nomen eſt. HOMO enim abſolutè ſervum expreſſit. [e] Cato: *Villicum, Villicam, operarios V. Bubulcos III. Subulcum I. Aſinarium I. Opilionem I. ſumma hominum XIII.* [f] Catulus;

*— ære comparaſti*
*Ad Lecticam homines —*

alij

h L. Quæſitum de fundo inſtru.
i de beata vita cap. 17.
l Epiſt. 123.
a in Apologetic.
b lib. 26.
c de haruſp. reſp.
d Lib. 11.
e Tit. 10.
f Carm. 10.

alij paſſim. Domi autem natos VERNAS appellabant. Adamnatius Martyrius: *ſi enim Berna domi gentiũ ſignificet, id eſt, οἰκογενής.* Et ab hac voce VERNACVLI quibus infenſus fuit Imperator [h] Vitellius. quorſum enim ibi ſubſtituamus divinaculos, aut vernaculos? Signat autem Svetonius plebeculam Romanam, de cuius dicacitate hæc habet [a] Tertull. *ipſos Quirites, ipſam vernaculam ſeptem collium plebẽ conuenio, an alicui Cæſari ſuo parcat illa lingua Romana?* notauit pridẽ & [b] Martialis. *Vernaculorum dicta, ſordidum dentem,*

*Et fœda linguæ probra circulatricis.*

Et hæc eſt vernacula multitudo [c] Tacito; *quæ militaribus numeris per dilectum inſerta, laſciuiæ ſueta laborum intolerans, ſeditionem (conciuit) hæc Taciti non ſunt in caſtris inſignem illam, quæ Germanicum Cæſarem, florem illum domus Auguſtæ non tralatiè exercuit.* Tetigit & Cicero aliquando, ut cum recenſuit imaginem antiquæ, & vernaculæ feſtiuitatis, ſaporem [e] vernaculum, crimen domeſticum, ac [f] vernaculum. Et quidem [g] Felix Romulum, Picum, Tiberinum, Conſum, Pilumnum, Picumnum, eâdem ratione Romanorum dixit vernaculos Deos; eâdem Petrus [h] Diaconus Ætnæ incendium Siciliæ, appellauit vernaculum genus monſtri. domeſticum videlicet quidpiam, & nativum cupiebant ſignificare. Hinc natum proculdubio eſt, ut vernaculos nominarent domeſticos ſervos. [i] Marcianus Capella: *famulitium Veneris, vernaculæque Bromiales, tantos cachinnos concuſſis admodum tulere ſingultibus, ut quamplures alios connisos cohibere riſum, hoc maximè in petulantis proruptionis ſonitum effuſi; cachinni licentia prouocarint.* [l] Appuleius; *quàm ſalnè agit* (inquit) *Demeas noſter? quid uxor? quid liberi? quid vernaculi?* [m] Paulus Diaconus; *Didymus*

g apud Caſſiodorum.
h Sueton. cap. 14.
a Apolog.
b lib. 10.
c lib. 1. annual.
d lib 9. ab ſamil.
e de clar. orat.
f V. in Verrẽ
g in Octauio.
h lib. 4. Hiſto. miſc.
i lib. 8.
l lib. 1. metamor.
m lib. 13. de geſt. Rom.

*dymus & Viridianus acceptis proprijs ſervulis, & vernaculis &c.* Sacræ [m] Geneſi interpres, & acta Synodi Rhemenſis. Et ſanè aliquando & ipſa Vernæ vox latiore aliquanto, quàm diximus, notione accepta eſt. [a] Martialis:

> *Non de plebe domus, nec avaræ verna cataſtæ,*
> *Sed domini ſancto dignus amore puer.*

Ubi notandum eſt, Mancipariοs, Mangones, Venalitiarios, Cataſtis aſſervaſſe pueros venales. Idem [b] Martialis.

> *Sed quos arcanæ ſervant tabulata Cataſtæ,*
> *Et quos non populus, nec mea turba videt.*

[c] Plinius: *talem in Cataſta videre Chryſogonum Syllæ.* [d] Svetonius; *Laberius Hiera emptus de Cataſta,* Eorũdem venalium nota erant gypſati pedes. [e] Tibullus;

> *Nota loquor. regnum ipſe tenet, quem ſæpè coegit*
> *Barbara gypſatos ferre Cataſta pedes.*

[f] Ovidius:

> *Nec tu, ſi quis erit capitis mercede redemptus,*
> *Deſpice gypſati crimen inane pedis.*

[g] Plinius de creta diſertis verbis; Iidem Mangones (& erit loco appendicis) *ſervos nouitios apud Publicanos profitebantur.* [h] Marcianus; *quoties quis mancipia invecta profeſſus non fuerit, ſive venalia, ſive uſualia, pœna commiſſi eſt: ſi tamen novitia mancipia fuerint, non etiam veterana.* [i] Fab. major de Mangone, qui novitium puerum prætextâ induit, *circumſcribere vectigalia P. Romani voluiſti: ſpecie prætextati imponere Publicano voluiſti.* Novitia verò mancipia ideò vectigalia erant, quia à venalitiarijs pluris, quam veterana vendebantur. [l] Svetonius de Cæſare, *ſervitia recentiora, politioraque immenſo precio, & cuius ipſum etiam puderet, ſicut rationibus vetaret, inferri* [m] Ulpianus:

ſſæ-

m Cap. 14. & 15.
a L. 6. 29.
b Lib. 9. epigr. 60.
c lib. 35. c. 18.
d de illuſtr. Gramm.
e Lib. 2. de Cataſta, Marcilius ad Sat. ultim. Perſii. Gallonius de cruciat. SS. mart. cap. 3. Baron. in not. ad martyrol. 16. Martii. Pameiius ad Cyprian. epiſt. 33.
f lib. 1. Amor. El. 8.
g lib. 35. cap. antepenult.
h L. 16. de publ. & Vect.
i Declam. 340.
l cap 47.
m L. 36. de ædil. ed.

*præcipiunt Ædiles, ne veterator pro novitio væneat. Et hoc edictum fallacijs venditorum occurrit. ubiq; enim curant Ædiles, ne emptores à venditoribus circumveniantur. ut ecce plerique ſolent mancipia, quæ novitia non ſunt, quaſi novitia diſtrahere, ad hoc ſcilicet ut pluris vendant.* Quod autem tangit Ulpianus de cura Ædilium, id vero confirmat [a] Gellius dum ſcribit, venalitiarijs edicto Ædilium præceptum fuiſſe, ut proponerent titulum ſuorum ſingulorum, in quo morbi, vitiave eorum continerentur: an errones, an fugitivi, noxave non ſoluti eſſent. Veterator autem ille eſt ex [b] Venuleio, qui ex venalitio noviciorum emptus, alicui miniſterio præpoſitus, novitium autem non tyrocinio animi, ſed conditione ſervitutis intelligi: nec ad rem pertinere Latinè ſciat necne nec ob id veteratorem eum eſſe, ſi liberalibus ſtudijs eruditus ſit. At [c] Marcianus contrahit hæc in fauorem Publicanorum; *Sunt* (inquit) *veterana, quæ anno continuo in urbe ſervierunt; nouitia autem mancipia intelliguntur, quæ anno nondum ſervierunt.* Fallacias, & præſtigias venditorum, quarum meminit Ulpianus; indicabit nobis unico argumento [d] Plinius cum racenſeat, non ſemel artes manciporiorum, qui avertebant pubertatem venalium. Ad quam turpitudinem præterea inſtitutæ fuerunt in urbibus [e] officinæ, ubi molles pice obliti à vulſoribus, depiles, & glabri fiebant. Nec aliò pertinebant in Commodiana ſuppellectili [f] Samnitica vaſa, calefaciendæ, ſeu [g] tabefaciendæ reſinæ, ac pici. Neque malè omninò [h] Ælianus qui Tarentinos notat, & Tyrrhenos ex viris ſtuduiſſe, ut mulieres facerent. Primi quippe Tarentini cutem corporis lævigarunt, ut apud [i] Athenæum tradit Clearchus.

[a] *lib. 4. cap. 2.*
[b] *l. ult. de Ædil. ed.*
[c] *L. 16. de pub. & vect.*
[d] *lib. 21. c. 26. lib. 30. cap. 5. lib. 32 cap 10.*
[e] *Clemens Alexandr. Pæd. lib. 3.*
[f] *Capitolinus in pertinace.*
[g] *ſcriptura veteris codicis.*
[h] *lib. 13. de Hiſt. an.*
[i] *lib. 12.*

D Empto-

l in Apologia.
Emptores verò morbos,& vitia mancipiorum ſedulò explorabant. l Appuleius: *cum incenſus Gagates lapis (ut apud Phyſicos lege) pulcrè, & facilè hunc morbum* (comitialem) *exploret. cuius odore etiam in venalitijs vulgo ſanitatem, aut morbū venalium experiantur. etiam orbis à figulo circumactus, nō difficile eiuſdem valetudinis hominem vertigine ſuo corripit.* a Claudianus,

a Lib. 1. in Eutrop.

*—quot iura quot ille*
*Mutauit tabulas, vel quanta vocabula vertit?*
*Nudatus quoties Medicum dum conſulit emptor?*

b L. 1. aduerſ. Iouinien.
D. b Hieronymus ex Theophraſto: *Equus, Aſinus, Bos, Canis, & viliſſima mancipia, veſtes quoque & lebetes, ſedi le ligneum, calix, & urceolus fictilis probantur prius, & ſic emuntur.* Neque his tantum experimentis venditorum fraudes cohibitæ ſunt; ſed & c cautionibus de ſanitate ſervorum interpoſitis, quas excogitavit fortaſſe Manilius (ſiue ille Mamilius) cuius leges venalium vendendorum tetigit d Cicero, quarumq; apud e Varronem videtur exſtare veſtigium; Hæ tamen ab illis non videntur receptę, qui ad f Caſtoris negociabantur, nequam mancipia ementibus, vendentibusque, quorum tabernæ peſſimorum ſervorum turba erant refertæ. Cæterum quiſquis ſpecimen venditionis mancipiorum intueri volet, is legat g Lucianum, apud quem præconia quæ venditor non tenebatur præſtare, exprimuntur; emptoris nomen & patria in tabulas referuntur, cum ſolemni illa præfatione, ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ, quæ reſpondet illi alteri apud noſtros, quæ * B. & F. notabatur. Atqui (ut eò revertamur, unde ſumus digreſſi) Libellos domi natos h Martialis vernulas vocat, qua eadem voce non ſemel utitur i Petrus Chryſologus, eruditiſſimus, & ſua-

c L. ex mandati.
d L. de Orato.
e Lib. 11. de R. R. cap. 3. 5. 7
f Seneca in ſap. non cad. iniur. cap. 3.
g in vitarum auctione.
* BONVM FACTVM.
i libro 5.
k Sermone 6.

& ſuaviſſimus, tractator, laxiore tamen ſignificatione: *erat homo peccati ſervus; erat captivus mortis: erat mancipium dæmonum: erat idolorum vernula: erat vitiorum verbero: erat criminum compeditus.* [a] Idem: *in homine agebat Deum, in ſervo dominum; ut eſſe vernula temporis qui erat & factor, & cognitor ſæculorum.* Ipſi autem ſervi hac ſibi videntur vernæ appelatione blanditi. Romæ legebatur. a Serm. 16.

FVSCVS. AVGG.
NOSTRORVM
VERNA
VILLICVS
TVTELÆ
VOTVM
REDDIDIT

Ibidem:

LVCIDAE. AVG. VERNAE
MARITAE. INCOMPARABILI

Ibidem in veteri monumento poſt alia legitur, LEONAS AVGG. VERNALIS ſcilicet occinere illis licebat, ut apud [b] Statium eſt; b Lib. II. Sylu.

*Hinc domus, hinc ortus, dominiq. penatibus olim*
*Carus uterque parens* —

Alioqui vernilitas malè audivit. vernæ enim nomine ſcurram accepit [c] Martialis. c Lib. 1. 38.

*Vrbanus tibi Cæcili videris;*
*Non es, crede mihi. quid ergo? verna es.*

Et verniliter dicere quidpiam, adulatoriè dicere eſt; quod vernæ adulari conſueviſſent & ſcurrari. alludit [d] Horatius; d lib. 2. Sat. 6.

*Ergo ubi purpurea porrectum veſte locavit*
*Agreſtem, veluti ſuccinctus curſitat hoſpes,*

*Continuatque dapes; nec non verniliter ipſis*
*Fungitur officijs, prælambens omne, quod affert.*

Reliquum eſt poſtremum cultioris, & junioris familiæ nomen; COMATORVM videlicet, CRINITORVM, ſeu CAPILLATORVM. [a] Martialis;

[a] Lib. 12. 71.

*O quantum Diatheca valent, & quinque comati!*
*Tunc cum pauper erat, non ſitiebat Aper.*

[b] Virgilius: —— *cithara crinitus Iopas*
*Perſonat aurata,* —— ubi Servius; *aut puerum intellige, aut imitabatur Apollinis formam, cuius fuerat etiam artis imitator.* [c] Seneca; *nam ſi pertinere ad te judicas. quam crinitus puer, quàm perlucidum tibi poculum porrigat, non ſitis.* παῖδυας κομήτας appellat Lucianus. [d] Claudianus,

[b] lib. 1. Aen.
[c] epiſt. 119.
[d] de bello Gildon.

*Crinitos inter famulos, pubemque canoram,*
*Orbatas iubet ire nurus* ——

Cultioris familiæ dixi, quoniam apud divites, & fortunatos tantum ſpectabantur hę deliciæ. [e] Iuvenalis de cœna pauperis;

[e] Sat. 11.

*Plebeios calices, & paucis aſſibus emptos,*
*Porriget incultus puer atque à frigore tutus;*
*Non Phryx, aut Lycius, non à mangone petitus*
*Quiſquam erit in magno, cum poſces poſce Latinè,*
*Idem habitus cunctis, tonſi rectique capilli,*
*Atque hodie tantum propter convivia pexi.*

Ubi vetus interpres illa verba, *tonſi, rectique,* explicat, non comati. Dixi junioris familię nomen, quia vel ex voto crinem, quem Deo paſcebant tondere conſueverant, vel in ipſo virilitatis adventu, ut indicant [f] Martialis, [g] Lucianus, & [h] Cenſorinus. Addamus & novę nuptę imperium, & manum non regiam ſed tonſoriam in huiuſmodi capillatos. [i] Martialis:

[f] Lib. 1. & 9.
[g] de Syria Dea.
[h] de die Natali cap. 1.
[i] lib. 11. 79.

*Flam-*

*Flammea texuntur ſponſæ, iam virgo parata eſt*
*Tondebit pueros iam nova nupta tuos*

Verum quoniam apud I Ctos noſtros, nec non & apud ali os quoſdam auctores, obſervavimus, communes aliquot, & quidem non infrequentes, ſervorum appellationes; ideò & has illis ſubiungemus. Sunt autem, Vſuarij, Fructuarij, Vicarij, Vicariorum vicarij, Peculiares, Communes, Dotales, Receptitij, Hereditarij, Caſtrenſes, Ordinarij, Peculiati, Vulgares & Publici. De PVBLICIS notandum eſt, publico ære fuiſſe [a] emptos, pleriſque magiſtratibus [b] apparuiſſe, horum & lictorum fuiſſe functos [c] officio, quandoque etiam [d] Scribarum. Horum aliqui voce valdè apta, ſed penè obſoleta, LIMOCINCTI appellati ſunt, ut legimus in antiqua ærea tabulâ, apud CAESAREM NICHESOLAM patricium, & Canonicum Veronenſem, qui nuper defunctus, nobis triſte ſui deſiderium reliquit;

[a] Dionyſ. lib 1 Liuius lib. 1. & 9.
[b] Frontinus de Aquæd.
[c] Petronius.
[d] L 3. c. de ſer. Reip manum.

HONORI
M. GAVI. M. F
POB. SQVILLIANI
EQ. PVB. IIII. VIR. I. D.
IIII. VIR. AP VB
CVRATORI. VICTINOR
APPARITORES. ET
LIMOCINCTI
TRIBVNALIS. EIVS.

[e] Tiro Tullius M. Libertus: *Lictorem vel à limo, vel à licio dictum* ſcripſit, *Licio enim tranſverſo, quod limum appellatur, qui magiſtratibus* (inquit) *præminiſtrabant cincti erant.* [f] Iſidorus; *hinc & limus vocabulum accepit, cingulum, quo ſervi publici cingebantur obliqua purpura.*

[e] Gellius lib. 12. cap 2.
[f] lib. 15. c. 14.

Idem

a lib. 19. orig. cap. 22. Idē: [a] *Limus eſt veſtis, quæ ab umbilico uſq; ad pedes producitur, hæc autem veſtis habet in extremo ſui purpurā limam, id eſt flexuoſam, unde & nomen accepit. nam limum obliquum dicimus.* & alibi; [b] *Limus eſt cinctus, quem publici habent ſervi; & dictus Limus, quia tranſuerſas habet purpuras, id eſt limas.* Hi autem ſervi publici pro quolibet civium [c] ſtipulabantur, pecuniam publicā à debitoribus [d] exigebant, cuſtodias [e] adſervabant. Sacra curaſſe argumento eſt factum [f] Potitiorum, qui ſervos publicos ſacra Herculis docuerūt, cuiuſmodi videntur fuiſſe & Martiales [g] Larinates miniſtri publici, Marti deo ſacri; nec non & Calatores, qui apud Feſtum leguntur, ſi Scaligerum audimus. Eorum fuit aliquis in triumpho uſus. [h] Iuvenalis;

b lic. 19 c. 33.
c L. 1. de magiſtr. conuen.
d L. 19. de cōpenſ.
e Plin. lib. 10 ep. 30.
f Liuius Val. Max. & alij.
g Cicero pro Cluentio.
h Sat. 10.

*— magnæque coronæ*
*Tantum orbem, quanto cervix non ſufficit ulla?*
*Quippe tenet ſudans hanc publicus, & ſibi conſul*
*Ne placeat, curru ſervus portatur eodem.*

Et hæc ſunt (ni fallor) quæ [i] Labeo vocat publica miniſteria. An verò eadem ratio ſit Publici, qui apud [k] Langobardos legitur, aliorum eſto judicium. Luitprandus Rex; *inſuper & Publicus in quo loco factum fuerit, comprehendat ipſas mulieres, & faciat eas decalvare & fruſtrare per vicos vicinantes,* & ſanè Leges eius gentis non ſemel Publici meminerunt huius generis ſervos poſſidebant [l] Civitates, & Provinciæ. Romæ in veteri Elogio:

i L. 11. de ſeru. fug.
k LL. Longobard. Tit. ex edit. Baſil.
l L. 6. de rer. diu.

DIS MANIB

ATTICO III. PROVINCIARVM
GALLIARVM SERVO
C. LICINIVS. IANVARIVS

PARENTI OPTVMO
ET. LICINIA CALLIOPE
CONIVGI
SANCTISSIMO.

Item [a] Municipia, [b] Collegia, [c] Decuriæ, [d] Fiſcus, [e] Societates, [f] fana [g] Curiæ [h] Corpora. Seorſum ab his quos diximus, fuit olim Romæ familia publica, quæ incendia reſtingueret. [i] Seneca: *intervenerunt quidam amici, propter quos maior fumus fieret: non hic, qui erumpere ex lautorum culinis, & terrere* VIGILES *ſolet; ſed hic modicus, qui hoſpites veniſſe ſignificaret*. Et hi quidem Senecę vigiles ad [k] Auguſtum pertinent, qui reiecta IIIvirûm nocturnorum, Ædilium, & Tribunorum plebis cura, per ſe maluit huic rei conſuli, inſtituto [l] Præfecto vigilum, cui id muneris demandatum eſſe voluit. De familia illa veteri Julius [m] Paulus, qui ſcribit, *circa portas, & muros fuiſſe diſpoſitam, unde ſi opus eſſet, evocabatur*. Eiuſdem [n] Auguſti liberalitate factum eſt, ut familia aquaria legata ſibi à M. Agrippa publica eſſet. In ea connumerabantur AQVARII, qui aquam publicam è caſtellis erogabant; ad quorum ſimilitudinem erant & in familia priuata, qui ſalientes [o] curarent. in publica cenſebantur CVRATORES, qui aquas, & caſtella cuſtodirent, alio nomine CASTELLARII. antiqua inſcriptio

*a b c d L. 25. de acq. her.*
*e f Varro lib. 4. de L. L.*
*g Terentius.*
*h L. 10. de in ier vcc.*
*i Ep. 65.*
*k Sueton. & Iob. Xiphilin.*
*l L. 1. de off. Præf. vig.*
*m eodem Tit.*
*n Frontinus de aquæd.*
*o Iul. Paullus lib. 3. Sent. Tit. 8.*

D M
CLEMETI. CAESAR
VM. N. SERVO. CASTE
LLARIO AQVAE CL
AVDIAE &c.

Ex qua inſcriptione cõprobatur [p] Frontini dictum; *p Lib. 2.*

*Aqua-*

*Aquariorum familias duas eſſe, alteram publicam, alterā à Ti. Claudio Cæſ. conſtitutam*. SILICARII ſtratas ſilice vias perrumpebant, ad ſubditos aquarū ductus reparandos, ut etiam hodie Romę fieri vidimus. TECTORES caſtella, & opus arcuatum tegebant. VILLICI calices, & fiſtulas ſignabant. APVNCTIS ex publicis fiſtulis aquas in privatum uſum derivabant. NATIONES, *quæ ſervos promebant, emptores* (inquit [a] Ulpianus) *provocabant, aut deterrebant*. [b] Varro: *itaque in hominibus emendis, ſi natione alter eſt melior, emimus pluris*. Quædam enim probæ cenſebantur, quædam improbæ. [c] ALEXANDRINI nequitijs. ſalibus, cantu cætero antecellebant. [d] Seneca: *pueros quidam in hoc mercantur procaces, & eorum impudentiam amant, & ſub magiſtro habent, qui probra meditatè effundant: nec has contumelias vocamus, ſed argutias*. [e] Quintilianus: *verba ne Alexandrinis quidem permittenda delicijs riſu, & oſculo excipimus* ASIATICI forma. [f] Juvenalis;

> *Flos Aſiæ ante ipſum precio maiore paratus,*
> *Quàm fuit & Tulli cenſus pugnacis, & Anci.*

Inter quos nominatim PHRIGES, & LYCII. [g] Idem;

> *Non Phryx, aut Lycius, non à Mangone petitus*
> *Quiſquam erit in magno* ——

[h] SYRI, [i] MAEDI, [k] MOESI, [l] GALLI, [m] BITHYNI, [n] CAPPADOCES, [o] LIBVRNI, viribus valentes, ad onera, & lecticam parabantur. [p] CORSI feri, & ſocordes, quos domini ne exiguo quidem precio emptos vellent. [q] SARDI nequam. [r] CAPPADOCES ſtupidi. [ſ] BRITANI proceri: ideoque ab Auguſto ad officia theatralia donati, auctore Seruio ad illa [t] Virgilij,

> —— *utque*
> *Purpurea intexti tollant Aulæa BRITANNI.*

Velarij videlicet theatrales, de quibus infra. De

ſer-

[a] *L. 31 de ædil.*
[b] *lib. 8. de L. L.*
[c] *Martialis lib. I. Petroni.*
[d] *in Sapien' non cad. iniur. cap. 11.*
[e] *Lib, I. ca. II.*
[f] *Sat. 5.*
[g] *Sat. 11.*
[h] *Martialis lib 7 & 9.*
[i] *Iuuen. Sat. 7*
[k] *Sat. 9.*
[l] *Clē. li. 3. pæd*
[m] *Lucianus, Catullus.*
[n] *Martia li 6.*
[o] *Iuue. Sat. 3.*
[p] *Strabo lib. 5.*
[q] *Adagium.*
[r] *Cic. poſt red. in Sen.*
[ſ] *Strabo lib. 4.*
[t] *lib. 3. Georg.*

ſervorum NOMINIBVS, immenſa propemodum tractatio eſſet, cum penè infinita & ad libitum fuerint. Illud è [a] Strabone admonuiſſe ſufficiet, Dacos, & Getas apud Athenienſes fuiſſe nominum ſervilium ſegetem. cujuſmodi ſunt Myſis, Syrus, Phrygia, Lydus, Japix, ſervis impoſita à regionibus nomina. [b] Varro: *ſic tres cum emerunt Epheſi ſingulos ſervos, nonnumquam alius declinat nomen ab eo, qui vendit Artemidorus, atque Arteman appellat: alius aut ab regione, quod ibi emit, ab Jonia Jonem: aut ab urbe Epheſo Epheſium: ſic alius ab alia aliqua re, ut viſum eſt*. antiquus [c] gloſſator Juvenalis ad illud.

[a] Lib. 7.
[b] Lib. 7. de LL.
[c] Sat. 6.

*Quam quæ longorum vehitur cervice Syrorum,*

*Verbo*, inquit, *uſus eſt Comico, nam antiquitus ſervis nomina ex gentibus ſuis ponebantur, ut apud Terentium frequenter legimus*. At de his hactenus.

## CAPUT VI.

*De Seruis priuatis, ut primò de Viris, & mulieribus, varia medicorum munera exercentibus.*

PRivata nunc nobis producenda in proſpectum familia eſt, quod commodius fiet, ſi urbanam à ruſtica ſe poſuerimus [d] Paulus ICs. quærens, qua ratione urbana mancipia ſeorſum à ruſticis componi poſſint, inquit; *dicendum eſt autem, quod urbani intelligendi ſint, quos pater familias inter urbanos adnumerare ſolitus ſit; quod maximè ex libellis familiæ, item cibarijs deprehendi poterit*. Verùm quia nos huiuſmodi libelli & tabulæ domeſticæ deſtituunt, eâdem fortaſſe methodo rem totam inueſtigabimus. Omnes enim conijciemus in urbanam familiam, quotquot in urbe cultui dominico, & urbicæ negociationi

[d] L. 97. de Leg. 3.

adhibebantur. Item eos, qui ædium partibus nomenclaturam debent; & hoc ex officiorum civilium, urbanique ſplendoris ratione:cum villas,utut conſtructas ad exemplar ædium urbanarum, deſertas tamen, & ſub unius imperio Villici, ruſticorumque tutela per anni dodrantem, non raró eſſe paterentur. Neque eos omittemus, qui & urbani, & ruſtici dici poterant: *urbana enim, & ruſtica familia non loco*(inquit [a] Pomponius) *ſed genere diſtinguitur*. Exordiemur autem à MEDICIS, quos familiares fuiſſe teſtantur [b] Svetonius, & [c] Seneca qui Domitium Corfinio incluſum, à ſervo prius,quàm à Cæſare ſervatum ſcribunt. Clariſſimè [d] Paulus Oroſius; *adeò dira Romanos fames conſecuta eſt, ut Cæſar Læniſtarum familias, omneſque peregrinos, ſervorum quoque maximas copias, exceptis Medicis, & Præceptoribus, trudi urbe præceperit*, blando nimirum miſterio, & tunc id Auguſtus indulſit, & longè poſt [e] Juſtinianus, ut ſupra omnia ſervorum artificia æſtimaret. Horum aliqui CHIRVRGI fuerunt, ſeu Medici Vulnerum, ut appellat [f] Plinius. Romæ legebantur:

a L. 156 de verbor ſign.

b Nerone c. 4.

c L. 3. de Benef. cap. 24.

d Lib. 7. ca. 3.

e L. 3. c. com. de Leg. L. 1. C. de comm. ſer. manum.

f Lib. 29. cap.

CHRESTAE. CONSERVAE. ET. CONIVGI

CELADVS. ANTINOVS. DRVSI

MEDICVS. CHIRVRG.

&c. Et hujus fortè Celadi meminit Svetonius, ſub corrupto Enceladi nomine. aliqui OCVLARII, ſeu AB OCVLIS, quales P. ATTIVS. ATIMETVS. AVG. MEDICVS. AB OCVL; & Celadi Antinoi alumnus Lyrius, cui elogium deſcripſimus Romæ propè collem Hortulorum.

TI. LYRIVS. TI. CAESARIS

AVG. SER. CELADIANVS

ME-

MEDICVS OCVLARIVS
PIVS PARENTIVM SVGRVM &c.

Celadus enim Grammaticus, cujus meminit [g] Juvenalis, & [a] Celadus C. Cæſaris Diſpenſator, huius loci non ſunt. Celadianus autem à Celado (ut vidimus) dictus eſt. Quæ ſanè denominandi ratio admodum recepta fuit in ſervis apud noſtros, ut videlicet ab illo, qui inter ipſos familiam veluti duceret, nominarentur. Ita à Creſcente Creſcentianus, à Theamide Theamidianus, ab Euphemo Euphemianus, à Thamyra Thamyrianus. Imò & à dominorũ nominibus aliquando eadem manavit appellatio; ut à Germanico Germanicianus, à Cæſare Cæſarianus, ab Herode Herodianus. Quod enim apud D. [b] Matthęum vulgata editio habet: *mittunt ei diſcipulos ſuos cum Herodianis*, Euangelium Hebraicum Matthæi à [c] IOH. TILIO Epiſcopo Briocenſi editum, habet ad verbum; *& miſerunt ad eum diſcipulos cum ſervis Herodis, dicentes, Magiſter, ſcimus, quòd homo veritatum tu*. Quod ſanè gloſſema non video, cur doctis viris placere non poſſit, cum à vetuſto illo, quẽ tetigimus, more proficiſcatur, & dirimat fortaſſe omnes de Herodianis interpretum controuerſias apud Euangeliſtam. Ocularios recenſuit non ſemel & [d] Scribonius Largus, qui & [e] Atimetum nominat. Et de his demum medicis illud utique eiuſdem [f] auctoris ſine mendacio prædicari poterat: *multos itaque animaduertimus, unius partis ſanandi ſcientia, medici plenum nomen conſecutos*. CLINICI aliqui, CHIRVRGI, & OCVLARII ſimul; ut Eros ille, qui manumiſſus P. DECIMIVS P. L. EROS MERVLA ſcribitur Aſſiſij in antiquo titulo, ubi is notatur pro libertate dediſſe H S. Iↄↄ. [g] Seneca in eamdem ſententiam:

[g] Sat. 12.
[a] vet. inſcr.
[b] cap. 22.
[c] Anno MDLV.
[d] cap. 38.
[e] cap. 110.
[f] in præfat.
[g] Ep. 80.

tentiam: *quid autem melius potes velle, quàm eripere te huic ſervituti, quæ omnes premit, quam mancipia quoque conditionis extremæ, & in his ſordibus nata, omni modo exuere conantur; peculium ſuum, quod comparaverunt ventre fraudato, pro capite numerant.* Clinicos non malè nos Lectularios interpretabimur [a] Martialis,

a lib. 1. 87.

*Chirurgus fuerat, nunc eſt Veſpillo Diaulus,*
*Cœpit quo poterat Clinicus eſſe modo.*

Clinicum vocat veſpillonem, ut qui lectos elatorũ tractaret. Nec ſanè ad vivos tantum medicorum ſervorum opera pertinuit, ſed etiam ad mortuos, quando legimus præcepiſſe [b] Joſephum ſervis ſuis Medicis, ut patris defuncti cadaver aromatibus cõdirent. Apud Ægyptios enim moris fuit hoc exequi previa diſſectione, quę non niſi peritis mandari poterat, ut monuerunt [c] Herodotus, & [d] Diodorus. Et hoc Ægyptiorum inſtitutum amplexati ſumus, & nos in Principibus viris, traditum videlicet à majoribus. D. [e] Gregorius: *nam Illuſtris vir Stephanus, quem bene noſti, de ſemetipſo mihi narrare conſueverat; quia in Conſtantinopolitana urbe pro quadam cauſa demoratus, molæſtia corporis ſuperveniente, defunctus eſt. cumque Medicus, atque Pigmentarius ad aperiendum eum, atque condiendum eſſet quæſitus, & die eodem minimè inventus, ſubſequente nocte corpus jacuit inhumatũ.* Et huius profectò claſſis eſt ſervus POLLINCTOR, cuius meminit [f] Ulpianus ex Labeone. Deligebantur autem ad miniſterium funeris SVCCOLLATORES, & VSTORES ex infima ſervitute homines, inſcripti, & ſemiraſi, cujuſmodi in piſtrinum, & in metallum dabantur. [g] Martialis;

b Geneſ. c. 50.
c Lib. 2.
d lib. 1. p. 11. cap. 5.
e Lib. 4. Dial.
f L. 5. de Inſtitor. act.
g Lib. 8. 75.

*Quatuor inſcripti portabant vile cadaver,*

Acci-

*Accipit infelix qualia mille rogus.*

a Catullus, a 60.

*Cum devolutum ex igne proſequens panem,*

*A ſemiraſo tonderetur uſtore.*

De quattuor gerulis ſubſcribit Martiali a Petrus Chryſologus, *in obſequium diuitis migrat hic tota civitas, cum funus effertur. pauper vadit ſolus. pauperem duorum portat miſeratio baiulorum: nec quatuor ut mortuos, ſed duo ſub uno vecte quaſi proijciendo oneri portitores addicuntur inviti.* idem auctor: *funus diuitis antecedit lugubris turba ſervorum.* inter quos videntur fuiſſe inſerti ORCINI, & PILEATI, *heſterni Quirites*, ut appellat Perſius, de quibus clariſſimus b CVIACIVS. Auguſtorum familia agnovit etiam PRINCIPEM MEDICORVM, ARCHIATRVM; quem, ut in antiquo titulo eſt. ipſi vocabant SVPERPOSITVM Medicorum. Neque verò Medici tantum, ſed & MEDICAE fuerunt in uſu antiqua inſcriptio,

a Serm. 115.

b Lib. 3. obſ. cap. 23.

SECUNDA
LIVILLÆS
MEDICA

Et hæ videntur gynæcia curaſſe, & curam adhibuiſſe mulierum paſſionibus. Quare non malè (ut alij etiam animadverterunt) notavit Anianus ad Paulum; *quoties de mulieris prægnatione dubitatur, quinque obſtetrices, id eſt Medicæ, ventrem iubentur inſpicere.* Jam verò TRACTATRICES quæ corpus fricabant, Medicarum miniſtras fuiſſe arbitror, ut TRACTATORES Medicorum. c Martialis:

c Lib. 3.

*Percurrit agili corpus arte Tractatrix.*

Nec aliud intellexiſſe videtur d Seneca: *an potius optem, ut malaciſſandos articulos exoletis meis porrigam, ut muliercula, aut aliquis in mulierculam ex viro verſus, digitulos*

d Epiſt. 66.

*gitulos meos ducat? quid ni ego feliciorem putem Mucium, qui ſic tractavit ignem, quaſi illam manum Tractatori præſtitiſſet?* Medicis IATRALIPTAS adiungemus. [a] Plinius: *nec fuit poſtea quæſtus modus; quoniam Prodicus Selymbriæ natus diſcipulus eius, inſtituens quam vocant Iatralipticen, reunctoribus quoq; Medicorum, & Mediaſtinis vectigal invenit*. Romæ legebatur in veteri inſcriptione,

[a] lib. 29. c. 1

DIIS. MANIBVS. S
TITO FLAVIO. OLENO
SERVO. ET. PROCVRAT.
BALNEI. T. FLAVI. AVC
VCT. MEDIASTINO &c.

[b] Plinius minor: *proximo anno domine graviſſima valetudine uſque ad periculum vitæ vexatus, Iatralipten aſſumpſi*. Ceterum ad rem maior Plinius, quæ ſcribit de MEDIASTINIS. fuerunt enim illi, ut Aliptæ, & Unctores, miniſtri balneares. Nam quod [c] Iuvenalis cecinit, de poetis eo deſperatione adactis, ut

[b] lib. 10. ep. 4.

[c] Sat. 7.

*Balneolum Gabijs, Romæ conducere Furnos*
*Tentarent* ——

veteres gloſſę de Mediaſtinis & Piſtoribus interpretantur. Conſentit Porphyrion ad illud [d] Horatianū;

*Tu Mediaſtinus tacita prece rura petebas.*

nec abit [e] Priſcianus. Hæc eadem ſtatio illos ſibi vendicat, quibus [f] cura obtigerat in magna familia, ut ægros, inſanoſque compeſcerent. Et huius muneris aliqua portione functus eſt (niſi nos veterum marmorum exſcriptores fallunt) SEXTORIVS neſcio quis, AVG. LIB. AB AEGRIS. CVBICVLARIORVM.

[d] lib. 1. ep. 14.

[e] In Partit. verſ. Aen. lib. 5.

[f] Seneca lib. 11. de Tran. quil. cap. 13.

CA-

## CAPUT VII.

### *De Viris, Pueris, & Mulieribus, in balneo miniſtrantibus.*

AT quia Medicorum placita Balneas, ut vidimus, non abnūerunt, BALNEATOREM propterea hic collocabimus. Eius miniſterium pulchrè tetigit D.[g] Zeno Epiſcopus & martyr; *properate properate benè loturi fratres. Aqua viva Spiritu ſancto, & igne dulciſſimo temperata, blando murmure iam vos invitat. iam balneator præcinctus expectat, quod unctui, quod terſui opus eſt præbiturus, ſed & denarium aureum triplicis numiſmatis unione ſignatum.* Balnearum verò uſus ſupra quotidianum balneatoris miniſterium adeò aſſiduum fecerat, ut elixum appellet[a] Martialis. FORNACATOREM inſtrumento balneatorio contineri ſcribit[b] Paulus; & huic a balneatore credita videtur Fornax, quæ fuit in balneo, ut ad illius arbitrium calefaceret eam, tepefaceretve.[c] Lampridius: *auſpicium crudelitatis apud centumcellas dedit anno ætatis XII. nam cum tepidius forte lotus eſſet, balneatorem in fornacem conijci iuſſit, quando à pædagogo, cui hoc iuſſum fuerat, vervecina pellis in fornace conſumpta eſt, ut fidem pœnæ de fœtore nidoris impleret.* Qui dominum lavantē ungebāt, voce Græca Latio donata ALIPTAE dicebantur, noſtris VNCTORES, & miniſtri ungendi[d]. Seneca: *cum in aliquem inertem, & hac plebeia unctione contentum incidi, audio crepitum illiſæ manus humeris, quæ prout plana pervenit, aut concava, ita ſonum mutat.* infra. *Aliptam cogita, tenuem & ſtridulam vocem, quo ſit notabilior ſubinde, exprimentem, nec unquam tacentem, niſi dum vellit alas, & alium pro ſe clamare cogit.* Ope-

g *Inuitatione ad fontem* II.

a *Lib.* 5.

b *L.* 14. *de fundo inſtr.*

c *in Commodo.*

d *Epiſt.* 57.

lici

e Lib. 11, 71. f in editione A Schotti. g lib. II, Sat. 7. lici unctoris meminit [e] Martialis Panthæ, Secundionis, Erotis antiqua monumenta. Huiuſmodi miniſter Commodum Imperatorem de medio ſuſtulit. [f] Victor: *ibi per miniſtrum ungendi (nam ſorte is quoque è conſilio erat) faucibus quaſi arte exercitij, brachiorum nodo validius preſſis, exſpiravit.* [g] alluſit huc Horatius,

*— iuſſerit ad ſe*
*Mæcenas ſerum ſub lumina prima venire*
*Convivam; nemon' oleum feret ocyus? ecquis*
*Audit? cum magno blateras clamore, fugiſque.*

a Sat. 3. de his Artemidor. cap 66 lib. I. Aliptæ inſtrumenta erant Sirigilis, Lintea, Guttus, [a] Iuvenalis,

*— domus interea ſecura puellas*
*Jam lavat, & bucca foculum excitat, & ſonat iunctis*
*Strigilibus, pleno componit lintea Gutto.*
*Hæc inter pueros variè properantur —*


b lib. 2, Sat. 7. [b] Horatius,

*— an hic peccat, ſub noctem qui puer uvam*
*Furtiva mutat Strigili? —*

c Epiſt 95. [c] Seneca; *vetemus lintea & ſtrigiles Iovi ferre, & ſpeculum tenere Iunoni. non quærit miniſtros Deus. quid ni? ipſe humano generi miniſtrat.* Ampulla ad hæc & Lenticula, cuiuſmodi ego Romæ

d Appuleius. nactus ſum fictilem, *lenticulari* (ut ille [d] ait) *forma, tereti ambitu, preſſula rotunditate.* cuius hic exemplum ſubijcio, ut & antiquæ Strigilis, quam vidi apud nobiliſſimũ virum NICOLAVM FABRICIVM. Porrò declarabit nobis Strigilis hic typus Appuleij verba in Excerptis (ita enim Florida appello) *juxtaque honeſtam ſtrigileculam tecta faſtigiatione clauſulæ, flexa tubulatione ligulæ; ut & ipſa in manu capulo moraretur, & ſudor ex ea rivulo laberetur.* Per tubulationem quippe ligulæ ſudor dilabebatur. Ligulam autem vocat partem incurvam ſuperiorem, quod ſit non abſimilis Ligulæ,

ob-



oblonga, fornicata, & contracta; cuiuſmodi ego argenteã eleganter elaboratã Romę ſpectavi apud LAELIVM PASCHALINVM, inſcriptamque CRESC ENTIA. Et hac (ut ego quidem cenſeo) Strigius parte videntur uſi fuiſſe aliquando & Medici. [a] Scribonius Largus; *ad auriculæ & tumorem, & dolorem ſine ulcere, prodeſt herbæ urceolaris, aut cucurbitæ ramentorum ſuccus tepens, per Strigilem in foramen auris dolentis infuſus.* [b] Plinius; *medentur & aurium dolori: item ſuccus inunctus Hyoſcyami modicè: item Achilleæ, & minoris Centaureæ, & Plantaginis; Peucedani cum roſaceo, & Meconio: Acori ſuccus cum roſa. omnis autem ſtrigili calefactus infunditur.* Aliptæ miniſterium egregiè ridet Epictetus apud Arrianum. At non præficiemus unguentis peculiarem miniſtrum, qui prometet, & aſſeruaret? Seruius ad illa 1. Æneid.

a cap. 39.

b Lib. 25. cap. ult.

c lib. 3. ca. 26.

*— ubi mollis Amaracus illum*
*Floribus, & dulci aſpirans complectitur umbra;*

narrat, Amaracum puerum regium VNGVENTARIVM fuiſſe, qui caſu lapſus, dum ferret unguenta, maiorem ex confuſione odorem creaverit quæ omnia [d] Iſidorus in ſuas origines traſtulit. [e] Horatius hujuſmodi puerum alloquebatur;

d Lib. 4. cap. penult. lib. 17 cap. 9.
e lib. 3. Ode 14.

*I, pete unguentum puer, & coronas.*
*Et cadum Marſi memorem duelli.*

Cur autem axillas olim vellerent, & levigarent cum toto corpore, id verò mollitiei adſcribendum eſt; & tetigimus nos paulò ſuperius. Imò poſt Pumices, Reſinam, & Volſellas eò ventum eſt, ut Pſilothro, & Dropace adhibitis, pilos arcerent. [a] Plinius Valerianus *ſunt qui vel ſuis pilis, vel ſervorum ſuorum in balneo offendantur, ſine ulla quidem ratione. ſed illorum, quoque perſuaſioni ſuccurrendum eſt, & monſtrandum, quemadmodum effici poſſit, ut evulſi pili non renaſcantur. Omni autem Pſilothro ſic utendum eſt, ut prius quàm adijciatur, Reſina pili auferantur. &c.* [b] Martialis,

a Lib. 3. c. 52
b lib. 3. 32.

*Pſilothro faciemque lavas, & Dropace calvam:*
*Numquid tonſorem, Gargiliane, times?*

A quo miniſterio in veteribus [c] Lexicis ALIP. LARIVS δρωπακιστής appellatur. hunc ALIPILVM vocant nonnulli, inſeruntque [d] Senecæ verbis, quæ ſuperius retulimus. Veſtimenta lavantium ſeruabant CAPSARII, & peculiares aliquando è familia homines. Petronius: *ceterum ut movimus dextros greſſus, ſervus nobis diſpoliatus procubuit ante pedes, & rogare cœpit, ut ſe pœnæ eriperemus: nec magnum eſſe peccatum ſuum, propter quod periclitaretur. Subducta enim veſtimenta ſibi Diſpenſatoris in balneo, quæ vix fuiſſent X HS.* Notandum verò eſt, honeſtas matronas ancillarum opera

c Turnebus lib 27. ca. 10
d Epiſt. 57.

uti

iiti cóſueuiſſe. ideò Romæ lapis extabat inſcriptus,

ATHENAIS AVGVSTAES VNCT

Non enim univerſæ cum tunica pudorem poſuerant, ut illa [e] Iuvenali decantata, *e Sat. 6.*

*— magno gaudet ſudare tumultu,*
*Cum laſſata gravi ceciderunt brachia maſſa,*
*Calidus & criſtæ digitos impreſſit Aliptes,*
*Ac ſummum dominæ femur exclamare coegit.*

Ad caſtitatis normam Suſanna, de qua ita [a] Alcimus Avitus, *a lib. 6. ca. 22*

*Ecce autem viridis per mollia gramina luci*
*Suſanna ingreditur, famulis comitata duobus,*
*Quas ſmigma, atq; oleum jubet ad ſe adferre, foraſque*
*Deſtinat imprudens —*

Tonsor non alibi querendus eſt, quem familiarem fuiſſe unus evincet [b] Ovidius, *b lib. 11. met.*

*Sed ſolitus longos ferro reſecare capillos*
*Viderat hoc famulus —*

Pantagathus ille, cuius epitaphium cecinit [c] Martialis, hoc domeſtico miniſterio functus eſt. Tonſtrinæ autem negociũ deſcribit nobis [d] Seneca: *quid? illos ocioſos vocas, quibus apud Tonſorẽ multæ horæ tranſmittuntur, dum decerpitur ſi quid proxima nocte ſuccrevit, dum de ſingulis capillis in conſilium itur, dum aut diſiecta coma reſtituitur, aut deficiens, hinc atq; illinc in frõtem compellitur?* pergit: *quomodo excandeſcunt, ſi quid ex juba ſua deciſum eſt, ſi quid extra ordinem jacuit, niſi omnia in annulos ſuos reciderunt?* infra; *hos tu ocioſos vocas, inter pectinem, ſpeculumque occupatos?* Inſtrumentum notat [e] Lucianus, ξυρὸν, καὶ μαχαιρίδας, καί κάτοπτρον. Habuit & Palatium Tonſores ſuos [f]. Amianus: *evenerat iiſdem diebus, ut ad demendum Imperatoris capillum, Tonſor venire præceptus, introiret qui-* *c Lib. 6.* *d De Breui. vita cap. 12.* *e Aduerſus indoctum* *f Lib. 22.*

*dam ambitioſè veſtitus, quo viſo Julianus obſtupuit; ego, inquit, non rationalem juſſi, ſed tonſorem acciri.* Neque verò mulieribus obſepta fuit hæc ad quæſtum, & dominicam gratiam via. [g] Martialis;

g Lib. 2. 17.

*Tonſtrix, Suburræ faucibus quæ ſedet primis.*

vetus elogium:

SEXTIAE L. TERTIAE
TONSTRICI

Et in hoc miniſterio apud Cleopatram Ægypti reginam gratiâ, & regio favore inſignis fuit mulier ancilla, cui nomen Eras, ut aſſerit [a] Plutarchus. Nec aliud ſibi voluit [b] Cicero, Dionyſij ſenioris miſeram cuſtodiam perſtringens; qui ne Tonſori collum committeret, tondere filias ſuas docuit. Subdit enim: *ita ſordido, ancillarique artificio, regiæ virgines, ut Tonſtriculæ, tondebant barbam, & capillum patris.*

a In M. Antonio.
b Tuſcul Diſp. Lib. 5.

## CAPVT VIII.

*De Coquis, & Piſtoribus.*

DE Balneo imus in Culinam OFFARIOS, & COQVOS veteres illi lurcones magni fecerũt. [c] Plinius; *at nunc Coci triumphorum precij parantur, & Cocorum piſces: nulluſq; prope jam mortalis æſtimatur pluris quàm qui peritiſſimè cenſum domini mergit.* Val. [d] Maximus; *inde ab Oceani litoribus attracti piſces: inde infuſæ culinis artes,* (ita enim habent membranæ meæ) *cenſibuſq; edendis, ac bibendis reperta voluptas eſt.* Livius; *tum Coquus, viliſſimum antiquis mancipium, & æſtimatione, & uſu, in precio eſſe; & quod miniſterium fuerat, ars haberi cœpta.* Idem [e] Plinius; *poſtea culinarum artes, ut clunes ſpectentur, ut dividantur in tergora, ut à pede uno dilatatæ, repoſitoria occupent.* Coqui ideam expreſſit

c lib. 9. cap. 17
d lib. 9. cap. 1
e lib. 10. c. 50.

ſit Damoxenus Comicus apud [f] Athenæum, apud quem culinæ inſtrumentum, condimentorum indiculus, porcus Troianus, & Coqui glorioſa magiſteria recenſentur. Huius artificii fuerunt Æſopi nobilis patina, cœnæ Metellianæ, Apiciana decreta, & alia hujuſmodi ſexcenta excogitata in perniciem, cenſuum, & patrimoniorum. [g] Appuleius: *his erat dives admodum dominus; at illorum alter piſtor dulciarius, qui panes, & mellita concinnabat edulia; alter Coquus, qui ſapidiſſimis intrimentis ſuccum pulmenta condita vapore mollibat.* [a] Juvenalis. [f] Lib. 3. [g] Lib. 10 Metam. [a] Sat. 7.

*— veniet, qui fercula doctè*
*Componat, veniet qui pulmentaria condit.*

Quæ Structore, & Coco dicta eſſe teſtantur veteres Gloſſæ. Elcganter [b] Martialis. [b] lib. 14. 220.

*Non ſatis eſt ars ſola Coco ſervire palato,*
*Namque Cocus domini debet habere gulam.*

[c] Neque verò unico tantum Coquo contenti erant. Juvenalis; [c] Sat. 9.

*— Librarius,* ARCHIMAGIRI,
*Carptores —*

Inſcriptio antiqua,

HIC. OSSA. SITA. SVNT
FAVSTI. ERONIS
VICARI. SVPRA
COCOS

Et quia Coquus, & Piſtor idem [d] antiquitus fuit, PISTORIS, ſeu PINSORIS hæc erit ſtatio. [e] Varro περὶ ἐδεσμάτων; *ſi quantum operæ ſumpſiſti, ut tuus Piſtor bonum faceret panem, eius duodecimã Philoſophiæ dediſſes, ipſe bonus iampridem eſſes factus. nunc illum qui norunt, volunt emere millibus centum, te qui novit, nemo centuſſi.* [d] Feſtus. [e] Gell. lib. 15. cap. 19.

Syba-

[f] Athenaeus lib. 12. Sybariticum verò poſſit videri illud, quod narrat [f] Clearchus Solenſis lib. v. vitarum, *Piſtorem, neſcio cuius, cum tunica chiridota, & ore ſudario obvoluto, juſſum eſſe farinæ maſſam tractare; ne videlicet ſudor ſtillans influeret, aut ſubactam farinam halitu afflaret.* Panis conficiendi ratio apud Plinium extat, qui & de Piſtoribus multa. Horum alij DVLCIARII, alij LACTARII. de illis [a] Apuleius: *hic Panes Cruſtula, Lucunculos, Hamos, Laterculos, & complura ſcitamenta mellita.* [b] Martialis, *Mille tibi dulces operum manus iſta figuras*
*Exſtruit: huic uni parca laborat Apis.*
de Lactarijs [c] Lampridius: *dulciarios, & lactarios tales habuit, ut quæcunque coqui de diverſis edulibus exhibuiſſent, vel Structores, vel Pomarij, illi modò de dulcijs, modò de lactarijs exhiberent.* PLACENTARIORVM meminit Jul. [d] Paulus: & Piſtoris aſſeclas fuiſſe innuit [e] Martialis,

*Hinc Piſtor fatuas facit Placentas.*

POMARII, & [f] POCARII ſe hic exhiberi non moleſtè ferrent; ut & VENATORES, vel AVCVPES, qui inſtruendarum gratia quotidianarum epularum habebant. CELLARII rem cibariam, quæ in penu fuit, adſervabant. [g] Plautus:

*Cume, poſce, prome quid vis: te facio Cellarium.*

[h] Seneca; *circa lucem diſcurritur, pueri vocantur, Cellarij, Coqui tumultuantur. quæro, quid ſit? dicitur mulſum, & alicam popoſciſſe à balneo.* [i] Plinius: *Apio eximunt Coci obſonijs Acetum; eodem Cellarij in ſaccis odorem vino gravem.* [k] Lampridius; *mittebat Paraſitis per Cellarios Sallarij annua vaſa, cum Ranis, cum Scorpijs, cum Serpentibus, & cum hujuſmodi monſtris.* Hinc manavit loci nomen apud [l] Lucæ interpretem, [m] Auguſtinũ, & [n] Caſſianum. Tranſtulit eleganter. [o] Theodorus Pri-

[a] li. 10. metã.
[b] lib. 14. 222.
[c] Elagabalo.
[d] lib. 3. ſent
[e] Lib. 11. 32.
[f] L. 1. Naut. Caup. Stab.
[g] Captiuis.
[h] Epiſt. 123.
[i] Lib. 19 cap. ult.
[k] Elagab.
[l] cap. 12.
[m] lib. 9. conf. cap. 8.
[n] lib. 4. de inſtit. renunc. cap. 8.
[o] ad Euſeb. lib. 4

Priſcianus; *ſed Pulmonem eſſe veluti Cellarium ſpiritus ad arterias mittendi, ſeu replendi omnem corporis regionem, ex quo ſpiritu omnes noſtri artus commoveantur.* hinc Cellariolum apud [p] Gregorium Turonenſem, qui & Promptuarium vocat. Cellarium autem miniſtrum, PROMVM appellavit [q] Horatius; *p lib. 2. mirac. cap 35.*

*q lib. 2. Sat. 2.*

*Cum labor extuderit faſtidia, ſiccus inanis,*
*Sperne cibum vilem: niſi Hymettia mella Falerno*
*Ne biberis diluta. foris eſt Promus, & atrum*
*Defendens piſces hiemat mare.* —

PAENVIARIVM, antiquum [a] marmor; CONDVM PROMVM PROCVRATOREM Peni [b] Plautus, quem imitatus eſt dubio procul [c] Paulus Diaconus in Diſtichis, quibus Beatiſſimi Benedicti admiranda complexus eſt;

*a Puteolis.*
*b Pſeudolo, citante Fulgentio*
*c lib. 1 de geſt. Lang. ca. 26.*

*Cur Prome conde times ſtillam præbere Lecytis?*
*Dolia certè fluunt. cur Prome conde times?*

Cellæ promæ huc referendæ ſunt. [d] Tertullianus: *niſi quia in cellis promis caro ſalita, & uſui repoſita ſervatur, depromenda illinc ſuo tempore.* Hinc Cella penaria, cuius meminere Svetonius, Ulpianus, Turonenſis, & alij. Verum inter Penu, & Cellarium hoc intererat, quod Cellarium paucorum dierum, Penu eſſet temporis longi. Notat [e] Servius ad illud,

*d De Reſurr. carnis.*
*e lib. 1. Aen.*

*Cura penum ſtruere* —

quod & videtur Q. Scævolæ placuiſſe apud [f] Gellium, licet Fab. Planciades non ita ad amuſſim ſcripſerit, *Penum autem Cellarium dicimus.* Cella autem, & Cellarium auctore [g] Donato *à reponendis, cælandiſque rebus eſculentis, & poculentis dicitur.* Verum Penoris nomine veniunt eſculenta, & poculenta, Oleũ, Garum, Muria, Mel, Acetum, & Hordeum, Ligna, & Carbones, Thus, & Ceræ. nec iniuria, *eſt enim omne*, ſcribit [h] Cicero, *quo veſcuntur homines, Penus &*

*f lib. 4. cap. 1.*
*g Adelph. Act. 4. Sc. 2.*
*h lib. 2. de nat. Deor.*

Peno-

Penora dicuntur res neceſſariæ ad victum quotidianum. Notavit autem apud Homerum [i] Athæneus PENVARIAM, ſeu PENARIAM ancillam; quæ Græcè eſt, ἡ ταμία.

[i] li. 1. Dipnoſoph. eſt autem einſmodi Lyde apud Horatium lib. 3. carm. ode 28.

## CAPUT IX.

### *De Miniſtris Convivij.*

Convivium apparabant MINISTRI hæc ſiquidem fuit legitima, & juſta ſervorum triclinarium nomenclatura. [a] Zeno Veronenſis: *Ioſeph utique in Ægyptum non veniſſet, nec pudicitiæ tenax dominæ laſcivientis inſidias incidiſſet, non fuiſſet retruſus in carcerem, nec miniſtris Pharaonis familiarior extitiſſet.* &c. [b] Virgilius, — *totidemque pares ætate miniſtri* [c] Silius, — *non una miniſtri*

*Turba gregis* —

[d] Lucanus, *Tunc famulæ numerus turbæ, populuſque miniſter.* Servius in Eclogam II. de Alexi; *cum vidiſſet in miniſterio omnium pulcberrimum.* Jul. [e] Capitolinus: *tunc viris clarioribus permiſit, ut eodem cultu, quo ipſe, vel miniſterijs ſimilibus convivia exbiberent.* [f] Petrus Chryſologus: *diſcumbenti homini Deus adſtat in cœleſtibus: epulanti ſervo ſervit Dominus; & ſervit accinctus; pueris ſui miniſtris ſuis miniſterium facit Chriſtus, & facit in Patris iam gloria conſtitutus.* Neque tamen negamus, quòd vir eruditiſſimus affirmavit, miniſterij appellatione aliquando intelligi omnia vaſa argentea Triclinio ſternendo neceſſaria. Uſi enim ſunt hac vocis eius notione [g] Paulus Oroſius, & [h] Petrus Chryſologus. ille; *dumque expoſitis opibus, attonitum barbarum, magnitudine, & pondere, ac pulcbritudine, ignota etiam vaſorũ qualitate intelligeret, virgo Chriſti ad*

*Bar-*

[a] Serm. de livore & invid.
[b] Lib. 1. Aen
[c] Lib. 11.
[d] Lib. 10.
[e] M. Antonio.
[f] Serm. c. 14.
[g] lib. 7. c. 39.
[h] Serm. 122

*Barbarum ait: hæc Petri Apoſtoli ſacra miniſteria ſunt, præſume, ſi audes, de facto tu videris.* Hic; *quid eſt dives? ubi ſunt torrentes torcularium tuorum? ubi ſunt horrea ad famem pauperis non minus cupiditatibus dilatata, quam copijs? ubi ſunt vina ad inopiam pauperis, annoſitatibus, & ipſa temporum oblivione ſervata? ubi ſunt effuſiones, lapſus, flumina miniſteriorum tuorum?* [i] Sidonius: *ſi in* i Lib. 1. Ep. 2. *convivium venitur, quod quidem diebus profeſtis ſimile privato eſt, non ibi impolitam congeriem liventis argenti menſis cedentibus ſuſpirioſus miniſter imponit.* Scimus autem Servos quandoque in uniuerſum miniſtros, & miniſteria dictos eſſe, ut à [a] Seneca, [b] Plinio, [c] Martiale, qua notione minſterialis apud Latino Galicos ſcriptores ſervus eſt, Convivalem miniſtrum expreſſit [d] Horatius;

a lib. 3. de beneſ cap. 18.
b lib. 7. ca. 52
c Lib. 7.
d lib. 2. Sat. 8.

*—— puer altè cinctus acernam*
*Gauſape purpureos menſam perterſit ——* &
*—— ut omnes*
*Præcincti recte pueri, comptiq; miniſtrent.*

Hi Græcè [F] διάκονες & [φ] διάκονοι appellati ſunt, à quibus ordo ſacer nomen traxit Diaconorum. Noſtri enim ex prima inſtitutione miniſtraverunt menſis, ut ex Actis Apoſtolicis notaverunt Iſidorus, & Amalarius Fortunatus. Et profecto [e] Arator miniſtros vocat;

F Rabanus Maurus de inſtit Cler. lib. 1 ca. 7. I. 10 Carnotenſis in ſermonib.
φ omnes paſſim.
e Lib. 1.

*—— ſit cura miniſtris*
*Officium librare ſuum, quo laudis amictu*
*Hunc deceat lucere chorum, quem myſticus ordo*
*Conſecrat in numero ——*

Huc reſpexit D. [f] Ignatius, noſtros Diaconos informans; οὐ γὰρ βρωτῶν, καὶ ποτῶν εἰσι διάκονοι, ἀλλ' ἐκκλησίας θεοῦ ὑπυρέται. & hinc miniſteria ipſa fuerunt, qui Diaconias nominarent. Auctor cœnæ D.

f Epiſt. 2.

Cypriano falſo adſcriptæ: *at ubi diviſit veſtes, Rex reſpiciens eos, ſic ait; non ante cœnabitis niſi ſinguli ſingulas vices feceritis: atque ita ſibi præceptas Diaconias conſumaverunt.* Porrò inſignitur hæc vox peculiare quoddam Diaconorum noſtrorum miniſterium, de quo agemus inferius. At veſtis miniſtrorum Tricliniarium fuit Tunica, qua omnes, ut ſuo loco indicabimus, promiſcuè ſervi uſi ſunt, eaque ſine manicis aliquando, aliquando manicata; ſed levitur, & non ultra cubitum, interdum etiam ultra cubitum, totius brachij operiméto, ut conſpeximus in antiquis ſcalpturis. Ab his deſumpſiſſe Tunicas ſuas, quas hodie vocamus Albas Levitas Diaconosve noſtros, quas tamen non præcingerent ſibi, ſed ad talos uſq; demitterent, non inviti ſuſpicamur. [a] Philo Eccleſiam Alexandrinam deſcibens: *ceterum in hoc ſacro convivio nemo, ut dixi, ſervus adeſt, miniſtrant ingenui, & ſponte quicquid opus eſt, faciunt.* infra: *diſcincti autem, & promiſſis Tunicis accedunt ad miniſtrandum, ut abſit omnis ſervilis ſpecies ab hoc convivio.* Et licet per hæc minus trita à noſtris, in tanta annorum ac rerum caligine, timidè, & ſuſpenſo gradu incedamus, monemus tamen eruendæ veritatis ſtudioſos, B. Silveſtrū Diaconibus, qui Colobijs antea utebantur, Dalmaticas veſtes aſſignaſſe, ut aſſerunt [b] Breviarium Romanum, & [c] Hugo de S. Victore. at id quare? quia nuditas brachiorum culpabatur. Ita [d] Albinus Flaccus, & [e] Expoſitor Romani (ut inquiunt) Ordinis. At Colobium fuit veſtis ſine manicis, ut aſſerunt [f] Servius, [g] Hieronymus, [h] Iſidorus, & [i] Albinus, licet Ægyptiorum monachorum Colobia (ut prodit Caſſianus) manicas, ſed decurtatas, cubito tenus haberent. Fuit autem Colobium Tunica. An verò Eccleſia-

[a] de vita contempl.

[b] in Silueſtro.

[c] Erudit. Theol. lib. 1. c. 33

[d] Quid ſignif. veſt.

[e] refert. Panuinius in expl. voc. Eccleſ.

[f] lib. 9. Aen.

[g] in Queſtion. Hebr.

[h] lib. 19. Etym. cap. 22.

[i] Loco citato.

cleſiaſtici Diacones nudis omnino incederent brachijs, ut convivales illi, non auſim omnino affirmare, aut negare conſtanter. Culpata nuditas brachiorum videtur favere affirmanti; quam tamen ego ſpeciem pro cetera caſtimonia ſenioris Eccleſiæ, vix animo poſſum concipere. Addamus, non eſſe omnino certa traditionem Albini, Colobia videlicet D. Silveſtri juſſu abolita fuiſſe, cum narret [a] Anſelmus Decretorum antiquus collector, à Sancto Silveſtro, & Presbyteris eius Colobiorum uſum incœpiſſe; & Marcum, Julium Liberium acceptum retinuiſſe: poſt hos autem Colobia Dalmaticis eſſe permutata in gratiam alieni aſpectus, qui in Colobio requirebat, neſcio quid amplius. Quæ ſanè confirmantur ex ijs, quæ narrat [b] Ammianus: *poſt hæc* (inquit) *indumentum regale quærebatur, & miniſtris fucandæ purpuræ tortis, confeſſiſque pectoralem tuniculam ſine manicis textam, Maras quidam nomine inductus eſt, ut appellant Chriſtiani, Diaconus; cuius prolatæ litteræ ſcriptæ Græco ſermone, ad Tyrij textrini præpoſitum celerari ſpeciem perurgebant.* In re tam perplexa quid pronunciabimus; Non liquere; & ideò ampliandum. Non ignoramus utique multa myſticè de ſacris Sacerdotum veſtibus, à ſanctiſſimis, & eruditiſſimis viris tradita eſſe, cum illas ab auguſtiſſimis Hebræorum ritibus derivent; neque hæc nobis convellere propoſitum eſt: ſed ſcimus etiam multa è gentilium obvia conſuetudine, atque adeò ſuperſtitione, tranſlata fuiſſe ad uſus noſtros, tum utiliter, tum ſapienter. Æqui igitur, bonique conſulet, qui hæc noſtra leget, ſtudium veritatis inquirendæ, *cuius luce menti hominis*, ut ait ſummus Orator, *nihil dulcius*. Porrò Diaconorum noſtrorum (ut etiam hoc obiter tangamus)

[a] *citat. Calò con in notis ad Caſſianum*

[b] *Lib. 14.*

gamus) partes videtur fuiſſe, Eleemoſynas à fidelibus oblatas in uſus pauperum diſtribuere; & hoc jam inde à D.[c] Paulo, qui miniſterium hoc Diaconiam appellat. Hinc Siſinnius, & Cyriacus Diaconi victum deferebant Sanctis Martyribus, ut habent[d] geſta Marcelli Papæ. D. certè Laurentius Archilevita hoc munere functus egregiè eſt, tranſmiſitque ad ſucceſſores, cum[a] Titus Diaconus Martyr pecunias pauperibus diſtribuens Romæ à Barbaris interfectus ſit; & D.[b] Gregorius Bonifacium Diaconum, Eccleſiæ nominet diſpenſatorem. Diaconiſſæ autē quæ vocantur, Diaconis origine fuerunt æquales.[c] cuſtodiebant verò portas introitus videlicet Eccleſiæ in ſtatione fœminarum. erant ad eaſdem[d] internunciæ;[e] miniſtrabantque Presbyteris in earumdem Catechiſmo, & Baptiſmate, propter honeſtatem; &[f] initiabantur ab Epiſcopis ſolemni precatione, miniſterio tamen non Sacramento. Harum videtur meminiſſe[g] Plinius junior in conſultatione de rebus noſtris ad Traianum Auguſtum cōſcripta: *quo magis neceſſarium credidit, ex duabus ancillis, quæ miniſtræ dicebantur, quid eſſet veri, & per tormenta quærere. Sed nihil aliud inveni, quàm ſuperſtitionem, pravā, & immodicam* &c. Et ex hac tandem muliebri miniſtrandi ratione, quis non laudet pietatem nobiliſſimarum. & ſanctiſſimarum ſororum Marthæ, & Mariæ, quarum altera non ſemel Domino[h] miniſtravit, altera ſedēre conſuevit ſecus pedes eiuſdem? nimirum ſubmittebant illæ faſtigium avitę nobilitatis divino obſequio, & exequebantur in CHRISTO, quod clariſſima heroina longè poſt imitata eſt in CHRISTI imitatore Martino.[i] Maximi enim Imperatoris regina, *non opes regni, non Imperij dignitatem, non diadema,*

*c Epiſt 2. ad Corinth. cap. 8. & 9.*
*d apud Metaphr.*
*a Proſper in Chron.*
*b Lib. 3. Dial. cap. 20.*
*c Clem. lib. 2. conſtit. cap. 61*
*d Lib. 3. c. 15.*
*e ibidem.*
*f lib. 8. cap. 28 & neſcio, quid ſimile extat in Ord. Rom.*
*g lib. 10 Ep 97. & notavit Balduin.*
*h Luce 10. Iohan. 12.*
*i Sulpit. Severius lib. 3.*

*ma, non purpuram cogitabat: divelli à Martini pedibus ſolo ſtrata non poterat. Poſtremo à viro ſuo popoſcit, deinde Martinum uterque compellunt, ut ei remotis omnibus miniſtris, præberet ſola convivium. nec potuit vir beatus obſtinatius reluctari, componitur caſtus Reginæ manibus apparatus: ſellulam ipſa conſternit. menſam admovet, aquam manibus ſubminiſtrat: cibum, quem ipſa coxerat, apponit ipſa, illo ſedente, eminus ſecundum famulantium diſciplinam, ſolo fixa conſiſtit immobilis, per omnia miniſtrantis modeſtiam, & humilitatem exhibens ſervientis: miſcuit ipſa bibituro, & ipſa porrexit. finita cœnula fragmenta panis aſſumpti, micaſque collegit, ſatis fideliter illas reliquias Imperialibus epulis anteponens, &c.* O felices, o beatas, quibus licuit CHRISTO, & Martino miniſtrare, quibus CHRISTI, & Martini pedibus advolui licuit! Miniſtrorum primus mihi erit OBSONATOR. [a] Martialis eleganter de eodem; a Lib. 14. 217.

*Dic quotus es, quanti cupias cœnare, nec unum*
*Addideris verbum, cœna parata tibi eſt.*

[b] Seneca: *adijce obſonatores, quibus dominici palati notitia ſubtilis eſt, qui ſciunt, cuius rei illum ſapor excitet, cuius delectet aſpectus, cuius novitate nauſeabundus erigi poſſit, quid iam ipſa ſatietate faſtidiat, quid illo die eſuriat.* Hic [c] Atheneo eſt ἀγοραστὴς, καὶ ὀψώνης, quem præceptis inſtruxit Lynceus Samius. INVITATOR, & VOCATOR appellationem ſortiti ex munere ſunt. huius meminit [d] Athenæus, illius [e] Martialis, & antiqua Romana inſcriptio: b Epiſt. 47. c Lib. 4. d Lib. cit. e Lib. 9.

AGATHOPVS
AVGG. LIB.
INVITATOR.

[f] Plinius; *indignantique Ptolomæo, & vocatores ſuos oſtendenti, ut diceret, à quo eorum invitatus eſſet.* [g] Appuleius: f lib. 35. cap. 10. g lib. 3. Met.

*& ecce*

*& ecce quidam introcurrens famulus, rogat te, ait, tua parens Byrrhena, & convivij cui te ſero deſponderas, iam appropinquantis admonet.* [b] Ammianus; *& Nomenclatores aſſueti hæc, & alia venditare, mercede accepta, cœnis quoſdam, & prandijs inſerunt ſubditítios, ignobiles, & obſcuros.* Notandi hic Nomenclatores è campo in triclinium evocati, quos [a] Athenæus ὀνομακλήτορας, & δείπνων ταξιάρχους appellat: & videntur eſſe δειπνοκλήτορες Artemidoro. Invitatores expreſſit CHRISTVS dominus apud [b] Matthæum, & [c] Lucam. Deſcripſit autem [d] Seneca; *alius, cui convivarum cenſura permiſſa eſt, perſtat infelix, & expectat, quos adulatio, & intemperantia, aut gulæ, aut linguæ, revocet in craſtinum.* Et ab hac forte opera ſervum Calatorem in Rudente appellat Plautus, ubi tamen Lambinus à Feſto non diſcedit. Huius claſſis fuit puer qui nunciabat HORAS. [e] Juvenalis.

*— clamore opus est, ut ſentiat auris*
*Quem dicat veniſſe puer, quot nunciet horas.*

[f] Martialis:

*Horas quinque puer nondum tibi nunciat, & tu*
*Jam conviva mihi, Cæciliane, venis.*

[g] Sidonius; *ecce & ab Archimagiro adventans, qui tempus inſtare curandi corpora moneret, quem quidem nuncium per ſpatia clepsydræ horarum incrementa ſervantem probabat competenter ingreſſum quinta digrediens.* Porrò ipſi Triclinio præfectus erat ſervus TRICLINIARCHA, ut in veteri Epigrammate nominatur, M. VLPIVS AVG. LIB. PHAEDIMVS. hic D. [h] Johanni Architriclinus eſt, ſive eiuſdem interpreti [i] Iuvenco ſummus miniſter; quod ut inquit [k] Athenæus, eſſet ἐπιστάτης τῆς ὅλης διακονίας, ſervorum nimirum Tricliniarium, quorum aliqui AQVAM in manus infundebant, aliqui fercula

[m] in-

b Lib. 14.
a Lib. 2.
b cap. 22.
c cap. 14.
d Epiſt. 47.
e Sat. 10.
f Lib. 8. 67.
g Lib. 2 ep. 9.
h Cap. 2.
i lib. 2. Hiſt. Eu.
k lib. 4.
l Petronius.

[m] INFEREBANT, INFERTORES appellati ab opera, quam præſtabant. [n] Juvenalis; [m Athenæus lib. 4.] [n Sat. 5.]

*Aſpice quàm longo diſtinguat pectore lancem*
*Quæ fertur domino ſquilla, & quibus undique ſepta*
*Aſparagis, qua deſpiciat convivia cauda,*
*Cum venit excelſi manibus ſublata miniſtri.*

ubi habent veteres gloſſæ, *miniſtri*; *Inſertoris*. Eædem ad illa eiuſdem [a] poetæ, [a Sat. 11.]

*Nec fruſtum capreæ ſubducere, nec latus Afræ*
*Novit avis noſter tirunculus* —

ita explicant, *hoc eſt quod vult dicere, Inſertor noſter furtum facere ignorat.* Et hęc quidem vox in Lege etiã Salica extat, ut videbimus infra. Miniſterium tetigit [b] Juvenalis, & ante hunc [c] Horatius, [b loco cit.] [c li. 2. Sat. ult.]

— *deinde ſecuti*
*Mazonomo pueri magno, diſcerpta ferentes*
*Membra gruis, ſparſi ſale multo, non ſine farre,*
*Pinguibus & ficis paſtum iecur anſeris albi,*
*Et leporum avulſos, ut multo ſuavius, armos*
*Quam ſi cum lumbis quis edit* —

Tangit & [d] Zeno Veronenſis: *tres pueri unanimes legumina inſerunt primi, quibus, ut ſcitus ſit ſapor, ſalem ſapientiæ aſpergunt, oleum Chriſtus infundit.* [e] Halotus autem ille, qui boleto Claudianam apotheoſin procuravit, Prægustator itidem, & Inſertor fuit: quæ miniſterij coniunctio non videtur perpetua fuiſſe. Vini Inſertorem lepidè expreſſit [f] Horatius; [d ad Neophy. eſp. & Bapt. ſ. a Serm. 1.] [e Tacitus annal. lib. 12.] [f lib. 7. Sat. 2.]

— *ut Attica virgo*
*Cum ſacris Cereris, procedit fuſcus Hydaſpes,*
*Cæcuba vina ferens: Alcon, Chium maris expers.*

His de Triclinio miniſtris LECTISTERNIATORES accenſiti ſunt. [g] Plautus, [g Pſeudolo.]

*Tibi hoc precipio, ut niteant ædes. habes; quod facias.*

pro-

*propera, intro abi:*
*Tu eſto Lectiſterniator.*

a lib 2 de ira cap 25. [a] Seneca; *parum aglis eſt puer, aut tepidior aqua potui erogata, aut turbatus thorus, aut menſa negligentius po-* b lib. 1. Sat. 8. *ſita.* MENSARVM DETERSORES. [b] Horatius,

*— puer altè cinctus, acernam*
*Gauſape purpureo menſam perterſit.*

c Lib. 14 144 cui rei ſpongia aptior fuit. [c] Martialis.

*Hæc tibi ſorte datur, tergendis ſpongia menſis*
*Vtilis, expreſſo cum levis imbre tumet.*

d Menæchm. hinc factum nomen Paraſito ad [d] Plautum, peniculi;
*— quia menſam* (inquit ipſe) *quando edo, detergeo.* *Peniculi* enim *ſpongiæ ſunt*, inquit Feſtus, & pro ſpongia peniculum uſurpavit.

e Lib 5. [e] Sedulius,

*— quin inſuper hauſtum*
*Cum peteret ſitiens, unus de plebe nefandæ*
*Peniculo infuſum, calamo porrexit acetum.*

Nec non & qui LVMINA ſub noctem INFEREBANT; f lib. 2. Met. [f] Appuleius; *iam illatis luminibus, epularis ſermo per-* g Lib. 16. *crebuit.* [g] Ammianus *malignitate ſimili quidam Agens in rebus in Hiſpania, ad cœnam itidem invitatus, quum inferentes veſpertina lumina pueros exclamaſſe audiſſet ex uſu,* VINCAMVS &c. At his, luxus, & vilitas opum, ſtatuas ſubſtituit.

h Lib. 2. [h] Lucretius;

*Si non aurea ſunt iuvenum ſimulacra per ædes.*
*Lampadas igniferas manibus retinentia dextris,*
*Lumina nocturnis epulis ut ſuppeditentur.*

Quæ Coquus elaboraverat, collocabat STRVCTOR. Petronius: *ſuperque proprium, conuenientemq; materiæ Structor impoſuerat cibum.* Et hunc famulitij miniſte- a lib. 1. c. ult. rialis præſulem videtur conſtituere [a] Macrobius: *in-*

*ter*

*Per hæc ſervilis moderator obſequij, cui cura vel adolendi Penates, vel ſtruendi penum, & domeſticorum actuum miniſtros regendi, admonet dominum, familiam pro ſolemnitate annui moris epulatam,* [b] Virgilium autem imitatur Macrobius. b Lib. 1. Æn.

*Quinquaginta intus famulæ quibus ordine longo*
*Cura penum ſtruere, & flammis adolere Penates.*

ubi Servius; *ſtruere, ordinare, componere. unde & Structores dicuntur ferculorum compoſitores*. Donatus verò procurationem Cellarij, & Deorum Penatium cultum interpretatur. quæ ſequuntur,

*Centum aliæ, totidemq; pares ætate miniſtri,*
*Qui dapibus menſas onerent, & pocula ponant.*

de Infertoribus, & Pocillatoribus accipe. Structoris enim erat componere, & ſervare fercula, non inferre. hic τραπεζοποιὸς, & τραπεζονόμος à Græcis [c] dictus eſt, ut apud Athenæum vidimus, & [d] Clementem Alexandrinum. de eodem [e] Seneca: *quare ars eſt apud te miniſtrare: nec te merè, & ut libet, collocatur argentum, ſed peritè ſtruitur, & eſt aliquis ſcindendi obſonij magiſter?* SCISSOREM hic habemus, eumque una cum Structore productum, uti & apud [f] Juvenalem, c Lib. 4. d lib. 3. Pæd. e De vita beata. f Sat. 5.

*Structorem interea, ne qua indignatio deſit,*
*Saltantem ſpectes; & Chironomonta volanti*
*Cultello, donec peragat dictata magiſtri*
*Omnia: nec minimo ſanè diſcrimine refert*
*Quo geſtu lepores, & quo gallina ſecetur.*

Meminit, & Petronius: *proceſſit ſtatim Sciſſor, & ad ſymphoniam ita geſticulatus laceravit obſonium, ut putares Darium hydraule cantante pugnare.* CARPTOR idem, qui Sciſſor fuit. Petronius; *nec minus & Trimalcio eiuſmodi methodi lætus, carpe, inquit. proceſſit ſtatim Sciſſor.*

 a Juve-

a Sat. 9. a Iuvenalis. — *audiet & quæ*
*Finxerunt pariter Librarius, Archimagiri,*
*Carptores* —

b lib. 2. Met. DIRIBITORES, qui apud b Appuleium leguntur; *Diribitores pluſculi ſplendidè amicti, fercula copioſa, puellæ ſcitulæ miniſtrantes, pueri calamiſtrati, pulchrè induſiati.* Panem forſitan diribebant: & videntur mutuati appellationem à Comitialibus, & Judiciarijs Diribitoribus. Fuit autem penes aliquem ſervorum Tricliniarium hæc panis diſtributio. c Juvenalis eleganter, ut ſolet,

c Sat. 5.

*Maxima quæq; domus ſervis eſt plena ſuperbis.*
*Ecce alius quanto porrexit murmure panem*
*Vix fractum, ſolidæ iam mucida fruſta farinæ,*
*Quæ genuinum agitent, non admittentia morſum.*
*Sed tener, & niveus, molliq; ſiligine factus*
*Servatur domino.* —

Et huc pertinent illa Petronij; *circumferebat Ægyptius puer clibano argenteo panem.* Promebant autem è caniſtris ſtatutis in ipſo Triclinio, ut indicat antiqua Sigmatis d ſcalptura, quæ Romæ trans Tiberim viſitur, è regione ædis D. Chryſogoni. ideoque e Juvenalis,

d edidit F. Urſin.
e Sat. prox. cit.

— *finge tamen te*
*Improbulum, ſupereſt illic, qui ponere cogat.*
*Vis tu conſuetis audax convivia caniſtris*
*Impleri, paniſque tui noviſſe colorem?*

f Lib. 1. Aen. f Virgilius,

*Dant famuli manibus lymphas, Cereremq; caniſtris*
*Expediunt.* —

ubi hæc Donatus; *hic diſpoſitionem familiæ regalis oſtendit. alij enim, hoc eſt viri, aquam abluendis manibus dabant, alij mantilia porrigebant, quibus manus ablutæ tergeren-*

*gerentur, alij caniſtris panem miniſtrabant, mos enim fertur apud veteres fuiſſe, ut panis non argenteis vaſculis inſerretur, ſed caniſtris, hoc eſt ſpeciebus factis ex vimine.* At ex his Donati verbis elicimus, in Petronio pleraque legi, quæ luxum referant non vulgarem, & tritum, ſed Imperatorium, & ſummæ inter luxurioſos fortunæ; quale eſt, quod de clibano argenteo vidimus. PRAEGVSTATORES nonnihil ex herilibus edulijs præmandebant. [a] Cornelius tacitus: *cuius miniſter è ſpadonibus fuit Halotus, inferre epulas, & explorare guſtu ſolitus.* [b] Arnobius; *curat ad ſenſum palati, ſuis cum iucunditatibus veniant rerum incorruptarum ſapores: & an ritè pulmenta condita ſint, Prægustatoris fungitur, atque experitur officio.* invehitur autem his verbis in Lateranum Deum focorum. Et hinc docemur, non in gratiam tantum vitæ tuendæ, ſed & voluptatis, gulæque cauſa inſtitutos fuiſſe Prægustatores. [c] Juvenalis tamen ad prius illud munus reſpexit;

*Mordeat ante aliquis, quidquid porrexerit illa*
*Quæ peperit: timidus prægustet pocula Papas.*

quod quidem præmordendi munus fecit fortaſſe, ut antiquus Grammaticus illa eiuſdem [d] poetæ

*Diſcipuli cuſtos premordet Acœnonetus.*

de Papate interpretatus ſit. [e] Horatius voluptariam prægustatoris operam tetigit in fabella de ruſtico, & urbano mure:

*Ergo ubi purpurea porrectum in veſte locavit*
*Agreſtem, veluti ſuccinctus curſitat hoſpes,*
*Continueq; dapes, nec non vernaliter ipſis*
*Fungitur officijs, prelambens omne, quod affert.*

apud Cæſaresprocuratio Prægustatorum Liberto de more demandebatur. Vetus elogium Romæ,

[a] lib. 12. Annal.
[b] Lib. 4.
[c] Sat. 6.
[d] Sat. 7.
[e] lib. 2. Sat. 6.

DIS. MANIBVS
TI. CLAVD. AVG. LIB
ZOSIMI. PROCVRAT
PRAEGVSTATORVM &c.

Ut & vini cenſura in epulas dominicas, quod notavit [a] Plinius. Et quoniam eſcaria vaſa aurea fuerunt, & argentea, ideò miniſter fuit ARGENTO præpoſitus, cuius meminit [b] Africanus ICs. AVRO præpoſitorum meminit [c] Clemens Alexandrinus, οἱ δὲ χρυσοφυλακοῦσιν ὡς γρύπες. præpoſitorum auro ESCARIO mentio extat in vetere inſcriptione, quam vidimus Romæ in hortis IVLII III. Pont. Max.

a Lib. 14. cap 6.
b lib. 22. de manum. teſt.
c lib. 3. Pæd.

DIS MANIB
GAMVS AVG. L. PRAEP. AVRI
ESCARI FECIT SIBI ET
FLAVIAE TYCHE CONIVGI
BENEMERENTI &c.

argentum ESCARIVM recenſuit Donatus, enarrans illa [d] Virgilij,

d lib. 1. Aen.

*Ingens argentum menſis, cælataque in auro*
*Fortia facta patrum* —

inquit enim; *idcirco adiecit menſis, ut oſtenderet eſcarium argentum, ne putaretur in ijs ſpeciebus eſſe, quæ longe eſſent ab uſu menſarum.* cælataque in auro fort. fac. *hic multiplex argenti laudatio. nam fuit ingentis formæ, perindeque magni ponderis, inſignitum auro, & decore mirabili, manu verò artifici ornatum, ut ars cum ſpeciei precio certare videretur.* In veteri marmore legitur. Præpoſitus auro GEMMATO, de quo [a] Juvenalis,

a Sat. 5.

— *tibi non committitur aurum,*
*Vel ſi quando datur, cuſtos affixus ibidem,*
*Qui numeret gemmas, ungueſque obſervet acutos.*

Fuit

Fuit & miniſterium argenti POTORII. Romæ legerunt viri docti.

OSSA

VIBIAE. SVCCESSAE. LIVIAE. AVG. SER.

AB. ARGENTO POTORIO. &c.

VIATORII præterea, & BALNEARIS meminit [b] ICs. SCAENICI mentio extabat olim Romæ in hortis Carpenſibus. [b] L. 42. de auro, & arg. Leg.

T. AELIVS. AVGVSTORVM. LIB. A
M.EMPTVS. AB ARGENTO SCAENI
CO & rel.

Erat autem argentum Scænicum, *quo dominus non temerè utebatur, ſed commodare ad ludos, & ad ceteras apparationes ſolebat*, ut [c] Alfenus interpretatur. Vaſa ipſa qui TERGERENT, & LAVARENT, huius cohortis manipulares videntur fuiſſe. [d] Juvenalis eorumdem meminit; [c] L. 30. de auro & arg. leg. [d] Sat. 14.

*Hoſpite venturo ceſſabit nemo tuorum.*
*Verre pavimentum, nitidas oſtende columnas,*
*Arida cum tota deſcendat aranea tela,*
*Hic lavet argentum, vaſa aſpera tergeat alter.*

[e] Horatius. [e] lib. 2. Sat. 4.

*Magna movent ſtomacho faſtidia, ſi puer unctis*
*Tractavit calicem manibus, dum furta ligurit:*
*Sive gravis veteri crateræ limus adhæſit.*

Nunc MINISTRATOR dicendus eſt. huiuſmodi in antiquis marmoribus nominantur AMARANTHVS AVGVSTI MINISTRATOR TVRRANIANVS. ERASTVS, & ANSIO CAESARIS MINISTRATORES. Petronius, *Vinum dominicum miniſtratoris gratia eſt.* [a] Seneca: *alius vini miniſter in muliebrem modum ornatus, cum ætate luctatur.* [b] Appuleius autem hæc Senecæ explicans, *pueros calamiſtratos pulchrè induſiatos, gemmas formatas in* [a] Epiſt. 47. [b] Lib. 2. Met.

*pocula vini vetuſti frequenter offerentes*, notauit. nimirum hic fuit muliebris ornatus; induſiatum eſſe, & calamiſtratum quempiam. Idem [c] Seneca: *tranſeo piſtorum turbam, tranſeo miniſtrorum, per quos, ſigno dato, ad inferendam cœnam diſcurritur*. Neque ſanè temerè coniungit hic noſter piſtores, & miniſtratores, cum & in Notitia (ut vocant) Imperij, ſub diſpoſitione viri Sp. Comitis Caſtrenſis, miniſteriales dominici recenſeantur, ad quos indicandos, inter Comitis inſignia, menſa panaria, & vinaria aliquot vaſa conſpiciuntur. Porrò, qui vinum miniſtrabat, à [d] Svetonio ad CYATHVM, & VINVM appellatur, ab [e] Appuleio POCILLATOR, à [f] Juvenale ad CYATHOS, in veteri epitaphio à POTIONE.

[c] Ep 95.
[d] Cæſare cap. 49.
[e] lib. 10. Met.
[f] Sal. 15.

TI. CLAVD. AVG. LIB
GRATIO. LIVIAE
AVG. SER. A. POTIO
NE. S. T. T. L.

à [g] Gallis SCANTIO. [h] Græcis OINOXOOC. hic vinum prægustabat. [i] Martialis de Alexi Virgiliano:

*Adſtabat domini menſis pulcherrimus ille,*
*Marmorea fundens nigra Falerna manu;*
*Et libata dabat roſeis Carcheſia labris.*

[g] L. Salic. Tit 11. edit. Baſil.
[h] Athenæus, & Lucian.
[i] Lib 8. 56.

hic idem qui à potione fuit & à LAGENA, ſeu LAGVNA: & confirmat antiqui marmoris elogium,

M. VLPIO. AVG. LIB.
PHAEDIMO. DIVI. TRAIANI. AVG
A. POTIONE ITEM A. LAGVNA. ET
TRICLINIARCH. LICTORI. PROXIMO. ET
A. COMMENT. BENEFICIORVM &c.

vas enim vinarium fuit lagena. Prægustatores autē: voluptati, & ſecuritati dominorum inſerviebant

illi,

illi, temperando ad blanditias guſtus: huic, prælibando ad inſidias cavendas. Et hoc demum ſerium fuit, & ſolidum miniſterium prægustatoris; quo fit ut [a] Cornelius Tacitus prudentiſſimus ſcriptor, ad hoc indicandum utatur verbo explorandi. Neque verò defuit CALIDAE, GELIDAEQ. miniſter, ut appellat [b] Juvenalis. [c] Seneca; *inde & illud ſequitur, ut minimis, ſordidiſque rebus non exacerbemur. parum agilis eſt puer, aut tepidior aqua potui errogata, aut turbatus thorus, aut menſa negligentius poſita.* ibidem; *perpetietur hic famem, & æſtivæ expeditionis ſitim, qui puero malè diluenti nivem iraſcitur?* Et quoniam ab his templis Bacchi, Cereriſque, non æquè aberant muſcæ, ac ab æde Herculis in foro boario abfuiſſe, memoriæ traditum eſt; ideò miniſter, qui MVSCAS FVGARET in triclinio fuit.

[a] *Annal. lib. 12.*

[b] *Sat. 5.*

[c] *lib. 2 de ira. cap. 25.*

[d] Martialis;

*Et æſtuanti tenue ventilat frigus*
*Supina praſino concubina flabello,*
*Fugatque muſcas myrtea puer virga.*

[d] *Lib. 3. 40.*

[e] Seneca: *quid enim eſt? cur tuſſis alicuius, cur ſternutamentum, aut muſca parum curioſè fugata, nos in rabiem agat, aut verſus calix &c.* Eiuſdem ordinis videtur fuiſſe puer à MATELLA. [f] Martialis,

[e] *loco cit.*

[f] *Lib. 3. 40.*

*Digiti crepantis ſigna novit Eunuchus.*

Matellam videlicet poſcentis ex inſtituto [a] Sybaritarum. Neſcio, quid huiuſmodi miniſterij tangit [b] Seneca: *ut primum iuſſus eſt fungi ſervili, & contumelioſo miniſterio (afferre enim vas obſcœnum iubebatur) illiſum parieti caput rupit.* Ceterum hic digitorum ſonus alios etiam ab his famulos excivit, ut conijcimus. Velius Longus; *nam & digitorum ſono pueros ad reſpondendum ciemus.* utebantur autem & ad alia

[a] *Athenæus lib. 12.*

[b] *Epiſt. 77.*

pro-

c Lib. 1. El. 2. promiſcuè. c Tibullus:

*Non labor hic lædit, reſeret modò Delia poſtes,*
*Et vocet ad digiti me taciturna ſonum.*

Ceterum poppyſmata, ſibili, & digitis expreſſi ſoni, quibus accerſebantur famuli, cum ſint rationis expertes ſignificationes, ex ſententia d Clementis Alexandrini, ratione præditis hominibus omninò vitanda ſunt. Ideoque apud e Gregorium Turonenſem Mummolus calculoſus, *tangens unum puerorum, voce tenui vaſculum poſtulat exhiberi*. Et hoc erat, quod Martialis *ſignum* vocavit (ut vidimus) *digiti crepantis*, & *argutias pollicis*, alibi, *crepitumq; digitorum*. Petronius graphicè: *cum has miraremur lauticias, Trimalcio lautiſſimus homo digitos concrepuit, ad quod ſignum matellam ſpado ludenti ſuppoſuit. exonerata ille veſica, aquam popoſcit ad manus, digitoſq; paululum aſperſos, in capite pueri terſit*. Quid autem moverit dominos, ut voci parcerent, etiam cum miniſteria citarent, ego quidem non video, niſi dicamus, hoc illis viſum eſſe faſtigium dominicæ dignitatis, vocem non conſociare, ſed quidquid opus eſſet, nutu, aut manu ſignificare. Ad hanc dominicam geſticulationem (digitorum ſive manuum) referre poſſumus, quæ leguntur apud Regem, & prophetam f Davidem, vertentibus noſtris; *ecce ſicut oculi ſervorum in manibus* (Græcè aptius εἰς χεῖρας) *dominorum, ſuorum, ſicut oculi ancillæ in manibus dominæ ſuæ &c.* Quod enim hæc a Johannes Campenſis de diurno, ſeu demenſo accepit: b alij de patrocinio, id mihi quidem non æque placet, ac prior ille ſenſus, qui & c Genebrardo enarratori optimo non diſplicuit. De nutu intelligenda ſunt, quæ extant in capitibus accuſationis Tribuniciæ, in P. Scipionem Africanum,

d lib. 2. Pæda.
e lib. 1. miracul. 40.
f Pſalm. 122.
a in paraphr. Pſ. 123.
b Ioh. Bapt. Folengus.
c Pſalm. cit.

num, apud [d] Livium; *unum hominem caput, columenque Imperij Romani eſſe: ſub umbra Scipionis civitatem dominam orbis terrarum latere: nutus eius pro decretis Patrum, pro Populi iuſſis eſſe.* Ad quam imperandi normam directum videtur pulcrum illud [f] adagium, *πᾶς δυεαπότης δυϋλῳ μονοσύλλαβον*. Epulanti domino adſtabant pueri AD PEDES, inde appellationem nacti. [g] Seneca: *ſervus qui cœnanti ad pedes ſteterat, narrat, quę inter cœnam ebrius dixiſſet.* [h] Svetonius; *nihilo reverentior, leniorve erga Senatum. quoſdam ſummis honoribus functos, ad eſſe dum ſibi occurrere togatos per aliquot paſſuum millia, & cœnanti modò ad pluteum, modò ad pedes ſtare, ſuccinctos linteo paſſus eſt.* De Calviſio Sabino ſtulto divite hæc [i] Seneca; *habebat ad pedes hos, à quibus ſubinde cum peteret, verſus quos referret, ſæpè in medio verſus excidebat.* Et hos ego [k] Ciceroni CIRCVMPEDES appellari conijcio: *ſervos artifices pupilli cum haberet domi, circumpedes autem homines formoſos, & litteratos.* Litteratos quidem, ut habuit Calviſius; formoſos, ut plerique omnes è ſecta hominum beatorum, qui pueris forma inſignibus non triclinium modò, ſed & coquinam referſerant. [l] Martialis.

*Quis ergo tam durus, quis tam fuit ille ſuperbus,*
*Qui iuſſit fieri te Theopompe cocum?*
*Hanc aliquis faciem nigra violare culina*
*Suſtinet? has uncto polluit ungue comas?*
*Quis potius cyathos, aut quis chryſtalla tenebit?*
*Qua ſapient melius mixta falerna manu?*
*Si tam ſidereos manet exitus iſte miniſtros:*
*Iupiter utatur iam Ganymede coco.*

In quibus ſanè verſibus elucet Petroniana illa ſub Trimalcionis nomine latens lautitia. ut enim ille di-

[d] Lib. 38.
[f] apud Adagiogr.
[g] lib. 3. de Benef.
[h] Calig. c. 26.
[i] Epiſt. 27.
[k] in Verr. 2.
[l] Lib. 10. 66

gitos in capite pueri terſit, ita videtur Theopompi dominus ad eiuſdem comas ungues unctos affricuiſſe, munditiæ cauſa. Horum, quos ad pedes vocabant, officium fuit, ſoleas accumbentium dominorum cuſtodire. [a] Martialis:

a Lib. 12. 89.

*Bis Cotta ſoleas perdidiſſe ſe queſtus,*
*Dum negligentem ducit ad pedes vernam,*
*Qui ſolus inopi præſtat, & facit turbam:*
*Excogitavit homo ſagax, & aſtutus,*
*Ne facere poſſet tale ſæpius damnum:*
*Excalceatus ire cœpit ad cœnam.*

Hos eoſdem dixerunt A PEDIBVS. [b] Cicero; *nec ullam ob aliam cauſam Pollucem ſervum à pedibus meum, Romam miſi.* [c] Martialis feſtivè;

b Lib. 8. ad Att. ep. 5.

c Lib. 5. 70.

*Omnia cum retro pueris obſonia tradas,*
*Cur non menſa tibi ponitur à pedibus?*

Et hæc demum eſſet in ſacris tabulis vera, & germana ſtatio MARIAE MAGDALENAE, quam pictores noſtri, inſcitia per manus, & penicillos tradita, coniurarunt, ut perpetuo contra fidem hiſtoriæ in triclinio Simoniano malè collocarent. Jam verò quæ facies miniſtrorum tricliniarium eſſet, quis cultus, quæ frequentia, qui ſplendor, quæ ſpecies triclinij ipſius, nemo melius [a] Philone expreſſit. Scribit enim, *triclinia lectos habent eburneos, aut teſtudineos, aut precioſioris materiæ, gemmatos pleroſque, ſtratos auro, intertexta purpura, vel alijs floridis coloribus varijs, oculos allicientibus, poculorum etiam vim magnam, digestorum per ſuas ſpecies. præsto ſunt enim ſcyphi, calices, phialæ, thericlea, toreumataque clarorum artificum; miniſtrantibus formoſis* MANCIPIIS, *non tam ad præſens miniſterium queſitis, quàm ad exhilarandos aſpectu convivis oculos. ex his minores pueri* PINCERNAS

a de vita contempl.

*agunt,*

*agunt, grandiores* AQVAM *afferunt, loti, & nitidi, fucatiquè, ac cincinatuli, alunt enim* CAPILLITIVM, *vel omninò* INTONSI, *vel à* FRONTE *tantum preſectis in orbem crinibus, tenuiſſimas, candidaſque præcincti* TVNICAS, *anteriore parte ad genua demiſſas, poſteriores ad poplites, utrimque mollibus tenijs adſtricti commiſſuras tunicæ, propendentibus ad latera ſinibus. ſic ornati adſtant nutus obſeruando, quid quiſque poſtulat. adſunt & alij adoleſcentes prima lanugine malas veſtiti, qui paulò ante amatorum ſuorum deliciæ fuerant, curioſe docti gravioris momenti* MINISTERIA; *mera oſtentatio magnæ opulentiæ.* Hæc ille, ſed latinè reddita. [b] Seneca & ipſe concinnè ſatis: *Convivia me hercule horum non poſuerim inter vacantia tempora, cum videam, quàm ſolliciti* ARGENTVM *ordinent, quàm diligenter* EXOLETORVM *ſuorum tunicas ſuccingant, quàm ſuſpenſi ſint, quomodo aper à coco exeat, quanta celeritate, ſigno dato,* GLABRI *ad miniſteria diſcurrant, quanta arte* SCINDANTVR *aves in fruſta non enormia, quàm curioſè infelices puerulí ebriorum ſputa* DETERGEANT. *ex his elegantiæ, lautitiæquè fama captatur; & uſque eo in omnes vitæ ſucceſſus mala ſua illos ſequuntur, ut nec bibant ſine ambitione, nec edant.*

b de breuit. vitæ cap. 12.

Omnem autem hanc huiuſmodi ſervorum operam ob oculos nobis ponet [a] Petrus Chryſologus: *ſervus namque poſt vigilias antelucanas, poſt totius diei varios, & duros labores, poſt trepidantes & anxios concurſus, & parat domino ſuo cœnam, & cinctus, quod, paraverat ſubminiſtrat: non eſt elatus, quia fecit, ſed eum devotione ſingula faciens contremiſcit. & apponit domino ſuo cibos multiplices arte lota totius ſaporis conditos, ipſe autem ſemicoctam nec ſalitam forſitan cœnulam guſtaturus; porrigens crebra pocula, variat calices, vina mutat, ad longiſſimi convivij ſabulas longiores ſtat fixus, ſtat*

a Serm. 161.

*moveri neſcius, ſtat, cui laſſeſcere non-licet ſervituti. & cum dominus iam partem noctis inſomnem deducit, peragit inquietem; ſervus colligit, curat, accurat, ponit, componit, reponit, & ſic in rebus neceſſarijs immoratur, ut nihil ſibi aut parum noctis ad eſcam reſervet, & ſoporem, poſt hæc omnia niſi pervigilet in craſtinum, & dominum prævenerit dormientem, feſſus indefeſſus manicabit ad verbera, ad præſentem pœnam nihil heſterno ſubvenit ei de labore.* Hactenus Chryſologus. Cecidit verò percomodè, ut apud ALOYSIVM CORRADINVM I. C. hominem ſummâ prudentiâ, multâ etiam doctrinâ, icunculas æreas antiqui operis nacti fuerimus, quæ ſervos de triclinio dubio procul effingunt, eoſque pocillatores. Afferent illæ Philonis verbis non minimum lucis, dabuntque in conſpectum quicquid ille de accurato CAPILLITIO, & TVNICARVM præcinctione diſſeruit. habebunt inſuper, qui perdiſcendæ antiquitatis ſtudio flagrant, quid ſibi velint Illa [b] Iuvenalis;

[b] Sat. 2.

— *vitreo bibit ille priapo.*

& ad ipſum antiquus Grammaticus.









Verum

# CAPUT X.

*De Symphoniacis.*

VErum ne ſolus venter delectaretur, erant in triclinio SYMPHONIACI familiares, qui ſunt Luciano [a] μεσουργοὶ. [b] Seneca: *in comeſſationibus noſtris plus cantorum eſt, quàm in theatris olim ſpectatorum fuit* [c] CHRISTUS Dominus; ἦν δὲ ὁ υἱὸς αὐτοῦ ὁ πρεσβύτερος ἐν ἀγρῷ. καὶ ὡς ἐρχόμενος ἤγγισε τῇ οἰκίᾳ, ἤκουσε συμφωνίας καὶ χορῶν. [d] Cicero: *animi, & aurium cauſa tot homines habet, ut quotidiano cantu: vocum & nervorum, & tibiarum, nocturniſque convivijs tota vicinitas perſonet*. Idem [e] auctor: *cum in eis convivijs ſymphonia caneret, maximiſque poculis miniſtraretur*. [f] Sidonius; *ſit tamen, quod illic nec organa hydraulica ſonant, nec ſub phonaſco vocalium concentus meditatum acroama ſimul intonat. nullus ibi lyriſtes, choraules, moſchorus, tympaniſtria, pſaltria canit*. [g] Svetonius; *& aut acroamata, & hiſtriones, aut etiam triviales ex circo ludios interponebat, ac frequentius aretalogos*. In convivio videlicet. Acroamata ſymphoniaci ſunt; Aretalogi, narratores. [h] Juvenalis,

> — *attonito cum*
> *Tale ſuper cœnam facinus narraret Vlyſſes*
> *Alcinoo, bilem, aut riſum fortaſſe quibuſdam*
> *Moverat, ut mendax aretalogus. in mare nemo*
> *Hunc abicit, ſæva dignum veraque Charybdi,*
> *Fingentem immanes Læſtrygonas atque Cyclopas?*

Ab his diverſæ [i] acroaticæ Ariſtotelis commentationes. quamvis enim auditoribus cognobiles eſſent, continebant tamen philoſophiæ remotioris, ſubtilioriſque ſumma quædam capita, quæ tum ad

a in Gallo.
b Ep. 81.
c Luca 15.
d pro Sexto Roſcio.
e lib. 3. Accuſ.
f Lib. 1 ca. 2.
g Aug. ca. 76.
h Sat. 15.
i Gellius lib. 20. cap. 5.

naturæ contemplationes, tum ad dialecticas diſceptationes pertinerent. Cornelius Nepos de Attico; *nemo in convivio eius aliud acroama audiuit, quàm anagnoſten.* Remiſſior Atticco [a] Auguſtus, qui ſi *interruptum ſomnum recuperare, ut evenit, non poſſet, lectoribus, aut fabulatoribus arceſſitis, reſumebat.* [b] Lampridius: *Nanos & nanas, & moriones, & vocales exoletos, & omnia acroamata, & pantomimos populos donavit.* Erit huius loci admonere, ſymphoniacos etiam in navi fuiſſe, qui celeuma remigibus canerent; & *per aſſam vocem*, inquit [c] Aſconius, *id eſt ore prolatam, & ut in Argo navi per cytharam.* Et ſanè in Argo navi teſtatur Hyginus, Orphea, per cytharam celeuma modulatum eſſe; quod & [d] Val. Flaccus tetigit;

[a] Sueton. cap. 78.
[b] Alex. Seuero.
[c] ad diuination. Cicer.
[d] lib. 1. Argon.

*Nec verò Othryſius tranſtris impenditur Orpheus,*
*Aut pontum remo ſubigit, ſed carmine tonſas*
*Ire docet, ſummo paſſim ne gurgite pugnent.*

[e] Idem alibi,

[e] eod. Lib.

*At ducis imperijs Minyæ, monituque frequentes*
*Puppem humeris ſubeunt, & tento poplite, proni*
*Decurrunt, intrantque fretum. non clamor anhelis*
*Nauticus, aut blandus teſtudine defuit Orpheus.*

Nauticus clamor, celeuma eſt, ut dicemus. [f] Martialis:

[f] Lib. 3. 144.

*Ne blando rota ſit moleſta ſomno,*
*Quem nec rumpere nauticum celeuma,*
*Nec clamor valet belciariorum.*

[g] Rutilius Numatianus:

[g] Lib. 1.

*His mecum pigri ſolabar tædia venti,*
*Dum reſonat varijs vile celeuma modis.*

Nec aliud intellexit Panegyriſta, neſcio quis: *ita in aquas ſponte ſubeuntes impetum navigia fecerunt, levi modo commata nixu ducentium, quorum ad feliciſſimum*

*illud*

*illud exordium, magis opus erat nautico carmine, quàm labore.* Nauticum carmen. *nauticus cantus* Ciceroni, [h] *Lib. 3. Aen.* eſt, [h] Virgilio *nauticus clamor.* cuius illud ſpecimen teſte Seruio.

*Hortantur ſocij, Cretam, proavoſque petamus.*


Celeuma hodie noſtris moribus, voce, vel parva ſiſtula canitur nautis. Nunc ad domeſticos ſymphoniacos redeamus. Muſicorum corpus CHORVM illi appellabant, ut [a] Servius & [b] ICti. ſcribunt [c] Seneca eleganter; *non vides, quàm multorum vocibus chorus conſtet? unus tamen ex omnibus ſonus redditur. aliqua illic acuta eſt, aliqua gravis, aliqua media. accedunt viris fœminæ, interponuntur tibiæ: ſingulorum illic latent voces, omnium apparent.* Ceterum neque ſine choro CHORAVLES ſervus, neque ſine CITHAROEDO convivium fuit, mittamus Virgilium, Silium, Appuleium; uno Ammiano contenti erimus: [d] *cumque apponerentur exquiſitæ cupediæ, & ædes pulſu nervorum, & articulato, flatilique ſonitu reſultarent.* loquitur autem de convivio Traiani, qui rem militarem in Armenia curabat. Cytharœdos moris erat infibulari, tum quæſtus, tum vocis gratia. [e] Juvenalis:

[a] *lib. 1. Georg.*
[b] *L. 77. de Leg. 3. L. 34. de adil. ed.*
[c] *Epiſt. 84.*
[d] *Lib. 30.*
[e] *Sat. 6.*

*Solvitur his magno Comœdi fibula. ſunt quæ*
*Chryſogonum cantare vetent.* —

Infibulandi rationem monſtravit [f] Cornelius Celſus, qui hoc quidem ſæpius inter ſupervacua, quàm inter neceſſaria eſſe teſtatus eſt. cuiuſmodi erat quod inſectatur [g] Plinius, adhibitas argenteas fibulas mancipijs ad tranſitum virilitatis. mihi ſanè non niſi æreas videre contigit, & habere, quarum hic ſpeciem exhibeo.

[f] *Lib. 7. c. 25.*
[g] *lib. 33. cap. 12.*






At quod ad figuram Citharœ dicarum attinet, inijcit ſanè ſcrupulũ vetus gloſſator, qui ad illa [a] Juvenalis,

a Sat. 6.

*— nullius fibula durat vocem vendentis Prætoribus —*

ſcriptum reliquit: *fibulam dicit circellos, quos Tragœdi ſive Comœdi*



*mœdi in pene habent*. At licet ſciamns, gloſſas illas non eſſe omninò eas, quibus fidem tutò habere poſſimus, quod ſint aliquando more centonum conſarcinatæ, & coagmentatæ alicubi ſine ullo delectu, ſcrupulum tamen nobis eximi nõ *ita* facilè patimur. Primum quia GVIDVS PANCIROLVS præceptor meus, vir optimus,& eruditiſſimus,cuius ea vera laus fuit, ut qui eum viderent, loquentemque audirent, redirent ferè doctiores, cultioreſque, is inquam in commentario illo, in quo commiſit inter ſe præclara reperta tum ævi veteris, tum recentioris, arbitratus eſt, haſce fibulas in eo uſu fuiſſe, ut veſtes ſubnecterent. Accedit deinde, quòd acus fibularum noſtrarum eâ craſſitie ſunt, ut perincommodæ videantur tranſuendæ cuti. Addamus, afflicturas dubio procul pondere ſuo illos,quos contigerit infibulari,cum præcipiat Celſus leviores tantum aptari,

ri, cuiuſmodi una, aut altera earum, quas delineandas curavimus, videri poſſint. Circelli ſane, quos antiquus Grammaticus recenſuit, aptiores fuerunt, & quia leves erant, minimeque oneroſi, & quia audio religioſos, neſcio quos, Turcarum, quos illi [a] Calender vocant, huiuſmodi annulis ferreis, ſeu cuprinis, addo etiam argenteis, infibulare ſe ſe, ad aucupandam apud populares ſuos opinionem ſanctitatis. Statuamus igitur (ſi placet) fibulas, quarum exempla dedimus, veſtiarias fuiſſe, Muſicos autem noſtros uſos circellis, quos & ipſos fibulas appellarent. Et profectò fibulas, quæ apud [b] Vegetium leguntur in veterinaria, circellorum ſpeciem præſetuliſſe multa faciunt, ut credam. Noſtræ ſanè (Muſicorum dico) [c] thecam adnexam quandoque habuerunt, quæ nudorum virilia includeret; cuius vicem ſupplevit aliquando etiam [d] Aluta. De veſtiaria fibula hæc [e] Prudentius:

*Rex ipſe Coos æſtuantem murices*
*Lænam revulſa diſſipabat fibula.*

Revellebatur autem acus, quæ vocabatur, & meminit [f] Trebellius Pollio: *fibulas argenteas inauratas duas. Fibulam auream cum acu cuprea unam.* de eadem fibula [g] Chryſologus, qui Johannem Baptiſtam vocat legis, & gratiæ fibulam, *quæ diploidem ſummi ſacerdotis ſancto patri iungebat in pectore.* Harum apud Cæſares is numerus fuit, ut inter Palatina miniſteria legatur alicubi Præpoſitus AFIBLIS. CITHAROEDAS indicant marmora antiqua in miniſterio fuiſſe extat Romæ monoclinij ſcalptura (ita liceat appellare) in quo mulier ſedens citharam pulſat. Confirmat vetus elogium, Auxeſis, & Neriſi (minus ingenuorum

*a Menauinus Lib. 2. cap. 11.*
*b lib. 2. cap. 15. & 31.*
*c Martialis lib 11, 76. lib. 7. 81.*
*d lib 7. 34.*
*e Hymno ie nant. quem imitatus eſt Alcimus Auitus lib. 4. cap 12.*
*f Claudio.*
*g Serm. 91.*

rum nominum) muliebria hæc ſtudia, pſallendi, & oblectandi aures, viguiſſe olim, & placuiſſe. Mentio utique apud [a] Horatium, [a lib.4. carm. Ode 13.]

— *virentis &*

*Doctæ pſallere Chiæ* —

miniſteria noſtra propius tangit. ut & *ſcitiſſimi utriuſque ſexus canentes, & pſallentes, quos adoleſcens è terra Aſia*, apud [b] Gellium habuiſſe ſcribitur: pueri nimirum, ac puellæ. [b lib.19. ca.9.]


D. M.
AVXESI CITHAROEDAE
CONIVGI OPTIMAE
C. CORNELIVS NERIFVS FECIT
ET SIBI

Has alij pſaltrias, fidicinas, cithariſtrias appellant. [c] Prudentius hoc miniſterium tetigit eleganter; [c Hamartig.]

*Num propter lyricæ modulamina vana puellæ,*
*Nervorumque ſonos, & convivale calentis*
*Carmen nequitię, patulas Deus addidit aures?*

Citharæ autem ſpecies enumerat [d] Iſidorus pſalteria, lyras, barbita, & alias quadrata forma. nec non & trigonali. Nos hic aliquot declineandas curavimus, rariores illas quidem, ſed & ſtudioſis antiquitatis adiumento futuras ad cognoſcendas teſtudinis partes, laterna, cacumina, brachia, humeros, ſcapulas, pectines, modulum, tympanum. [d lib. 3. orig.]

Et




## CAPUT XI.

*De Tibicinibus, & Organicis, eorumque varijs Inſtrumentis, & generibus.*

ET licet Minerua tibias abiecerit, quòd vultum inſtantis deformarent, non defuerunt tamen TIBICINAE, quæ abiectas tollerent. [a] Plautus:

a Sticho.

*Poſt ut occœpi narrare, fidicinas, tibicinas,*
*Sambucinas aduexit ſecum forma eximia.* —

TIBICEN autem, & FIDICEN, qui Duillio præibant à cœna domum reuertenti, an ſerui fuerint, nec ne, alij viderint. Ego ſanè non diſpicio, quid prohibeat, familiares, & vernaculos fuiſſe. Cum præſertim è grege domeſticorum FISTVLATOR ama-

amanuenſis, concionanti [b] Graccho eburneolam fiſtulam inflaret, ad quam ille vocem, ac geſtum componeret. huius ſanè ordinis fuit puella ex Hebræis, in regio convivio calamos infians apud [a] Abdiam. SAMBVCINAE ſunt, quas [b] Liuius noſter ſambuciſtrias appellat. Sambuca autem fuit organi genus, in quo cordæ intendebantur, ut ait Feſtus, quamuis [c] Iſidorus neſcio, quid de tibijs innuat. Neque deſideratæ ſunt in convivijs CROTALISTRIAE. [d] Propertius;

b Cic. 3. de Orat.

a Lib. 9. hiſt. Apoſt.

b Lib. 9.

c Lib. 3. orig.

d Lib. 4. el. 1.


*Nile tuus tibicen erat, crotaliſtria Phyllis.*

Crotalum autem (ut & alias monuimus) perperem confundit cum Siſtro vir doctus. Figurâ primum variabant omninò, hoc enim erat oblongum, manubriatum in ima ſui parte, cancellatum traiectis virgulis, & ut uno verbo dicam, laminæ, & præterea nihil; Illud (ſi [e] Euſtatio credimus) vas è teſta, ligno, aut ære, quod manibus tenebatur. videtur autem colliſum, ſonitum edidiſſe, ut indicat [f] Plinius de margaritis loquens: *ſubeunt luxuriæ eius nomina, & tædia exquiſita perditiore portatu, ſiquidem cum id fecere, crotalia appellant, ceu ſono quoque gaudeant, & colliſu ipſo margaritarum*. Calamus certè ſciſſus, cuius meminit [g] interpres Ariſtophanis, huius loci non eſt Dirimet autem hanc controverſiam Siſtri figura, quam hic apponemus, cum neſcio quibus alijs crepitaculis, depromptis ex antiquis monumentis, quæ nos proximè ad crotalum accedere arbitramur. damus, & tibias, & fiſtulam, & utriculum, in quibus benevolus ſpectator ſtudium noſtrum æqui, bonique conſulat.

e Iliad. A.

f lib. 9. ca. 35

g in Nebulis, à quo Suidas.



At crotali crepitus onocrotalo avi nomen videtur impoſuiſſe, quod vocem forſan edat ciconiæ ſimilem, quam & ipſam crotaliſtriam appellavit Petronius, at Ægyptij crotalum, ſi [a] Joanni Saris berienſi fidem velimus habere, qui & addit; *crotala quoq; dici ſonoras ſphærulas, quæ quibuſdam granis interpoſitis, pro quantitate ſui, & ſpecie metalli, varios ſonos edunt.* Hæc ferè omnia ſymphoniacorum organa complexus eſt [b] Petrus Chryſologus; *venit pietatis illa, non voluptatis exhibitura convivium: deniq; & pœnitentiæ ponit menſam, fercula compunctionis apponit, panem doloris infert, potum lacrymis temperat in menſura, & ad delicias Deitatis totas, totam pulſat cordis ſui, & corporis ſymphoniam. Organi planctu dat clamorem, citharam per ſuſpiria longa modulatur, gemitus aptat in fiſtulam, & dum pectus ipſum conſcientiam arguens ſæpè percutit, facit placitura Deo cymbala perſonare.* Cymbala eius figura erant, qua cotyledonis folia ſunt, ut teſtantur [c] Dioſcorides, & [d] Scribonius Largus; Latini umbilicum Veneris vocant. Coxendicibus aſſimilat [e] Plinius, acetabulis [f] Iſidorus. Ambabus enim manibus (erant enim manubriata, vel anſata ex intima convexitate) apprehendebantur, & comploſa concuſſaque ſonitum edebant tinniebantque. tinnitus enim cymbalorum proprius fuit. [g] Catullus de Satyris, & Silenis,

*Plangebant alij proceris tympana palmis,*
*Aut teriti tenues tinnitus ære ciebant.*

[h] Virgilius:

*Tinnituſque cie, & matris quate cymbala circum.*

[i] Ovidius;

*Liba Deo fiunt: ſuccis quia dulcibus idem*
*Gaudet, & à Baccho mella reperta ferunt.*

a Policratici Lib. 8. c. 12.
b Serm. 93.
c Lib. 4.
d cap. 55.
e Lib. 25. cap. ult.
f Lib. 3. Orig.
g de nupt. Pel. & Thet.
h lib. 4. Georg.
i lib. 3. Faſtor.


*Ibat arenoſo Satyris comitatus ab Hebro,*
*Non habet ingratos fabula noſtra iocos.*
*Iamque erat ad Rhodopen, Pangæaq; flumina ventum,*
*Aeriferæ comitum cum crepuere manus.*
*Ecce novæ coeunt volucres tinnitibus actæ,*
*Quoſque movent ſonitus, æra ſequuntur apes.*

a lib. 3. Metam. [a] Idem alibi colliſionem cymbalorum tangens;
*Quis furor anguigenæ, proles Mavortia, veſtras*
*Attollit mentes? Pentheus ait. æra ne tantum*
*Aere repulſa valent?* ——

b lib. 8. Metam. de tinnitu [b] Appuleius: *inibi vir principalis, & alias religioſus, & eximiè deum reverens, tinnitu cymbalorum, & ſonitu tympanorum, cantuſque Phrygij mulcentibus modulis excitus, &c.* c Lib. 7. [c] Arnobius; *etiamne æris tinnitibus, quaſſationibus cymbalorum? etiamne tympanis? etiamne ſymphonijs? quid efficiunt crepitus ſcabillorum? ut cum eos audierint numina, honorificè ſecum exiſtiment actum, & ferventes animos irarum oblivione deponant?* Quod d Epiſt. 1. ad Corinth. cap. 13. ergo D. [d] Paulus ſcripſit: γέγονα χαλκὸς ἠχῶν ἢ κύμβαλον ἀλαλάζον, rectè verſum Latinè eſt, *factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens.* ad organi ſa- e Ecl. 3. nè cavam inanitatem reſpexit [e] Nemeſianus:
*Pronus at ille lacu bibit, & crepitantibus haurit*
*Muſta labris: alius vocalia cymbala mergit,*

Porrò mulieres, quæ cymbala quaterent, pro analogia vocabimus CYMBALISTRIAS, vidimuſque eas ſæpè ac ſæpius Romæ in ſcalpturis Bacchanalium ſacrorum, è quibus hæc damus.

Hinc



Hinc autem apparet , quomodo cymbala collide- rentur . quod intelligens [a] Amalarius Fortunatus ſcriptum reliquit , *cymbala invicem tanguntur , ut ſonent : ideo à quibuſdam labijs noſtris comparata ſunt .* Materia cymbalorum fuit ex ære ; quod licet ſatis pateat ex ijs , quæ ſupra retulimus , [b] Martialis tamen etiam diſticho illuſtrabimus ; a lib.3. cap.3. b lib.14.204.

CYMBALA

*Aera Celenæos lugentia matris amores*
*Eſuriens Gallus vendere ſæpè ſolet .*

An verò Naulia cymbalorum figurâ eſſent , non eſt admodum dictu facile [c] Ovidius ſanè tangit, neſcio quid , quod huc referri poſſit : c lib. 3. de arteam.

*Diſce*

*Diſce etiam duplici genialia Naulia palma*
*Vertere, conveniunt dulcibus illa iocis.*

At hæc valdè implicata ſunt, egentque aliquo Alexandro, qui non gladio diſſecet, ſed explicet calamo, & diſſolvat. Tympana qualia eſſent, antiqua numiſmata indicant, in quorum averſa parte Cybele mater Deûm tympanum in ſinu gerit, vel eidẽ innititur. Eximiè deſcripſit [a] Plinius de margaritis ſcribens; *quibus una tantum eſt facies, & ab ea rotunditas averſis planicies, ob id tympana nominantur.* Quæ imitatus [b] Iſidorus: *tympanum autem dictum, quod medium eſt. unde & margaritarum medium tympanum dicitur.* Erant autem, ut ſcribit idem [c] Iſidorus pelle, vel corio ſuperinducta. [d] Phædrus:

a lib. 9. ca. 35.
b Lib. 3. Orig.
c loco cit.
d lib. 4. Fab.

*Galli Cybeles circum queſtus ducere*
*Aſinum ſolebant baiulantem ſarcinas.*
*Is cum labore, & plagis eſſet mortuus,*
*Detracta pelle ſibi fecerunt tympana,*
*Rogati mox à quodam delicio ſuo,*
*Quidnam feciſſent, hoc locuti ſunt modo;*
*Putabat ſe? poſt mortem ſecurum fore,*
*Ecce aliȩ plagȩ congeruntur mortuo.*

Hæc autem virgula percutiebantur aliquando; ideò plagarum meminit Phædrus, àliquando manu impellebantur. [e] Ovidius:

e lib. 4. Met.

*Fœmineȩ voces, impulſaque tympana palmis.*

[f] Catullus,

f De Aty.

*Niveis citata cepit manibus leve tympanum,*
*Tympanum, Tubam, Cybele tua mater initia:*
*Quatienſque terga tauri teneris cava digitis*
*Canere hæc ſuis.* —

[a] Svetonius: *ſed & populus quondam univerſus ludorum die, & accepit in contumeliam eius, & aſſenſu maximo*

a Auguſto c. 68.

com-

*comprobavit verſum in ſcæna pronunciatum de Gallo matris Deum tympanizante,*

*Vides ne, ut Cynædus orbem digito temperet?*

huc alluſit Auſonius in Pythagorica acroaſi de viro bono;

*Sit ſolidum, quodcumque ſubeſt, nec inania ſubtus*
*Indicet admotus digitis pellentibus ictus.*

D.[b] Auguſtinus; *plaudat nunc organis Maria, & inter veloces articulos tympana puerperæ concrepent.* Tympani ſonitum [c] Catullus expreſſit elegantiſſimè, ut omnia.


b Serm. 18. de Sanctis.

c loco cit.

*Vbi cybalum ſonat vox, ubi tympana reboant.*
*Leve tympanum remugit, cava cymbala recrepant.*

Porrò forma tympani hæc fuit, quam exhibemus, prima facie cribrum referens. ut non immeritò legamus in judicio coci, & piſtoris

*Tympana habet Cybele: ſunt & mihi tympana cribri.*



Eſt

Eſt verò notandum, organum illud, cuius orbis bracteolis, & orbiculis inſignitur, a noſtratibus cymbalum vocari eâdem prope licentiâ, quâ A. [a] AVGVSTINVS tympanum crotali nomine, & [b] VINC. CARTARIVS ſiſtrum cymbali appellatione deſignarunt. Apud [c] Virgilium autem quæ eſſent *tympana* plauſtrorum (ut & hoc obiter tangamus) ineptè declaravit Servius, ſive alius quiſpiam Servij nomine. Egregiè Jun. Philargyrius, rotas ex *ſolidis* tabulis factas interpretatur, cuiuſmodi Romæ viſuntur in antiquis monumentis, quæ [d] *alij* ante nos delineanda curarunt. Tympana pulſabant TIMPANISTRIAE. Sidonius de cœna Theodorici: *ſane intromittuntur, quamquam raro inter cœnandum mimici ſales, ita ut nullus conviva mordacis linguæ felle feriatur. ſic tamen, quod illic nec organa hydraulica ſonant, nec ſub phonaſco vocalium concentus meditatum acroama ſimul intonat, nullus ibi lyſtes, choraules, meſochorus, tympaniſtria, pſaltria canit*. Meminit, & regius [e] Pſaltes juvencularum tympaniſtriarum, & D. [f] Auguſtinus. At quando toti nunc in his ſumus, ſcribamus, & de organo aliqua, lucem Chryſologo, & Sidonio allatura. Organum *vocabulum eſt generale vaſorum omnium muſicorum*, inquit [g] Iſidorus, *hoc autem cui folles adhibentur, alio Græci nomine appellant: ut autem organum dicatur, magis ea vulgaris eſt conſuetudo Grecorum*. Et ad hanc Iſidori regulam *organicos* vocat cytharœdos [h] Lucretius, *organa* cytharas [i] Juvenalis. Antiqui autem organa ſua quandoque follibus, quandoque animabant aqua immò, & hydraulica ipſa, follibus non caruerunt. [k] Porphyrius;

*Hæc erit in varios ſpecies aptiſſima cantus,*
*Perque modos gradibus ſurget fœcunda ſonoris,*

a Dial. 2. & 5
b in imag.
c lib. 2. Georg.
d Lucas Paetus.
e Pſal. 67.
f Serm. cit.
g lib. 3. Orig.
h lib. 2. & 5.
i Sat. 6.
k in panegyr. dicto Conſtantino Aug.

Aere

*Aere cavo, & tereti calamis creſcentibus aucta.*
*Quis benè ſuppoſitis quadratis ordine plectris*
*Artificis manus in numeros claudit, aperitque,*
*Spiramenta probans placidis benè conſona rithmis;*
*Sub quibus unda latens properantibus incita ventis,*
*Quos vicibus crebris iuvenum labor haud ſibi diſcors*
*Hinc atque hinc animęque agitant.*

Hæc qui tractabat, HYDRAVLES, & ORGANARIVS dicebatur Spiritalia ſanè noſtra, & pneumatica ideo videntur prævaluiſſe, quod aquariorum organorum non eſſet facilis ratio, ut inquit [a] Vitruvius. Incertus quidem [b] auctor in annales Gallicos retulit, anno Domini DCCCXXVI, Georgium quendam presbyterum de Venetia organum hydraulicum Aquiſgrani feciſſe quod argumento ſit, aut deſijſſe prorſus iam tum, aut minus fuiſſe in uſu. Nos huius generis organum Romæ vidimus, in Quirinali in hortis Pontificiis, audivimusque non ſine comitum admiratione, cum muſicos modos variaret, nemine plectra manu tangente. Recipiebat verò ſeſe domum à cœna luxurioſiſſimus Imperator [c] Gallienus ad organum, cum ad tibicinem proceſſiſſet. Ceterum [d] Sidonius nonnulla eorum, quæ nos recenſuimus, ita expreſſit;

a lib. 10. c. 15
b Collection. Pithœ.
c Capitolinus
d Lib. 9. ep. 13

*Iuvat & vago rotatu*
*Dare fracta membra ludo:*
*Simulare vel trementes*
*Pède, veſte, voce Bacchas,*
*Bimari remittat urbe*
*Thymelen, Palenque doctas*
*Date & ęra fiſtulata*
*Tepidas ad officinas*
*Cithariſtrias Corinthus:*
*Digiti quibus canentes*
*Pariter ſonante lingua*
*Vice pectinis fatigent*
*Animata fila pulſu.*
*Quibus antra per palati,*
*Satyris amica nudis.*
*Date ravulos choraulas,*
*Crepulis reſianda buccis,*
*Gemit aura tibialis.*

Symphoniaci autem ( ne nimis diu exorbitemus ) aliquando fuerunt, & alij de triclinio ſervi. Apud Petronium ſiquidem, *pueri ad pedes, & pocillator cantant, in ipſo, quo fungebantur, munere, paronychia tollendi, & vinum miniſtandi*. Immò &, quod ex eodem Petronio diſcimus, miniſteria in triclinio ſingula ad ſymphoniam exequi mos fuit. Ita Trimalcio *ad ſymphoniam illatus in convivium eſt, Diribitores symphoniæ ſtrepente paleam ſcrutantur, Guſtatoris choro cantante rapiuntur, ad symphoniam tripudiantes ſuperiorem partem repoſitorij auferunt, Sciſſor demum, ad symphoniam geſticulatus, obſonium lacerat*, quod & [a] Juvenalis cum ſtomacho animadvertit. Immò & Pacuvius, neſcio quis apud [b] Senecam ad ſymphoniam in cubiculum referebatur à cœna quotidie. O Duillios patinarios! At hæc miniſteria ideò comparata ſunt, ut ne ſilerent; ceteris indictum eo uſque ſilentium eſt, ut ne mutire quidem liceret. [c] Seneca; *at infelicibus ſervis movere labra ne in hoc quidem, ut loquantur, licet. virga murmur omne compeſcitur, & ne fortuita quidem verberibus excepta ſunt; tusſis, ſternutamenta, ſingultus; magno malo ulla voce interpellatum ſilentium luitur; nocte tota ieiuni mutique perſtant*. Imitatus eſt Senecam [d] Macrobius, qui & hos animos dominorum tyrannicos luculenta oratione proſcidit. Idem [e] Seneca; *quid flagella media cœna petis, quod ſervi loquuntur, quod non eodem loco turba concionis eſt, & ſilentium ſolitudinis? in hoc habes aures ut non niſi modulata tantum, & mollia, & ex dulci tracta, compoſitaq; accipiant?* Et hoc idem apud Perſas graves illos, & tetricos notavit [a] Ammianus. At hæc aurium oblectatio ferri poterat. Illa oculorum digna utique fuit cenſoriâ notâ, ut nudis puellis miniſtrantibus cœnaretur;

[a] Sat. 5.
[b] Epiſt. 12.
[c] Epiſt. 47.
[d] lib. 1. Satur. cap. 11.
[e] lib. 3. de ira
[a] Lib. 23.

more

more forſan à Tuſcis petito, quibus id impingit [b] Timæus in I. Hiſtoriarum. Par improbitas excogitavit puellarum Gaditanarum ſaltationem, & cantum. [c] Juvenalis;

*Forſitan expectes ut Gaditana canoro*
*Incipiant prurire choro* ——

ubi vetus interpres Lyriſtrias, & Pantomimas interpretatur. Nec aliò reſpexit [d] Quintilianus; *omne convivium obſcænis canticis ſtrepit, pudenda dictu ſpectantur*. Et huius ſanè luxus veſtigium extat apud ſcriptorem [e] Madaurenſem, qui in convivio Byrrhenæ, *puellas ſcitule miniſtrantes* recenſuit. Hæc omnia calentis in triclinio nequitiæ irritamenta, ſuſtulit optimus Imperator Theodoſius, ut Chriſtianum decebat. [f] Paulus Diaconus teſtatur: *illa tamen, quibus Traianus adſperſus eſt, vinolentiam ſcilicet, & cupidinem triumphandi, uſque ad eò deteſtabatur, ut bella non moverit, ſed invenerit, probibueritque lege miniſteria laſciva, pſaltriaſque comeſſationibus adhiberi*. Extat [g] lex hodieque, & tangit [h] Macrobius; *dic enim Hore, qui antiquitatem nobis obijcis, ante cuius triclinium modò ſaltatricem, vel ſaltatorem te vidiſſe, meminiſti?* Exciſa tamen utcumque luxuria, per vices pullulare non deſijt. Petrus Chryſologus, qui Marciano Imperatore claruit, convivia ſui temporis objurgans hæc habet: *luxus abſiſtat, fugetur effuſio, ſaltatricum peſtis, lenocinia cantorum, voluptatum fomenta, ventris onera, naufragia mentium, cum Herodiadis convivijs abſcindantur*. Has autem fœdas, atque inquinatas voluptates quantopere amplecterentur apud antiquos nonnulli, nemo eſt, qui neſciat. Illi ipſi, qui cohibere debuiſſent, invitabant palam magiſterijs, & præceptionibus. Gravis alioqui, & nobilis

b Athenæ. lib. 4.
c Sat. 11.
d Lib. 1. ca. 2.
e Lib. 2.
f lib. 12. de geſt. Rom.
g L. 7. lib. 5 Tit. 10. Cod. Th.
h lib. 3. Saturn. cap. 14.
i Serm. 127.

rei medicæ [a] auctor, ut ætatis urgentis inclinationi occurreret, admonuit, *puellarum ſpecioſarum, vel puerorum ſimiliter ſervitium procurandum eſſe, utendum præterea lectionibus animum ad delicias pertrahentibus, ut ſunt Amphipolitæ Philippi, & Herodiani, aut certè Syri Iamblici, vel ceterorum ſuaviter amatorias fabulas deſcribentium.* O luem morum!

a Theodorus Priſcianus lib. 2. cap. 11.

## CAPVT XII.

### *De Comœdijs, Iſtrionibus, & Gladiatoribus in convivium inductis.*

COMOEDI ſanè, & hiſtriones, archimimi, & pantomimi familiares in convivium inducti frequenter ſunt; & hoc iam inde ab Aſiatica illa præda, quæ Romanam frugalitatem afflixit, ſeu verius perdidit. [b] Livius noſter; *Luxuriæ enim peregrinæ origo ab exercitu Aſiatico invecta in urbem eſt. ij primum lectos æratos, veſtem ſtragulam precioſam, plagulas, & alia textilia, & quæ tum magnificæ ſuppellectilis habebantur, monopodia, & abacos Romam advexerunt. tunc pſaltriæ, ſambuciſtriæque, & convivaliæ ludionum oblectamenta addita epulis.* D. [c] Auguſtinus in eandem ſententiam: *tunc enim primum lecti ærati, & precioſa ſtragula viſa perhibentur. tunc inductæ in convivia pſaltriæ. & alia licentioſa nequitia.* Notat de luxu metelli [d] Salluſtius, *ad cœnam invitato, exornatus fuiſſe ædes per aulæa, & ſigna, ſcænaſque ad oſtentationem hiſtrionum fabricatas.* Marius apud [e] eundem: *ſordidum me, & incultis moribus, aiunt, quia parum ſcitè convivium exorno, neque hiſtrionem ullum, neque pluris precij coquum, quàm villicum habeo.* [f] Plinius iunior *frequenter Comœdis cœna diſtinguitur, ut voluptates quo-*

b Lib. 39.
c lib. 3. de Ciuit. Dei c. 21.
d lib. 2. Hiſtor.
e in Iugurth
f lib. 3. ep. 1.

*que*

*quæ ſtudijs condiantur*. Pantomimorum artem delineabit nobis vetus [g] Poeta; g edidit P. Pithoeus.

*Nam cum grata chorus diffundit cantica, dulcis*
*Quę reſonat cantor motibus ipſe probat.*
*Pugnat, ludit, amat, bacchatur, vertitur, adſtat,*
*Inluſtrat verum, cuncta decore replet,*
*Tot linguæ, quot membra viro. mirabilis ars eſt,*
*Quæ facit articulos ore ſilente loqui.*

Eſt autem apud ALOYS. CORRADINVM ſigillum æreum vetuſtiſimum, quod perſonatum quendam ex hoc grege referat; cuius hic nos typum dabimus, & his uſui futurum, quæ diximus, & carminibus [a] Juvenalis, a Sat. 3.



*— ipſa dierum*
*Feſtorum, herboſo colitur ſi quando theatro*
*Maieſtas, tandemque redit ad pulpita notum*
*Exodium, cum perſonæ pallentis hiatum*
*In gremio matris formidat ruſticus infans.*

Verùm ulterius etiam progrediente luxu, quàm ut his finibus concluderetur, MORIONES etiam, utut deformes, & monſtroſi, in convivium animi gratia recepti ſunt. [b] Martialis; b Lib. 2. 40.

*Opimianum morionibus nectar*
*Chryſtalliniſque murrhinibuſq; propinat.*

horum formam, & elegantiam

tiam tangit [a] idem auctor:

a lib. 6: 36.

*Hunc verò acuto capite, & auribus longis,*
*Quæ ſic moventur, ut ſolent aſelorum,*
*Quis Morionis filium neget Cirthæ?*

ſtuporem verò, cuius gratia inter cetera comparabantur, [b] idem notavit:

b Lib. 14.210

MORIO.

*Non mendax ſtupor eſt, nec fingitur arte doloſa.*
*Quiſquis plus iuſto non ſapit, ille ſapit.*

Ita ut beatulis hiſce noſtris pareat non ſcripſiſſe [c] Ulpianum, *fatuum, vel morionem vitioſum videri*. Hic erat nimirum luxus eruditus, nihil amœnum, & molle arbitrari, niſi quod novitas, & rectè ſentientium contemptus viris perditis commendarent. [d] Plutarchus ſanè teſtatur, fuiſſe Romæ quoſdam monſtrorum conquiſitores, qui venalium formoſitatem odio habentes, forum morionum frequentarent. hi ſunt (ni fallor) γελωτοποιοὶ, quos [e] Lucianus commemorat, è quorum numero delineat, neſcio quem deformem, deraſo capite, pauculos cappillos in vertice geſtantem, eoſque in criſtam conformatos [f] Seneca: *Harpaſten uxoris meæ fatuam, ſcis hæreditarium onus in domo mea remanſiſſe. ipſe enim averſiſſimus ab iſtis prodigijs ſum. ſi quando fatuo delectari volo, non eſt mihi longè quærendus. me rideo.* [g] Plinius iunior; *accepi tuas literas, quibus quereris tædio tibi fuiſſe, quamuis lautiſſimam cœnam, quia ſcurræ, cinædi, moriones menſis inerrabant.* NANI quidem & NANAE Sybaritarum deliciȩ, morionibus collati neſcio, quid Veneris habuerunt. [h] Svetonius: *Annalibus ſuis vir conſularis inſervit, frequenti quondam convivio, cui & ipſe affuerit, interrogatum eum ſubitò, & clarè à quodam nano adſtante menſæ inter capreas, cur Paco-*

c L. 4 de ædil Ed.

d De curioſit.

e in conuiuio.

f Epiſt. L.

g lib. 9. ep. 17.

h Tiberio cap. 61.

*nius maieſtatis reus tam diu viveret*. [a] Lampridius: *Nanos, & nanas, & moriones, & vocales exoletos, & omnia acroamata, & pantomimos populo donavit*. Hæc autem fuerant Elagabali miniſteria, quæ Imperator Alexander averſabatur, ad [b] Auguſti fortaſſe æmulationem, qui pumilos, atque diſtortos, & omnes generis, eiuſdem, ut ludibria naturæ malique ominis abhorrebat. SCVRRAE autem, & ipſi menſis adſtabant, convivas dicterijs ad hilaritatem prouocaturi. Plinius obiurgans tædium amici, qui in propudioſum illud, cuius nuper me minimus, convivium impegerat, retuleratque domum pro apophoretis nauſeam, & ſtomachum: *vis tu remittere aliquid ex nugis? equidem nihil tale habea, habentes tamen fero. cur ego non habeo? quia nequaquam me ut inexpectatum, feſtivumque delectat, ſi quid molle à cinædo, petulans à ſcurra, ſtultum à morione profertur*. Idē in Panegyrico: *neq; enim aut peregrinæ ſuperſtitionis myſteria, aut obſcœna petulantia menſis Principis oberrat, ſed benigna invitatio, & liberales joci, & ſtudiorum honor*. Inter hos nobilis fuit Sarmentus ille, cuius vellitationes cum Cicero, commemorat [c] Horatius: de quo etiam [d] Iuvenalis;

*Si potes illa pati, quæ nec Sarmentus iniquas*
*Cæſaris ad menſas, nec vilis Galba tuliſſet*.

ubi gloſſator antiquus notat, Sarmentum forma, & urbanitate demeruiſſe ſibi plurimos. Auguſto ſanè olim placuerat lepôre, & feſtivitate, ut notat [e] Plutarchus qui etiam tradit huiuſmodi pueri Romanos DELICIORVM nomen impoſuiſſe. & quidem illi pueros urbanos, & procaces, delicias, & delicia appellabant, ut [f] Statius;

*Non ego mercatus Pharia de puppe loquaces*
*Delicias, doctumque ſui convicia Nili*

*Infan-*

[a] *Alex. Sever.*
[b] *Suet. Aug. cap. 83*
[c] *lib. 1. Sat. 5.*
[d] *Sat. 5.*
[e] *M. Antonio*
[f] *lib. 5. Sylu.*

*Inſantem, linguaque ſimul, ſalibuſque protervum*
*Dilexi.* —

a 2. quod & ad paſſe rem tranſtulit [a] Catullus, & ad columbam [b] Martialis. Honeſtarunt tamen etiam hac appellatione flagitioſam illam, & nefariam impudicitiam, quæ virilem olim ſexum turpiſſimè infecerat. teſtis [c] Prudentius.

b Lib. 1. 8.

c lib. 1. adu. Sym.

*Quid loquar Antinoum cœleſti ſede locatum?*
*Illum delicias nunc divi Principis, illum*
*Purpureo in gremio ſpoliatum ſorte virili?*

d lib. 6. c. 10.

At Græci in aſotia, & nequitia naviter elegantes, in triclinijs, ut teſtatur [d] Vitruvius, ludiorum operis locum apparabant, à quibus & hunc morem arripuiſſe Romanos (ut alia etiam multa) diximus nuper. Et èo ſanè alludit [e] Seneca; *vides hos eoſdem è lectis ſuis ſpectantes popinam ſuam, aures vocum ſono,* SPECTACVLIS *oculos, ſaporibus palatum delectantes? mollibus, lenibuſque fomentis totum laceſſitur eorum corpus, & ne nares interim ceſſent,* ODORIBVS *varijs inficitur locus ipſe, in quo luxuriæ parentatur.* [f] Silius Italicus:

e de beata vita cap. 11.

f Lib. 11.

*Nec luxus ullus, merſæque libidine vitæ*
*Campanis modus: accumulant, variaſque per artes*
*Scenarum, certant epulas diſtinguere ludo.*

g lib. 3. ca 10

[g] Alcimus Avitus, ad ſuffimentorum, quod diximus, miniſterium reſpiciens,

*Vivida quin etiam miſcebant Cynnama talli:*
*Et ſuffita domus pingui fragrabat amomo.*

h lib. 9. ep. 13

[h] Sidonius:

*Manus uncta ſucco amomi*
*Domet hiſpidos capillos:*
*Arabumque meſſe pinguis,*
*Petat alta tecta fumus.*

GLADIATORES poſtremò (quod animus meminiſſe hor-

horret,) in convivium recepti ſunt à quibuſdam, adeò familiariter, ut non poſſim non mirari præpoſterum philoſophi [a] hominis conſilium, qui non has tragicas cœnas, ſed Ænnianum in convivio improbavit; ludicram pugnam. [b] Silius Campanis tribuit: a Maximus Tyrius Serm. 12. b Lib. 11.

*Quin etiam exhilarare viris convivia cæde*
*Mos olim, & miſcere epulis ſpectacula dira*
*Certantum ferro ſæpè, & ſuper ipſa cadentum*
*Pocula, reſperſis non parco ſanguine menſis.*

Quàm conveniunt hiſce cruentis ſpectaculis illa [c] Petri Chryſologi? *in arenam vertitur domus, menſa migrat in caveam, fiunt de pranſoribus ſpectatores, furore mutatur convivium, fit cibus cędes, vinum tranſit in ſanguinem.* c Serm. 137

## CAPUT XIII.

*De Mediaſtinis, & numero ſervorum convivalium.*

ET ut tandem aliquando de triclinio exire incipiamus, dicemus de MEDIASTINO, cuius opera præcipua fuit, in cœnatione ſcopis mundanda. Viderunt Romæ [d] viri docti in pavimento vermiculato hominem cum ſcopa, & caniſtro, cum inſcriptione. d F. Vrſin.

CORNELIVS. SERVVS. MEDIASTIN.

[e] Iuriſconſultus SCOPARIVM appellavit, cuius operam tetigerunt [f] Horatius & [g] Iuvenalis, ille: e L. 8. de ſun. inſtr. f Lib. 2. Sat. 4 g Sat. 14.

*Vilibus in ſcopis, in mappis, in ſcobe quantus*
*Conſiſtit ſumptus? neglectis flagitium ingens.*

hic;

*Hoſpite venturo ceſſabit nemo tuorum:*
*Verre pavimentum, nitidas oſtende columnas,*

*Arida cum tota deſcendat aranea tela.*

[a] *Aſinaria.* nec non & [a] Plautus.

*Iuſsin ſceleſte ab ianua hoc ſtercus auferri?*
*Iuſsin columnis deijcier operas araneatum?*

[b] *L. 12. de Fund. inſtr.* Quo pertinent illa [b] Ulpiani: *item centones, syphones, funes, perticas quoque & ſcalas, & phormiones, & ſpongias, & amas, & ſcopas contineri, pleriq; & Pegaſus aiunt.* Et, *item perticæ, quibus araneæ deterguntur: item ſpongiæ, quibus columnæ, pavimenta, podia exterguntur: ſcalæ quoque quæ ad lacunaria admoventur, inſtrumenti ſunt, quia mundiorem domum reddunt.* Et profectò mediaſtinus ſordidioris operæ videtur ſemper fuiſſe, tum in urbana, tum in ruſtica familia. Huc reſpexit D. [c] Bernardus; *intret ergo domum Salvator, & frequenter viſitet eam, quam pœnitens Lazarus mundat, ornat Martha, & Maria replet internæ dedita contemplationi. Sed fortè curioſus quiſquam requirat, cur in præſenti Evangelica lectione, nulla prorſus Lazari mentio fiat? arbitror ſanè, ne id quidem à propoſita ſimilitudine diſſidere. Virginalem enim domum intelligi volens ſpiritus, ſiluit non incongruè pœnitentiam, quæ malum utique comitatur. abſit enim, ut proprij quidquam inquinamenti domus hęc aliquando habuiſſe dicatur, ut in ea proinde* SCOPA *Lazari quæreretur.* Apud Petronium hanc operam navat Lecticarius; qui argentum inter reliqua purgamenta ſcopis cœpit verrere. Huius loci eſt [d] foramen illud, quod in pariete triclinij, proluendi pavimenti cauſa excavabatur, quod ad analecta, & vina profuſa in pavimentum exportanda paratum fuiſſe conijcio. cui profuſioni qua ratione occurrerint Græci, exponit [e] Vitruvius: bibulo nimirum pavimento ex carbonibus, ſabulone, calce & favilla mixtis. Verùm non extante foramine, aderant ſervi,

[c] *Serm. 2. de aſſumpt.*

[d] *L. 27. de ſeru. urb.*

[e] *Lib. 7. ca. 4.*

vi, qui ſputa detergerent, & reliquias ſubditi colligerent temulentorum. [a] Horatius: [a] Lib. 2. Sat. 8.

*His ubi ſublatis, puer altè cinctus, acernam*
*Gauſape purpureo menſam perterſit, & alter*
*Sublegit quodcumque iaceret inutile, quodque*
*Poſſet cœnantes offendere* —

Ad hæc autem, & ſimilia ſcobe utebantur, ut vidimus in carmine Horatiano. [b] Iuvenalis; [b] Sat. 14.

*Ergo miſer trepidas, ne ſtercore fœda canino*
*Atria diſpliceant oculis venientis amici,*
*Ne perfuſa luto ſit porticus: & tamen uno*
*Semedio ſcobis hæc emendat ſervulus unus.*

Julius Baſſus apud [c] Senecam Rhet. *inter temulentas reliquias ſumptuoſiſſimæ cœnæ, & faſtidioſos ſub ebrietate cibos, modo exciſum caput humarum fertur. inter purgamenta, & iactus cœnantium, & ſparſam in convivio ſcobem, humanus ſanguis everritur.* hi fuerunt tricliniares manipuli. Et profectò qui miniſteriales haſce copias apud veteres auctores recenſuerit, næ ille minus mirabitur, aliquando miniſteriorum catervas, turbas aliquando, & populos appellari. Donatus ad illa [d] Virgilij, [c] lib. 9. controu. 2. [d] lib. 1. Aen.

— *totidemque pares ætate miniſtri.*

*hic* (inquit) *leviter, legentes accipiunt ducentorum deſcriptionem, in quibus eadem ętas fuit. ſed nihil magnum ęſtimantes, ſi Regina ad hanc partem officij ducentis miniſtris utebatur: & revera nihil fuit magnum ad divitias regales, & memorabile, ſi numeri tantummodo faceret mentionem, taceret de ętate. cum autem hoc ipſum adiecit dicens, pares ętate, illic omnibus familię copiam, decorem quoque, & ſubſtantiam demonſtravit. in evidenti eſt enim, quanta ſervorum reginę fuerit multitudo, ex qua ducenti pares ętate deligi potuerant, digni qui cu-*

*rarent ſupradicta*. hæc ille. Iam verò ab hac mente [a] Seneca: *placet cibus, quem nec parent familię, nec ſpectent*. familias vocat coquorum numeros, & ſervorum tricliniarium turmas, quarum ſpecimen è [b] Lucano petendum eſt,

a lib. 1. de tranquill. cap. 10.
b Lib. 10.

*Diſcolor hos ſanguis, alios diſtinxerat ætas.*
*Hæc Lybicos pars, tam flavos gerit altera crines,*
*Ut nullas Cæſar Rheni ſe dicat in aruis*
*Tam rutilas vidiſſe comas: pars ſanguinis uſti*
*Torta caput, refugoſque gerens à fronte capillos,*
*Nec non infelix ferro mollita iuventus,*
*Atque exſecta virum. ſtat contra fortior ætas*
*Vix ulla fuſcante tamen lanugine malas.*

OBRVLI etiam illi ſportularum, non niſi è miniſterio videntur fuiſſe. [c] Iuvenalis:

c Sat. 3.

*Nonne vides quanto celebretur ſportula fumo?*
*Centum convivæ, ſequitur ſua quemque culina.*
*Corbulo vix ferret tot vaſa ingentia, tot res*
*Impoſitas capiti, quas recto vertice portat*
*Servulus infelix, & curſu ventilat ignem.*

Et hæc focorum migratio erat ab ædibus divitum ad tenuiorum, & pauperum domos. qui ſportulam officio diurno commeruiſſent. Illæ autem à culina in triclinium beatorum, & divitum, & in ipſo etiam triclinio fuerunt, quarum meminerunt [d] Seneca, & [e] Martialis. Senecæ hæc ſunt; *O infelicem ęgrum! quare? quia non vino nivem diluit, quia non rigorem potionis ſuę, quàm capaci ſcypho miſcuit, renovat fracta inſuper glacie: quia non oſtrea illi Lucrina in ipſa menſa aperiuntur: quia non circa cœnationem eius tumultus coquorum eſt, ipſos cum obſonijs focos transferentium: hoc enim iam luxuria commenta eſt; ne quis in tepeſcat cibus, ne quid palato iam calloſo parum ferveat; cœnam culina* pro-

d Epiſt. 78.
e Lib. 7. 47.

*proſequitur*. notat eaſdem Martialis:

*Cum menſas habeat ferè ducentas,*
*Pro menſis habet Annius miniſtros.*
*Tranſcurrunt Gabatæ, volantque Lances.*
*Has vobis epulas habete lauti,*
*Nos offendimur ambulante cœna.*

Ille verò apud [a] Evangelij ſcriptores, lagenam, ſeu amphoram aquæ baiulans, huius agminis portio fuit, velut etiam illi apud [b] Sidonium, *a Lucam, & Marcum.* *b Lib. cit.*

*Geruli caput plicantes*
*Anaglyptico metallo*
*Epulas ſuperbiores*
*Humeris ferant onuſtis.*

Notaverunt autem viri eruditi, multos ex hiſce miniſterialibus copijs, dominorum liberalitate, in ius, & poteſtatem convivarum tranſiviſſe, nomine, & titulo apophoretorum. Quam ſanè ob cauſam Martialis, libro cui apophoreta nomen fecit, videtur inſeruiſſe puellam Gaditanam, morionem, palæſtritam, pumilionem, obſonatorem, cocum, & piſtorem dulciarium: immò, & notarium, qui profectò cum temulentia, & nequitia convivali quid commune habeat, non capio. Non deerunt, qui referant ad indices ferculorum, quæ apponebantur; affirmante præſertim [c] Ammiano Marcellino: *poſcuntur etiam in convivijs* (ſcribit ille) *aliquoties trutinæ, ut adpoſiti piſces, & volucres ponderentur, & glires. quorum magnitudo ſæpius delicata, non ſine tædio præſentium, ut ante hac inuſitata, laudatur adſiduè. maximè quum hęc eadem numerantes notarij propè triginta adſiſtant, cum thecis, & pugillaribus tabulis, ut deeſſe ſolus magiſter ludi litterarij videretur*. Si qui verò minimè credent, tot homines uni triclinij miniſterio fuiſſe addictos, quia *Lib. 18.*

non

non poſſent tot capita unico ædium membro conti-neri, hi [a] Senecam audiant; *illos* (pueros intellige) *reperti in littore calculi leves, & aliquid habentes varietatis delectant: nos ingentium maculę columnarum, ſive ex Ægyptijs arenis, ſive ex Africę ſolitudinibus advectę, porticum aliquam, vel* CAPACEM POPVLI COENATIONEM *ferunt*. Ad quam normam idem alibi, miniſtros appellavit turbam concionis. Quæ ſi vera ſunt, ut ego quidem veriſſima eſſe arbitror, quid dicemus de Cæſarum triclinijs? D. [b] Hieronymus: *mirum dictu eſt. nutritus in palatio, contubernalis, & condiſcipulus Auguſtorum, quorum* MENSAE MINISTRAT ORBIS, ET TERRAE, AC MARIA SERVIVNT, *inter rerum omnium abundantiam, in primo ętatis flore, tantę verecundię fuit, ut virginalem pudorem vinceret.* Quid autem ſit miniſtrare orbem menſæ Auguſtorum, ille demum intelliget. qui apud [c] Martialem hæc legerit;

*Cui pater ætherius, puero dulciſſime dixit,*
*Non ego, quod poſcis, res negat ipſa tibi.*
*Cæſar habet noſter ſimiles tibi mille miniſtros,*
*Tantaque ſidereos vix capit aula mares*
*At tibi ſi dederit vultus coma tonſa viriles,*
*Quis mihi, qui nectar miſceat, alter erit?*

Valeant hic hyperbolæ: ego enim mille pocillatores intelligo. Neque verò impar fuit ædificium frequentiæ miniſtrorum, [d] Statius deſcripſit;

*Tectum auguſtum ingens, nō centum inſigne columnis.*
*Sed quantæ ſuperos, cœlumque Atlante remiſſo,*
*Suſtentare queant: ſtupet hoc vicina Tonantis*
*Regia, teque pari lætantur ſede locatum*
*Numina, ne magnum properes aſcendere cœlum.*
*Tanta patet moles, effuſæque impetus aulæ*

Libe-

[a] Epiſt. 115.
[b] ad Salvinam.
[c] Lib. 9. 37.
[d] lib. 4. Sylu.

*Liberior, campi multumque amplexus aperti.*
*Æthereo, & tantum domino minor, ille Penates*
*Implet, & ingenti Genio iuvat. æmulus illic*
*Mons Libys, Iliacuſque nitent, & multa Syene*
*Et Chios, & glauca certantia Doride ſaxa,*
*Lunaque portandis tantum ſuffecta columnis.*
*Longa ſuper ſpecies. feſſis vix culmina prendas*
*Viſibus, auratique putes laquearia cœli.*

## CAPUT XIV.

### *De Servis ſuperlecticarijs, innitoribus, & clavicularijs.*

DE convivio ſatis dictum eſt. Nunc percurramus reliqua cultus herilis miniſteria. Offerunt autem ſeſe SVPELLECTICARII. qui in veteribus inſcriptionibus dicuntur à ſupellectili. Romæ.

NESTOR
C. CAESARIS. SER
GERMANICIANVS
A. SVPELECTI. VIX. A. XL.

Ibidem:

EVMOLPVS-CAESARIS
A. SVPPELLECTILE

At in palatio fuit, & SVPPELLECTICARVM CASTRENSIS, & DOMVS AVRIF. ut indicant veteres cippi ſepulchrales. Et quidem ſupellex (ait [a] Pomponius) *eſt domeſtichum patris familias inſtrumentum, quod neque argento, aurove facto, vel veſti adnumeratur.* Quæ tamen magis dicta ſunt ad regulam ſæculi ſeverioris, quàm ad recentioris luxum. Sene-

[a] L. 1. de Supellect. leg.

a Ad Helviā cap. 11. [a] Seneca; *ſi deſiderabit aureis fulgentem vaſis ſupelle-ctilem, & antiquis nominibus artificum argentum nobile, æs paucorum inſania precioſum, & ſervorum turbam, quæ quamvis magnam domum anguſtet, iumentorum corpora differta, & coacta pingueſcere &c.* Supellectili adnumerant Iuriſconſulti vaſa ænea, qualia erant Corinthia, & Deliaca, quæ adſervabat è ſervorum numero quiſpiam, dictus A CORINTHIS, & CORINTHIARIVS. Romæ,

TI. LAIVS. PARATVS. A. CORINTHIS & CALLITYCHAEZOILI. CORINTHIAR. AGRIPP.

b lib 8. inſc. Item vaſa vitrea, eſcaria, & potoria: Item chryſtallina, & murrhina, fictilia etiam, idque in dellicatorum tricliniis. [b] Vitruvius: *ſaporem quoque meliorem ex tubulis eſſe, quotidianus poteſt indicare victus, quod omnes extructas cum habeant vaſorum argenteorum menſas, tamen propter ſaporis integritatem, fictilibus utuntur.* Neque verò conducendi erant CAELATORES, &

c Sat. 71 VASCVLARII, cum adeſſent domeſtici. [c] Iuvenalis,

*Sit mihi præterea curvus cęlator, & alter*
*Qui multas facies pingat citò* ——

Ubi vetus interpres cælatorem explicat ſervum argentarium, laborioſum, anaglyfarium. Quæ tamen diſparare videtur antiqua inſcriptio ſepulchralis, quæ Romæ legebatur,

ANTIGONVS. GERMANIC. CAESAR
ARGENTARIVS
VIXIT. AN. XLII.
AMIANTVS. GERMANIC. CAESAR
CAELATOR
FECIT.

Quæ

Quæ ſanè faciunt, ut ſuſpicatus aliquando fuerim, illum qui ad ſtatuam [a] Auguſti adſcripſit, tempore proſcriptionis,

PATER ARGENTARIVS EGO CORINTHIARIVS

ludere in hac etiam vocis notione voluiſſe, ut patrem, & filium notaret, velut minus ingenuæ conditionis. FABER A CORINTHIS huius procul dubio claſſis eſt. Romæ

P. LVCRINVS. P. L. THALAMVS
A. CORINTHIS. FABER

Veſtem non curabant ſupellecticarij, ut apud Pomponium vidimus, ſed VESTIARII, quos domo cum omni iure ſuo, ſicut inſtructa eſt, legata, cedere legato ſcripſit Iulius Paulus [b]. Ab eâdem veſte VESTIFICI ſunt, & VESTISPICI. Veſtimenta autem erant tricliniaria, virilia, puerilia, muliebria, communia, familiaria, ſcænica, & funebria, & alia, de quibus alij huc pertinent veteres tituli.

T. STATILIVS
MALCHIO
AD. VESTEM.

&

LYRAE. CANACIANAE. LIVIAE
AVG. SER. A. VESTE. MAGN. &C.

Item,

ARION. CAESARIS. N. A. VES
TE. MATVTINA

&

OSSA
VIBIAE. SVCCESSAE. LIVIAE. AVG. SER.
AB. ARGENTO. POTORIO. ITEM. A. VESTE
O L. VI-

[a] Suetonius Aug. cap. 70 qui tamen valide repugnat

[b] lib 3. Sent. tit. 7.

L. VIBIVS & rel.

nec non


D'S MANIBVS
COELIAE. DYNATE
M. VLPIVS. AVG. LIB.
VALENS. A. VESTE. IMP.
PRIVATA &C.

ut etiam

DIS MANIBVS
VENVLEIA. CLEOPATRA
FECIT. SIBI. ET
RHODANO. CAESARIS. VERNAE
A. VESTE REGIA

Veluti & A VESTE GRAECVLA, & A VESTE SCAENICA. Et hæc demum ſtativa erunt VESTITORVM. antiquum elogium.

PHEDIMO. VESTITORI
AVG



Et hos, vel non valdè diſſimilles, [a] alloquitur pater filij prodigi: ἐξενέγκατε τὴν στολὴν τὴν πρώτην, καὶ ἐνδύσατε αὐτόν. &c. At quia hæc omnia ſeris, arculis, & clavibus cohibere conſueverant, ideò clavium ſpeciem hic damus, expreſſam videlicet ex antiquis aliquot, quæ apud nos ſunt.


Illarum cuſtodia penes ſervos frequenter fuit: quam ob rem [b] Martialis Euclidem notavit;

*Equiti*

[a] Lucæ 15.

[b] Lib. 5. 36.

*Equiti ſuperbo, nobili, locupleti,*
*Cecidit repente magna de ſinu clavis.*



quod ipſe ſibi dominus eſſet, & familia. [a] Seneca; *quid enim eſt cur tuſſis alicuius, aut ſternutamentum, aut muſca parum curioſe ſugata, nos in rabiem agat, aut ver-*

[a] *lib. 2. de ira ca. 25. Artemidorus lib 3 Onirocr. ca. 349*

 *ſus*

*ſus calix aut clavis negligentis ſervi manibus elapſa?* Janitores ipſi non fuerunt ſine clavibus: & confirmat [a] Appuleianius ille Myrmex, qui nocturnas tenebras cauſabatur ſibi obſiſtere, quin clavem curioſè abſconitam reperiret. [b] Petrus Chryſologus: *audiſtis hodie fratres, quemadmodum dum ſecluſit alios, ſeipſum janitor invidioſius excluſit. væ vobis, inquit, legis peritis, quia tuliſtis clavem ſcientiæ: ipſi non introiſtis, & eos qui introibant prohibuiſtis.* A quo geſtandarum clavium munere, carcerum ianitores clavicularij appellabantur, ut animadvertit [c] CVIACIVS. & ſanè illas grandiores, quarum typum dedimus, vindicabunt ſibi ianitores, ſupellecticarij, cellarij, arcarij, & alij non pauci.

a lib. 9. Met.
b Serm. 171.
c lib. 10. cod. Tit. 65.

## CAPUT XV.

*De Mancipijs ad uſum ſtudiorum.*

DOmini verò, ſi qui erant qui literis operam darent, illi mancipia erudita habebant, quibus ad ſtudia uterentur. hoc nos agmen ſervilis eruditionis diducemus, & exordiemur ab illis, qui BIBLIOTHECIS præerant. Inſtruebantur enim, & apud privatos bibliothecæ. [d] Seneca; *quid habes cur minus ignoſcas nomen marmore atque ebore captanti, quàm opera conquirenti aut ignotorum auctorum, aut improbatorum, & inter tot millia librorum oſcitanti, cui voluminum ſuorum frontes maximè placent titulique?. apud deſidioſiſſimos erge videbis quidquid orationum, hiſtoriarumque eſt, & tecto tenus extructa loculamenta. iam enim inter balnearia, & thermas, bibliotheca quoque ut neceſſarium domus ornamentum expolitur.* huiuſmodi ſervum, ut ſibi reſtituendum curet, petit à Sulpitio [e] Cicero; *Dionyſius*

d De Tranquill. cap. 9.
e lib. 13. fam. ep. 77.

*nyſius ſervus meus, qui meam bibliothecam multorum nummorum tractavit, cum multos libros ſurripuiſſet, nec ſe impune laturum putaret, aufugit*. Apud Imperatores erant non pauci, quibus hoc munus incumberet: cum hæc ordinandarum, & publicandarũ bibliothecarum cura, non omninò videretur imperij maieſtatẽ dedecere. In veteribus elogijs legebantur olim C. IVLIVS C L. PHRONYMVS. A. BIBLIOTHECA GRAECA. C. IVLIVS. FALYX. A'. BIBLIOTHECA GRAECA PALAT. TI. CLAVDIVS. AVG. L. HYMENAEVS. MEDICVS. A. BIBLIOTHECIS. L. VIBIVS. AVG. SER. PAMPHILVS. SCRIBA LIB. ET. A' BYBLIOTHECA. LATINA. APOLLINIS. Et hi omnes videntur fuiſſe è domo Cæſarum, apud quos liberti etiam A STVDIIS in precio fuerunt. [a] Svetonius: *ac ſuper hos Polybum à ſtudijs, qui ſæpè inter duos conſules ambulabat*. Eodem munere functus apud eumdem Claudium eſt Lemnus neſcio quis, cuius mentio extat in veteri inſcriptione,

TI. CLAVDIVS
LEMNVS
DIVI CLAVDIJ
AVGVSTI. LIB
A STVDIJS

Et huiuſmodi ſervos in privatorum familijs fuiſſe ſtatuamus neceſſe eſt. Huic ſtudioſorum cohorti adſcribemus & ANAGNOSTEN. [b] Vatinius, *dicitur mihi tuus ſervus Anagnoſtes fugitivus, cum Vardæis eſſe*. [c] Plinius: *Encolpius quidem lector, ille ſeria noſtra, ille deliciæ, exaſperatis faucibus pulvere, ſanguinem reiecit*.

Se-

[a] Suetõ Claudio cap. 28.

[b] lib. 5. famil.

[c] Lib. 8 ca. 1.

Sequentur excipientes dictata dominorum, vel aliud quidpiam ſcribentes AMANVENSES, & A MANV. *d* Svetonius; *Thallo à manu, quod pro epiſtola prodita denarios quingentos accepiſſet, crura effregit.* *e* hi fuerunt precioſi, & excepti, etiam quando ſervorum numerus dominis indicebatur. SCRIPTORES appellavit *f* Cicero. Eamdem operam navabant NOTARII, & NOTARIAE, quorum commendatio in velocitate excipiendi fuit. *a* Manilius,

*d Auguſto ca. 67*

*e Sueton Nerone ca 46.*

*f lib. 1. de Oratore, & in Bruto.*

*a Lib. 4.*

*Hic & Scriptor erit felix, cui littera verbum eſt,*
*Quique notis linguam ſuperet, verſumque loquentis*
*Excipiens, longas nova per compendia voces.*

*b* Seneca; *quid verborum notas, quibus quamvis citata excipitur oratio, & celeritatem linguæ manus ſequitur? viliſſimorum mancipiorum iſta commentæ ſunt.* Quæ Senecæ verba impetunt dictum *c* Iſidori, qui aſſerit, Senecam contracto omnium, digeſtoque, & aucto numero opus effeciſſe in quinque millia notarum. D. *d* Hieronymus: *jam de miſſo synthemate equus publicus ſternebatur, & nobilem juvenem punicea indutum tunica baltheus ambiebat, & tamen ille, appoſito notario, cogebat loqui, quæ velociter edita, velox conſequeretur manus, & linguę celeritatem prenderent ſigna verborum.* Notarius tamen quandoque pro amanuenſi ſumitur. *e* Plinius, *Notarium voco, & die admiſſo, quę formaveram dicto, abit, rurſuſque revocatur, rurſuſque remittitur.* D. *f* Gregorius; *tunc vir Dei accerſito notario dictavit dicens, Sabinus Domini* IESV *Chriſti ſervus commonitorium Pado.* Alij ab his NOTARII PRINCIPIS. quorum meminit *g* Caſſiodorus: erant enim principi à ſecretis, ut olim *h* Scribæ apud Græcos. Notariorum erant thecæ, quibus includebantur ſtyli, & pugillaria. *i* Ammianus: *maximè cum hęc eadem numeran-*

*b Epiſt. 90.*

*c lib 1. Orig cap. 21.*

*d ad Iulianũ.*

*e lib 9 ep. 36*

*f Dialog lib*

*g Lib 6 16.*

*h Cornelius Nepos in Eumene.*

*i Lib. 28.*

*merantes, notarij prope xxx. adſiſtant cum thecis, & pugillaribus tabulis*. Pugillarium verò forma fuit oblonga, & quadrata, eminenti quadam margine circumcirca concluſa, ut vidimus Romæ in veteri arca ſepulchrali in hortis Cyriaci Matthæii. Materies frequenter fuit è citro, buxo, acere, ebore, membranis; quibus omnibus ceram coloratam ſuperinducebant. [a] Ouidius, [a] *lib. 1. amor. El. 12.*

*Ite hinc difficiles, funebria ligna, tabellæ,*
*Tuque negaturis cera referta notis,*
*Quam puto de longæ collectam flore cicutæ,*
*Melle ſub infami Corſica miſit apis.*
*At tamquam minio penitus medicata rubebas,*
*Ille color verè ſanguinolentus erat.*

[b] Althelmus in ænigmate de pugillaribus, [b] *Editus à Delr o n O a ſticas, anigm. 1.*

*Melligeris apibus mea prima proceſſit origo,*
*Sed pars exterior creſcebat cetera ſilvis,*
*Calceamenta mihi tradebant tergora dura.*
*Nunc ferri ſtimulus faciem proſcindit amœnam*
*Flexibus, & ſulcis obliquat ad inſtar aratri.*

Tabellæ idem ſignificaverunt, quoniam pugillar ut plurimum ligneum erat. [c] Prudentius in hymno de Caſſiano martyre, in quo antiqua ſcribendi ratio ad amuſſim explicatur. [c] *Periſteph.*

*Conijciunt alij lapides, inque ora tabellas*
*Frangunt, reliſa fronte lignum diſſilit:*
*Buxa crepant cerata, genis impacta cruentis,*
*Rubetque ab ictu curva tumens pagina.*

Calami vicem in his geſſit graphium, ſive ſtylus; tum è ferro, tum ex ære, eius planè, formæ, quam hic nos damus, illuſtraturæ dubio procul Symposii, & Althelmi ænigmata, necnon & ſubſcripta Prudentii carmina. Minuſculum illud apud me eſt, maius illud

alte-

alterum apud ALOYS. CORRADINVM. [d] Sympoſius ; GRAPHIVM.

d ænigm. 1.

*De ſummo planus, ſed non ego planus in imo,*
*Verſor utrimque manu diverſo & munere fungor:*
*Altera pars revocat quidquid pars altera fecit.*

a in Heptaſ. ſchis.



[a] Allthelmus in ænigmate, cui titulum prefixit de elementis;
*Naſcimur ex ferro, rurſus ferro moribundæ,*
*Nec non & volucris penna volitantis ad æthram.*

Prudẽtius in paſſione Caſſiani:
*Inde alij ſtimulos, & acumina ferrea vibrant,*
*Qua parte aratis cera ſulcis ſcribitur;*
*Et qua ſecti apices abolentur, & æquoris hirti*
*Rurſus niteſcens innovatur area.*
*Hinc foditur Chriſti confeſſor, & inde ſecatur.*
*Pars viſcus intrat molle, pars ſcindit cutem.*

Sympoſius expreſſit ſanè aptè. Acumen enim graphii ſi in imo digitis complectamur, ut poſcit uſus, eiuſdem planities ſeu latitudo (ut loquitur Gregorius Turonẽſis) erit in ſummo. Althelmus ferrum utrobique appellat, ut vidimus;

mus; & ferri ſtimulum non ineleganter, quia mucrone ſcribebant, planitie ſcriptum abradebant, [b] Columella,

*Nomine tum Graio ceu littera proxima primæ*
*Pangitur in cera docti mucrone magiſtri,*
*Sic & humo pingui ferratæ cuſpidis ictu*
*Deprimitur. folio viridis, pede candida, Beta.*

D. [a] Hieronymus; *ſtultus ego, qui me putaverim hęc abſque Philoſophis ſcire non poſſe, qui meliorem ſtyli partem eam legerim, quę deleret, quàm quę ſcriberet.* Recondebatur autem in thecam, quam graphiarium appellat [b] Martialis, ut innocens haberetur, & aſſerit præter [c] Svetonium [d] Gregorius Turonenſis. Stylus autem mucronem, & aciem graphij unico nomine complectebatur. Quintilianus: *cum verò iam ductus ſequi cœperit, non inutile erit eas* (literas videlicet) *tabellę quàm optime inſculpi, ut per illos velut ſulcos ducatur ſtylus.* Et hinc uſurpant non rarò ſcriptores ſtylum infigere, ſtylo appetere, ſtylum vertere, & ſtylo depaſcere. Fuit autem graphium ad cædem aptum. ita [f] Cæſar Caſſij *brachium arreptum graphio traiecit*: [g] Caligula, *cum diſcerpi Senatorem concupiſſet, ſubornavit, qui ingredientem curiam, repente hoſtem publicum appellantes invaderent, graphijſque confoſſum, lacerandum ceteris traderent.* Populus Romanus [h] *Erixonem equitem Romanum, quia filium flagellis occiderat, in fora graphijs confodit*: & [i] *Caſſianum martyrem pueri ſtylis confecerunt.* Fuit autem ferreum vel æreum ut vidimus; aureum enim, cuius meminit Marcellus medicus, veluti & chryſtallina, & onychina pugillaria, extra ordinem fuerunt. LIBRARII quos nonnulli [k] ANTIQVARIOS dicunt, à libris arborum appellati ſunt ideò, [l] quia in dedolatis è ligno codicillis,

b in horto.
a ad Domnionem.
b Lib. 14.
c Claudio cap. 35
d lib. 1. de mirac. D. Martini cap. 14.
e lib. 1. cap. 1.
f Sueton. Cæſare cap 82.
g Caio cap 28
h Seneca 1. de Clem cap. 14.
i Prudentius loco cit. Turo. de glor. mart. lib. 1 cap. 43.
k D. Auguſti. ſerm 44 de verb Dõ li. 2. de ſtu ä lib. ur. Ro. C. Th. D. Hieronym. ad Florent. Iſido. lib. 6 Orig.
l D. Hierony. ad Niceam.

aut in corticibus arborum, ante uſum cartæ vel membranarum, antiqui ſcriberent: unde TABELLARII portitores literarum. Extabat in muſæo Carpenſi Romæ antiquus titulus,

IVCVNDVS
DOMITIAE
BIBVLI LIBRAR.
AD. MANVM.

Librarij aliquod munus indicat nobis [a] Cicero: *& erit gratius ſi non modò libris tuis, ſed etiam in aliorum per librarios tuos Ariſtophanem repoſueris pro Eupoli*. Ideoque [b] Sidonius Appollinaris ſcribam vocavit, & bibliopolam. [c] Cicero filius: *ſed peto à te, ut quàm celerrimè mihi librarius mittatur, maximè quidem Græcus. multum enim mihi eripitur operæ in exſcribendis hypomnematis*. Erant in miniſterio & LIBRARIAE. Antiquus lapis;

SEXTIA. XANTA
SCR. LIBRARIA
EM. OL. II.

[d] Iuvenalis,

*— perijt libraria, ponunt*
*Coſmetæ tunicas. —*

[e] Euſebius diſertè ſcripſit, Origeni ad manum fuiſſe librarios, unà cum puellis, quæ ſcitè & concinnè ſcriberent. Quo fit, ut minus credam interpreti antiquo Iuvenalis, & veteri neſcio cui Iuris ciuilis epitomatori, qui pondera hic, & libram ſubſtituunt. Tetigit hæc eleganter [f] Galenus, cuius hæc ſunt Latinè reddita; *nam quod ad nos attinet, decima fortaſſe proventuum noſtrorum pars impenditur, reliquæ verò partes novem ſubſtantiæ ipſi adijciuntur: attamen video*

a lib. 12. ad Atticum.
b lib. 5 Ep. 15 & 17.
c ad Tironem.
d Sat. 6.
e Eccl. Hiſtor. lib. 6. cap. 17
f de dignoſc. & cur. an. morb. cap. 9.

*deo te ne in res quidem egregias inſumere quidquam audere, non in coemptionem, comparationemque* LIBRORVM: *non in eos qui* SCRIBANT *exercendos, ſive* NOTIS, *&* SIGNIS *id faciant, ut* CITIVS; *ſive exquiſitis* FIGVRIS *ut* PVLCHRIVS: *ſicut ne in eos quidem, qui* EMENDATE, RECTE QVE *legant*. Inſerviebant librariis GLVTINATORES, conglutinandæ nimirum papyro operam impendentes. legebatur olim Neapuli,

MANNIO STICHIO
TIBERII CAESARIS
GLVTINATORI

in vetere gloſſario glutinator κολλητής eſt, meminit & [a] Cicero; *etiam velim mihi mittas de tuis librariolis duos aliquos, quibus Tyrannio utatur glutinatoribus, ad cetera adminiſtris.* Chartæ autem ipſæ papyro, & glutino conſtabant. ideò apud Spartianum Firmus tyrannus iactabat, *exercitum ſe alere poſſe papyro, & glutinno*, quod chartarum quantitatem immenſam haberet. Ceterum de charta, & glutino latè [b] Plinius. Neque verò in chartis tantum, ſed & in membranis glutinis uſus fuit, ſi antiquo [c] Perſij gloſſatori credimus, qui bicolorem membranam ita interpretatur, quod pars altera ſeu facies membranæ crocea eſſet, glutinata altera. Libris materiam cortex olim, papyrus, carbaſus, ovilla tergora, lintei, plumbum, & alia ſuppeditarunt, ut cuilibet animadvertere promptum eſt. iique quod circum ligneum teretem ſurculum, vel oſſeum convolverentur, volumina ſunt appellati. Surculum ipſum ſeu ſurculi capitula, quæ & cornua, umbilicum vocabant. Porrò de his, & de univerſa ſcribendi ratione, contexuit inſignem commentarium VINC. CONTARENVS noſter, quem ille non diu patietur à ſtudioſis deſiderari. Librariorum

*a ad Atticum*

*b lib. 13, cap. 12.*

*c Sat. 3.*

adminiſtri, quos vocat Cicero, videntur fuiſſe PVMICATORES, MALLEATORES, ORNATORES. De pumice [a] Catullus, [b] Tibullus, [c] Plinius: de cetero ornatu [d] Domitius Ulpianus. At quoniam minium in voluminum quoque ſcriptura uſurpabatur, inde nomen factum eſt ſervo MINICVLATORI. [e] Perſius;

*Excepto ſi quid Maſuri rubrica notavit.*

ubi gloſſæ veteres; *Rubricas vocat minium, quo tituli legum annotabantur*. At ut viventes bibliothecas aliquando aggrediamur, hæc erit ſtatio GRAMMATICORVM, quos [f] Cornelius Nepos, & [g] Meſſala Corvinus litteratos, & litteratores appellant. Quo videndum an reſpexerit idem Cornelius, cum in vita Pomponij Attici ſcribit, in eiuſdem familia fuiſſe pueros litteratiſſimos. Huiuſmodi fuit Mecœnati C. [h] Meliſſus, *Spoleti natus ingenuus, ſed expoſitus, qui cum ſe gratum, & acceptum in modum amici videret, quanquam aſſerente matre, permanſit tamen in ſtatu ſervitutis, præſentemque conditionem veræ origini antepoſuit*. horum æſtimationis index erit Daphnis ille, cuius meminerunt [i] Plinius, & [k] Svetonius. PAEDAGOGI, MAGISTRI, & PRAECEPTORES huc referendi ſunt, quorum uſus apprime neceſſarius, C. [l] Caſſium induxit ut crederet, hæredi quandoque remittendam eſſe proprii ſervi manumittendi neceſſitatem. quod tamen receptum non eſt. Eâdem neceſſitate compulſus, [m] Auguſtus, cum urbs fame premeretur, ſervorum maximas, exceptis medicis, & præceptoribus, trudi urbe præcepit. Pædagogi, puerorum & puellarum ductores fuerunt, & doctores. [n] Plautus,

*Nego tibi annis viginti fuiſſe primis copiam,*
*Digitum longe à Pædagogo pedem ut efferres ex ędibus.*

a 1. epigr.
b lib. 3. El. 1.
c lib 36. c. 21.
d L. L. de Leg. 3.
e Sat. 5. L ult. de liber. cau. L. 7 de oper. libert.
fg Suetonius de ill. Grăm.
h Sueton. lib cit.
i lib 7. ca 39.
k Lib. cit.
l L. 35. de Fideicomm. libert.
m Paulus Oroſ. lib. 7. c. 3.
n Bacchidib.

& 

Inde

*Inde de hippodromo, & palæſtra ubi reveniſſes domum,*
*Cincticulo precinctus in ſella apud magiſtrum aſſideres,*
*Tum librum legeres.*

Hoc ſibi voluit [a] Manilius:

*Componet teneros etiam qui nutriat annos,*
*Et dominum dominus prætextæ lege ſequatur.*

D. [b] Auguſtinus; *cum videamus exempli gratia, & ſine tribulis areas triturari, quamvis adiuvent ſi adſint, & ſine pædagogis poſſe pueros pergere in ſcholam, quamvis ad hoc non ſint inutilia pædagogorum adiumenta.* huius ſanè operæ, pueris, & puellis nauatæ notitia facit, ut minus miremur, cum apud [c] Val. Maximum legimus, puellæ virginitatem â ſervo pædagogo, Fannio neſcio cui Saturnino proditam. Fuit autem non rarò præpoſtera valdè, & translatitia parentum cura in pædagogis comparandis. [d] Ariſtides: *quid autem? nonne nutrices, litteratores, ac pædagogi pueris ita dicunt: oportet te non impleri, & modeſtè per vias incedere, ac ſenioribus aſſurgere, & parentes amare, non tumultuari, non alea ludere, non ſi vis, alternare pedes. veruntamen non propterea magni ſe faciant nutrices, nec philoſophis ſe ſe præferunt. itaque quæcumque maximi eſt precij, duarum eſt fortaſſe, vel trium minarum. Pædagogi verò etiam cum barbarie quadam plerique iſta docent, ac ianitores aliquando pro pædagogis, cum artem deſierunt, æquo animo fiunt.* hæc & ſimilia docuerunt pædagogi, *ut* [e] *ambulare in via demiſſo capite; ut digito ſalſamentum, duobus tangere piſcem, panem, carnem, ſic ſcabere; ſic veſtem gerere.* Magiſtri pueros & puellas docebant & ipſi, D. [f] Hieronymus: *magiſtrum autem pueri tui, de quo dignatus es ſcribere, quem plagiatorem eius eſſe non dubium eſt, ſæpe Evagrius presbyter, dum adhuc Antiochiæ eſſem, me præſente corripuit, cui ille reſpon-*

a Lib. 5.

b De geſt. Pelagii. Et hos videtur Oppianus Epiſcopos appellare, ſeu inſpectores. lib. 1. & 3 de Piſcat.

c Lib 6. cap. 1. vide & pædagogum cruciarium Calpurnii Flacci.

d in Platonica 1.

e Plutarch. virtutem docere poſſe.

*reſpondit, ego nihil timeo, dicit ſe à domino ſuo fuiſſe dimiſſum*. Quod ad puellas attinet, extat inſigne teſtimonium [a] Juliani ICti. *is à cognatis, & propinquis pupillę perductus ad magiſtratum, juſſus eſt alimenta pupillę, & mercedes ut liberalibus artibus inſtitueretur, pręceptoribus dare*. [b] Martialis;

a L. 4. ubi Pupillus educari deb.

b lib. 9. 70.

*Quid tibi nobiſcum eſt ludi ſcelerate magiſter?*
*Inviſum pueris, virginibuſque caput.*

c de Ill. Gràm.

[c] Svetonius: *Q. Cęcilius Epirota Tuſculi natus, libertus Attici Satrij equitis Romani, ad quem ſunt Ciceroni epiſtolæ, cum filiam patroni nuptam M. Agrippæ doceret, ſuſpectus in ea, & ob hoc remotus, ad Cornelium Fallum ſe contulit*. Neque verò ſervis ipſis defuit magiſter, aut pædagogus familiaris. de illo antiquus cippus Tibure,

D. M.
TIB. CLAVDIO. AVG. LIB
HERMETI
M. PVEROR. DOM. AVGVST.

de hoc Romæ,

FLAVI. STEPHANI
PAEDAG. PVEROR.
IMP. TITI
CAESARIS

Pædagogo CAPSARIVM adiungemus, ex auctoritate [d] Ulpiani: *ſi collactaneus, ſi educator, ſi pœdagogus ipſius, ſi nutrix, vel filius, filiave alterius eorum, vel alumnus, vel capſarius &c.* [e] Juuenalis,

d L. 13. de manum. vind.

e Sat. 10.

*Eloquium aut famam Demoſthenis, aut Ciceronis*
*Incipit optare, & totis Quinquatribus optat,*
*Quisquis adhuc uno partam colit aſſe Minervam,*
*Quem ſequitur cuſtos anguſtæ vernula capſę.*

ubi

ubi ex vetere Grammatico diſcimus, deſignari puerum adhuc diſcentem, quam arcula ſequatur, in qua codices reponantur. Capſas autem, & armaria librorum recenſuit, & [a] Jul. Paulus. Et hæ pueriles capſæ minuſculæ videntur fuiſſe, ut pote ad geſtandum habiles. ideoque anguſtas vocauit Iuuenalis, ad earum diſcrimen, quæ maiores erant, & ſtatariæ, quarum videtur meminiſſe Iul. Paulus Capſarii verò, qui in balneis veſtimenta accipiebant cuſtodienda, utrum ſervi fuerint an liberi, alij viderint. Et hi ferè omnes (uno & altero excepto) ſerui intramurani fuerunt, ut cum Aſconio noſtro dicam.

a lib 3. Sent. Tit. 8.

## CAPUT XVI.

*De Hijs qui extra domeſticos parietes Dominum, aut præcedebant, aut ſequebatur.*

NVnc deſcribemus eos, quibus extra domeſticos parietes utebatur dominus militares primum, tum alios. ARMIGER ex [b] Virgilio, & aliis notus ſatis,

*— forma tum vertitur oris*
*Antiquum in Buten, hic Dardanio Anchiſæ*
*Armiger ante fuit —*

isque precioſus, ſi [c] Plinio credimus, de luſciniis loquenti: *ergo ſervorum illis precia ſunt, & quidem ampliora, quàm quibus olim armigeri parabantur.* Et hos heroibus Poetæ attribuunt, quos Reges & olim, & hodie, in hac ſaltem parte æmulati ſunt. teſtis eſt antiqua ſcalptura precioſæ illius Sapphiri, cuius typum MAR Q. FREHERVS vir eruditiſſimus edidit, & illuſtravit. In ea Conſtantius Imp. aprũ venabulo excipit: Armiger autem telum geſtans, feræ impetum

b lib. 9. Aen.

c lib. 10 cap. 27.

for-

formidans, dat ſe in pedes. [a] Prudentius de armigero Cæſariano;

*Armiger è cuneo puerorum flavi comantum,*
*Purpurei cuſtos lateris, deprehenditur unus.*
*Nec negat, & gemino gemmata haſtilia ferro*
*Proijcit, ac ſignum Chriſti ſe ferre fatetur.*

[a] Martialis.

*Splendophorus Lybicas domini petit armiger urbes:*
*Quæ puero dones tela Cupido para;*
*Illa quibus iuvenes figis, molleſque puellas;*
*Sit tamen in tenera levis, & haſta manu.*
*Loricam, clypeumque tibi, galeamque remitto.* &c.

Notauit porrò [b] Sidonius. Theodoricum regem, arcum lateri innectere citra gravitatem regiam iudicaſſe, & tradidiſſe geſtandum puero, hinc armiger in aula Conſtantinopolitana, qualis deſcribitur à [c] Corippo Narſes: hinc apud Curopalatam ſcutarius in eadem aula. & hinc demum in [d] Turcica puer ephebus, qui Sultano gerit arcum, & ſagittas. A qua eâdem ratione notat Lampridius, Commodo imperante tres Præfectos Prætorio fuiſſe, inter quos libertinum, qui A PVGIONE appellatus eſt. Fuit autem apud Cæſares miniſter Palatinus, qui arma cuſtodiret huiuſmodi A. quidam VIBIVS HERMES. IMP. NERONI. A CVSTODIA ARMORVM in veteri monumento legitur. Duces & ipſi, regibus ſatis impares armigeris non caruerunt. S. [e] Ferrandus in parænetico; *tunc autem dux optimus neminem lædet, ſi in omni Prætorio illius non audeat aliquis amicus, cliens, medicus, armiger, aut propter officij publici devotionem lateri ducis ſemper adiunctus, conceſſa beneficia vendere.* His armigeris affines fuerunt CACVLAE, & CALONES, ita dicti auctore Feſto, quod fuſtibus clavisque ligneis arma-

[a] in apotheoſi.
[a] lib. 9. 57.
[b] lib. 1. Ep. 21 De Heleni chis armigero Alboin. Paulus Diaconus lib. 2. de geſt. Longob. cap. 28
[c] Lib. 4.
[d] Menauinus lib. 3. cap. 10
[e] edidit A. Statius.

armari ſolerent ad tutelam dominorum. Hic f Iſidorum emendabimus, deformem vitio non ſuo. *claſſis* (inquit ille) *dicta eſt à Græco vocabulo ἀπὸ τῶν κάλων, id eſt lignis: unde & calones naviculæ, quæ ligna militibus portant* lego: *unde & calones, & caculæ, qui ligna militibus portant*. Fuerunt autem hæc ligna fuſtes ut diximus, & clavæ: quod enim Evangeliſtarum interpretes habent, miſſam fuiſſe cohortem ad vinciendum IESVM cum gladiis, & fuſtibus, ita vertit a Juvencus; f lib. 19. orig. cap. 1. a Lib. 4.

*Pars ſtrictis gladijs, pars fidens pondere clavæ.*

Et hi b CLAVATORES dicti ſunt, & c GALEARII LIXAS. Acron Grammaticus perperam ſervos militum appellat, cum certum ſit fuiſſe liberos homines. e Val. Maximus: *protinus namque lixas è caſtris ſummovit* (Metellus) *cibumque coctum venalem proponi vetuit. in agmine neminem militum, miniſterio ſervorum, iumentorumque, ut arma ſua & alimenta ipſi ferrent, uti paſſus eſt*. Lecticarios quoque ideò calones appellavit Seneca, (*Lectica formoſis impoſita calonibus*) quod ligna ſeu aſſeres lecticæ portarent. *κάλον* enim *lignum eſt*, inquiunt Feſtus, & Iſidorus. f Horatius profectò aliquoties hoc nomine ſervos deſignat, ſed viliores ut videtur, veluti muliones, & huiuſmodi. Et hæc de ſervis militaribus. Dominum domo egredientem ANTEAMBVLONES præcedebant, in eum uſum, quem tangit junior g Plinius; *eques Romanus à ſervo eius, ut tranſitum daret, manu leniter admonitus, convertit ſe; nec ſervum, à quo erat tactus, ſed ipſum Macedonem tam graviter palma percuſſit, ut penè concideret*. Neſcio quis apud h Cornificium: *hic inquit habito: perſpicit argentum, quod erat expoſitum, viſit triclinium ſtratum; probat, accedit ſervulus, dicit homini clarè, dominum* b Feſtus: c Vegetius lib. 3. cap. 6. d ad Horat. lib. 1. Sat. 2. e lib. 2. cap. 7. f lib. 1. Sat. 2. Sat. 6. lib. 1. Epiſt. 14. g lib 3. ep. 14 h lib. 4.

*jam venturum; ſi velit exire.* Martialis autem ſcribit, Lib. 5. 93.
& ad liberos homines pertinuiſſe hanc operam,

*Exigis à nobis operam ſine fine togatam:*
*Non eo, libertum ſed tibi mitto meum.*
*Non eſt (inquis) idem: multo plus eſſe probabo.*
*Vix ego lecticam ſubſequar, ille feret.*
*In turbam incideris, cunctos umbone repellet:* &c.

a lib. 10. 74. Idem [a] Poeta;

*Jam parces laſſo Roma gratulatori,*
*Laſſo clienti. quamdiu ſalutator*
*Anteambulones, & togatulos inter*
*Centum merebor plumbeos die toto?*

At quia non ad clepſydram ſcribimus, quiſquis leget hæc ignoſcat nobis, ſi ſtudio veritatis eruendæ, plumbeos nummos aſſeremus. Hos hic noſter [b] alibi centum quadrantes appellat, b lib. 3. 7.

*Centum miſelli jam valete Quadrantes,*
*Anteambulonis congiarium laſſi.*

Et quidem ego ipſe in illa opinione aliquando fui, ut putarem, & illa ſuperius relata, & hæc eiuſdem [c] auctoris, c lib. 1. 67.


*Nigræ ſordibus explices monetæ:* &
*Conſtemus tibi plumbea ſelibra.*

hæc inquam omnia intelligi de vili, & minuta pecunia, ut apud eumdem [d] Poetam legimus, *plumbea vina*, & *plumbea mala*. Imò & quæ apud [e] Plautum legeram; d lib. 10. 89. & 93. e Caſina.

f Trinummo. act. 4. ſc. 2. *Cui homini hodie peculi nummus non eſt plumbeus,* [f] &,
g Moſtellaria. *Cui ſi capitis res ſiet, nummum nunquã credam plumbeũ* [g] item, SER. *Tace ſis faber, qui cudere ſoles plumbeos Nummos.*

ita interpretabar. Verum ut ſententiam mutarem fecit primum fortuna obſequens, quæ obtulit mihi num-

nummos aliquot veteres, Romæ & alibi erutos, plumbeos omnes, quos averſos & adverſos hìc in tabella dare decreui: deinde i. [a] LIPSIVS, qui mo- *a in Schedis:*




 netam

netam plumbeam candidè agnovit. Subſequebantur PEDISSEQVI. Et ideo myriadas ſervorum comparatas fuiſſe ſcribit [a] Athenæus, ut comitum, anteambulonum, & aſſeclarum copia ne deeſſet. Ammianus: *nonnullos fulgentes ſericis indumentis, ut ducendos ad mortem, vel ut ſine diritate ominis loquamur, prægreſſo exercitu, arma cogentes, manipulatim concitato fragore ſequitur multitudo ſervorum.* [c] Cimon nobilis ille Imperator, diſpenſatoribus utebatur, ut ſi quis opis eius indigeret, haberet quod ſtatim daret, ne differendo videretur negare. Et hi omnes pars erant, & portio officij & obſequij quotidiani. Cuius tamen corpus liberi homines conſtituebant. [d] Iuvenalis,

*a lib. 6. de aſſoclis. Nonius in ASSAS.*
*b Lib. 14.*
*c Cornel. Nepos, ſive is Aemil. Probus. in Cimone.*
*d Sat. 3.*

*Si vocat officium, turba cedente vehetur,*
*Dives, & ingenti curret ſuper ora Liburno.* &
*—— nobis properantibus obſtat*
*Unda prior magno populos premit agmine lumbos,*
*Qui ſequitur: ferit hic cubito, ferit aſſere duro*
*Alter. ——*

[e] Plinius: *paucos poſt dies ipſe me Regulus convenit in Prætoris officio.* [f] Martialis:

*Omnes perſequeris Prætorum Cotta locellos,*
*Accipis & ceras, officioſus homo es.*

[g] idem alibi graphicè,

*Condita cum tibi ſit jam ſexageſima meſſis,*
*Et facies multo ſplendeat alba pilo.*
*Diſcurris tota vagus urbe, nec ulla cathedra eſt,*
*Cui non mane feras irrequietus Ave.*
*Et ſine te nulli fas eſt prodire Tribuno,*
*Nec caret officio Conſul uterque tuo.*

*e lib. 1. ep. 5.*
*f lib. 10. 88.*
*g lib. 4. 35.*

Sa-

Salutatores totam hanc ſcænam complebant. [b] Seneca: *ad quemcumque itaque iſtorum veneris, quorum ſalutatio urbem concutit, ſcito, etiamſi animadverteris obſeſſos ingenti frequentia vicos, & commeantium in utramque partem catervis itinera compreſſa, tamen venire te in locum hominibus plenum, amicis vacuum. in pectore amicus, non in atrio quæritur.* Salutatoria vox fuit, Aue, ut apud Martialem vidimus, & apud alios paſſim eſt videre. Hora huius officioſæ ſalutationis fuit antelucana. [a] Iuvenalis,

*Quod porrò officium, ne nobis blandiar, aut quod*
*Pauperis hic meritum, ſi curet nocte togatus*
*Currere, cum Prætor lictorem impellat, & ire*
*Præcipitem jubeat, dudum vigilantibus orbis,*
*Ne prior albinam, & Modiam collega ſalutet?*

[b] Idem,

*— habet Trebius propter quod rumpere ſomnum*
*Debeat, & ligulas dimittere ſollicitus, ne*
*Tota ſalutatrix jam turba peregerit orbem*
*Sideribus dubijs, aut illo tempore, quo ſe*
*Frigida circumagunt pigri Serraca Bootæ.*

[c] Salluſtius: *C. Cornelius eques Romanus operam ſuam pollicitus, & cum eo L. Vargunteius Senator, conſtituere eâ nocte paulò poſt cum armatis hominibus, ſicuti ſalutatum, introire ad Ciceronem.* Niſi ſalutatores [d] inciderent in aliquem ſectatorem Attilii illius Butæ, qui lucem ſtatuerat ſibi ſomni tempus eſſe. Et hæc quidem penè publica fuit ſalutatio, illa priuata, quam [e] Galba Sulpicius *exoletam alibi, in domo ſua, obſtinatiſſime retinuit; ut liberti ſervique, bis die frequentes adeſſent, ac mane ſalvere, veſperi valere ſibi ſinguli dicerent.* Admittebantur autem ſalutatores, idque non ſanè gratis. [f] Iuvenalis;

b lib 6 de benef. cap. 34.
a Sat. 3.
b Sat. 5.
c in Catilinā
d Sen Ep. 122
e Sueton cap. 4.
f Sat. 3. nec uno in loco

omnia

*— omnia Romæ*
*Cum precio. quid das ut Coſſum aliquando ſalutes?*
*Ut te reſpiciat clauſo Veiento labello?*

At verò præfuiſſe aliquem huic turbæ officioſæ, ſaltem in aula Cæſarum, videtur indicare marmoreæ inſcriptionis fragmentum, in quo NERITO cuidam DIVI CLAVDII neſcio an liberto, OFFICI IMPER. fortè curatori, locus monumenti deſignatur. Confirmant coniecturam verba martyrologij Romani; *Piſis in Tuſcia ſancti Torpetis martyris, qui magnus in officio Neronis primum fuit* &c. An autem TISANDER quidam AVG LIB. OFFICIALIS huc pertineat, viderint alij. Et certè niſi inſigniter fallor, hoc munus admiſſionalium fuit, de quibus ſuo loco dicemus. Locus ſtatus & ſolemnis, ubi peragebatur hæc fabula, atrium erat. Seneca ſtylum acuens in has ineptas ſalutatorum concurſationes, & quidem verbis próximè citatis: [a] *in pectore amicus, non in atrio quæritur.* [b] Idem: *quàm multi per refertum clientibus atrium prodire vitabunt, & per obſcuros ædium aditus profugient?* Martialis paſſim. Illa antelucana potentiorum fuit; tenuiorum autem matutina. OFFICIOSORVM ſtatio veſtibulum fuit. [c] Gellius ex doctrina Sulpicij Apollinaris; *qui domos igitur amplas antiquitus faciebant, locum ante januam vacuum relinquebant, qui inter fores domus, & viam medius eſſet, in eo loco qui dominum eius domus ſalutatum venerant, priuſquam admitterentur, conſiſtebant* &c. Et hęc verba Gellij penè tranſcripſit [d] Non. Marcellus, qui ex Gellio emendandus eſt. [e] Donatus etiam illa Virgilij;

*Veſtibulum ante ipſum, primiſque in faucibus Orci,*
*Luctus, & ultrices poſuere cubilia curæ.*

*feralem* (ſcribit) *Ditis domum, ecce quale obſeruabat officium*

a lib. 6. de benef. cap. 34.
b De breuit. vitæ cap. 14
c lib. 16. cap. 5
d veſtibulum.
e Æn.

*ficium in primo veſtibulo.* [a] ADVERSITORES qui dicebantur, huic ſervitio extramurano adcenſendi *a Plautus meſtellaria actu* ſunt. hi domino foris cœnanti (teſte [b] Donato) ad- *4, Iob. Euan-* verſum ibant, officij & tutelæ gratia. Sed & ACCER- *gel. cap 4 nu 51.* SITORES, ut ita dicam; & qui aduentum domini præ- *b in Adephis* mittebantur nunciatum. [c] Plinius; *evigelaveram. c Lib. 1. ep 5.* *nuncius à Spurinna, venio ad te. imò ego ad te* [d] Iuven- *d Lib. 4.* cus,

*Talia dum loquitur, ſciſſos lacerata capillos:*
*Pro fratris morbo juſtis ſoror anxia curis,*
*Hortatur iuvenem rapido percurrere greſſu,*
*Caſibus ut tantis Chriſtus ſervaret amicum.*

Iuvenis hîc famulus eſt. [e] Ouidius, *e lib 3. de arte am.*

*Ancillæ puerique manus ferat arte tabellas:*
*Pignora nec iuveni credite veſtra novo.*

Et hi erant domeſtici ultro citroque curſantium manipuli. [f] Appuleius; *miſitque protinus curſorem, qui* *f lib. 10. Met.* *vianti marito domus expugnationem nunciaret.* At de curſoribus agemus infra. Adverſitoribus illi non diſſimiles fuerunt, qui præcincti lumbos, & lychnos *g Luca 12. 35* ferentes, dominum domi præſtolabantur, à cœna revertentem; quorum aliqui Dominorum comites erant. [h] Val. Maximus: *Caius autem Duillius, qui primus navalem triumphum ex Pœnis retulit, quotieſcumque* *h lib 3. cap. 6.* *epulaturus erat, ad funalem cereum, præeunte tibicine, & fidicine, à cœna domum reverti ſolitus eſt.* idem [i] au- *i lib. 6. cap 8.* ctor: *M. Antonius avorum noſtrorum temporibus clariſſimus orator, inceſti reus agebatur. cuius in judicio accuſatores ſervum in quæſtionem perſeverantiſſimè poſtulabant, quod ab eo, cum ad ſtuprum iret, laternam prælatam contenderent.* [k] Iuvenalis.

*— ſed quamvis improbus annis,*
*Atque mero ſervens, cavet hunc, quem coccina læna* *k Sat. 3.*

*Vitari*

*Vitari jubet, & comitum longiſſimus ordo:*
*Multum præterea flammarum, & ahenea lampas.*

Et verò ſine his dominus benè potus, quî domum ſe contuliſſet? [a] Propertius;

a Lib. 2. El. 29.

*Heſterna mea lux cum potus nocte vagarer,*
*Nec me ſervorum duceret ulla manus;*
*Obvia neſcio quot pueri mihi turba minuta*
*Venerat. ——*

Et hos AD LYCHNVM, AD FVNALE AD LATERNAM, LAMPADOPHOROS, & TAEDIGEROS appellabimus. At funalia (ut inquit [b] Servius) *ideò dicta ſunt, quia ante uſum papyri antiquitus ſunes cera circumdabant.* Quod iiſdem verbis expreſſit [c] Iſidorus. Antiquorum autem funalium figuram præferunt Angeli inſculpti in vetere monumento è marmore Synnadico, in quo jacent ſacroſancta oſſa Beatiſſimi Lucæ Evangeliſtæ, in auguſtiſſimo templo D. Juſtinæ, apud nos. Et hòc dubio procul etymon habent vox Eccleſiaſtica, Intortitia, & Italicæ, Torcie, & Torchij: imò & Hiſpanica, Antorcha. Funalia enim funes intortas referebant. Addamus etiam fomitem goſſypinum, quem hodie cera ſuperinducimus à noſtris appellari Pavero, corruptâ Papyri, cuius meminit Servius, nomenclaturâ. In hac autem cohorte MONITORES quidam erant. [d] Appuleius: *poſt hæc monitu famuli mei, qui noctis* ADMONEBAT, *jam & ipſe crapula diſtentus, protinus exurgo: & appellata propere Byrrhena, titubante veſtigio domuitionem capeſſo, ſed cum primum plateam vadimus, vento repentino* LVMEN, *quo nitebamur, extinguitur.*

b 1. Aeneid.
c lib. 20. Etym. cap. 20.
d Lib. 2.

Et



Et horum qui admonerent ingens videtur fuiſſe numerus, apud homines nobiles, & fortunatos. [a] Seneca: *nec illos quidem inter ocioſos numeraveris, qui ſella ſe, & lectica huc & illuc ferunt, & ad geſtationum ſuarum, quaſi deſerere illas non liceat, horas occurrunt: quos quando lavari debeant, quando natare, quando cœnare, alius* ADMONET; *& uſque eo nimio delicati animi languore ſolvuntur, ut per ſe ſcire non poſſint an eſuriant.* Concinnè [b] Plinius; *quippe multo utiliſſima eſt temperantia in cibis. L. Lucullus hanc de ſe præfecturam ſervo dederat, ultimoque probro manus in cibis triumphali ſeni deducebatur, vel in Capitolio epulanti, pudenda re, ſervo ſuo facilius parere, quàm ſibi.* Contra [c] Carneades, *qui cum cibi capiendi cauſa recubuiſſet, cogitationibus inhærens, manum ad menſam porrigere obliviſcebatur, niſi monitrix domeſtica, temperato inter ſtudia*

[a] de breuit. vita cap. 18.

[b] lib. 28. cap. 5.

[c] Val. Max. lib. 8. cap. 7.

*officio, manum neceſſarijs uſibus aptaſſet.* At de his monitoribus nonnihil egimus, cum Invitatorem, & Structorem produceremus in medium. Quoties verò pedibus incedere domino libuiſſet, aderant LECTICARII qui geſtarent. [a] Seneca; *hoc itaque ipſi mihi dico, quoties tale aliquid perſtrinxerit oculos meos, quoties occurrit domus ſplẽdida, cohors culta ſervorũ, lectica formoſis impoſita calonibus.* impoſitã dixit, quia lecticarii ſuccollabant ſuppoſitis cervicibus. [b] Auctor ipſe: *idem de iſtis licet omnibus dicas, quos ſupra capita hominum, ſupraque turbam delicatos lectica ſuſpendit.* & [c] alibi: *quò tandem ab iſtis gerulis, cubile iſtud tuum circumferentibus? quò te penulati iſti, in militum quidem non vulgarem cultum ſubornati?* In quibus verbis notandum eſt, Penulam fuiſſe veſtem lecticariorum; tum quia pluviam arcebat, tum quia viatores ipſa utebantur promiſcuè. Apud nos utuntur eâdem, ſed laxiore, & breviores curſores noſtri: antiqua enim penula demiſſior, & adſtrictior fuit; ideoque [d] Cicero *penula irretitum Milonem.* [e] Quintilianus (ſive ille Tacitus) *adſtrictos & incluſos penula, cauſarum patronos* ſcripſerunt. huc alluſit [f] Martialis, qui cucullum papyraceum, *olivarum penulam* vocat. Fuit autem penula [g] pallium cum fimbriis longis, quo uſi ſunt Grammatici, quos penulatos magiſtros vocat D. [h] Auguſtinus, ut & Grammaticam ingreſſam fuiſſe Deorum Senatum penulatam affirmat [i] Marcianus Capella. Et Marciani quidem verbis, quæ neſcio quibus deformata librariorum præſtigiis, Criticis omnibus, ſub ſpecie probæ lectionis, hactenus impoſuerunt, nos perſonam detrahere conabimur. Quod enim vulgo legunt; *Quæ fœmina licet*

in

a Epiſt. 110.
b Epiſt. 80.
c lib. 3. de benef. cap. 26.
d in Miloniana.
e de cauſis corr. Eloq.
f lib. 13. 1.
g Cornutus ad Perſ Sat. 1 Iſidorus lib. 19. orig. cap. 24.
h lib. 1. confeſſion. ca 16.
i lib. 3.

*in Attica, ubi maiore ævi parte floruerat, ſe aſſereret incedere palliatam, tamen ritu Romuleo, propter Latiale numen & olim caput, propterque Martiam gentem, Veneriſque propaginem &c.* ita corrigendum eſt; *propter Latiale nomen, & Toli caput.* Nota eſt narratio de capite Toli Vulcentani, evoluto ex fundamentorum ſedibus, in colle Tarpeio. Et mihi quidem aliquandò placuit, etiam [a] Varronis locum hoc Toli nomine inſignire, ad ipſius etiam auctoris mentem: *Capitolium dictum, quod hic, cum fundamenta foderentur ædis Jovis, caput Toli hominis inventum dicitur.* Verum hæc huius loci non ſunt. Ad penulam revertamur, ſelectiora quædam qui volet, legat commentarios ad Lampridium, & Spartianum Is. CASAVBONI. Incedebant autem lecticarii canuſinati. [b] Martialis;

a lib. 4. de L. L.

b lib. 9. 23.

*Ut canuſinatus noſtro Syrus aſſere ſudet.*

Penula igitur, ut vidimus hi uſi ſunt, quam tunicæ ſuperponebant. alioqui tunica: ſolemnis veſtitus ſervorum fuit. Afranius;

c apud Priſcian. lib. 5.

*Vos quibus cordi eſt intra tunicam manus læva, dextra*
*intra penum herile.*

[d] Plautus;

d Amphitruone.

*Adveniſti audaciæ columen conſutis dolis.*

SO, *Imò quidem tunicis conſutis huc advenio, non dolis.*

[e] Phædrus de Atrienſe,

e Lib. 2. fabular.

*Cui tunica ab humeris linteo Peluſio*
*Erat deſtricta.* —

[f] Juvenalis,

f Sat. 6.

— *ponunt*
*Coſmetæ tunicas.* — [g] idem,

g Sat. 1.

— *ſimplex ne furor ſeſtertia centum*
*Perdere, & horrenti tunicam non reddere ſervo*

[h] Gellius: *Plutarchus, ſervo ſuo nequam homini, &*

h lib. 1. c. ult.

*contumaci, ſed libris, diſputationibuſque Philoſophiæ au-res imbutas habenti tunicam detrahi, ob neſcio quod deli-ctum, cædique eum loro iuſſit.* [a] Appuleius de ſervis in piſtrinum coniectis; *cuncti tamen ita tunicati, ut eſſent per pannulos manifeſti.* [b] Ammianus Marcelli-nus: *ſtetit itaque ſubtabidus* (Procopius) *excitum pu-tares ab inferis, nuſquam reperto paludamento, tunica auro diſtincta ut regius miniſter indutus.* [c] Tranquilli-nus martyr Chromatium Præfectum alloquens: *po-ſtea verò tu ipſe poſitis ſericis, quibus indutus es veſtibus, ſervilem tunicam induas.* Et hoc demum eſt, quod innuit Lampridius, apud quem Alexander Severus Imperator, *ſervos ſuos ſemper cum ſervili veſte habuit, libertos* (ita antiquus liber, & rectè) *cum ingenuorum.* Liberti enim Cæſariani ſervorum loco aliquando videntur habiti fuiſſe. Antiqua inſcriptio.

a lib. 9. Met.
b Lib. 26.
c apud. Sur. in actis 13. Sebaſtiani.

OSSA

VIBIAE. SVCCESSAE. LIVIAE. AVG. SER
AB. ARGENTO. POTORIO. ITEM. A. VESTE
L. VIBIVS. AVG. SER. PAMPHILVS. SCRIBA
LIB. &C.

Præterquam quòd [d] libertinis omnibus, etiam iu-re aureorum annulorum donatis, imago potius ob-tigit, quàm ſtatus ingenuitatis. Et hoc eſt, quod [e] Seneca veſtiarium vocat; *eſt aliquid quod dominus præſtare ſervo debeat, ut cibarium, veſtiarium. nemo hoc dixit beneficium.* Idem [f] auctor alibi; *Familia veſtia-rium petit, victumque.* At hac tunica non demiſſa, ſed ita conſtricta uſi ſunt, ut ſuccingerentur laciniis eiuſdem. [g] Horatius,

d L. unica C. ad L. Vitell.
e lib. 3. de be. nef. cap. 21.
f de Tranquill. cap. 8.
g lib. 2. Sat. 8.

— *puer altè cinctus acernam*
*Gauſape purpureo menſam præterſit.* —

Phæ-

[a] Phædrus, [a lib. 2 fabula]

*Ex alticinctis unus Atrienſibus.*

[b] Seneca: *Convivia me hercule horum non poſuerim inter vacantia tempora, cum videam quàm ſollicitè argentum ordinent, quàm diligenter exoletorum ſuorum tunicas ſuccingant.* [c] Juvenalis de ancilla tabernaria, [b de breuitate vitæ cap. 12.] [c Sat. 8.]

*Et cum venali Cyane ſuccincta lagena.*

Et hoc ſibi voluit [d] Horatius, [d lib. 2. Sat. 8.]

*— ut omnes*

*Præcincti rectè pueri, comptique miniſtrent.*

Neque aliò reſpexit [e] CHRISTVS dominus, diſcipulos monens, ut lumbos præcingerent ſervorum in morem, qui dominum à nuptiis revertentem expectant domi. [f] Petrus Chryſologus ſcripſit egregiè: *cingulum quidem eſt propriè indicium ſervitutis; quod & diſcurſus expeditos reddat, & faciat obſequentes.* Animadvertendum obiter hic eſt, veſtem aliquando traditam ſervis fuiſſe, ut ea perpetuò uterentur, ſecundum ordinem & dignitatem mancipiorum, ut ſcribit [g] Ulpianus: aliquando ad certum uſum, & ad certa tempora, ut cum deducerent dominum, vel ipſi cœnanti miniſtrarent, ut apud [h] Pomponium legimus. Et de his hactenus. Ad lecticarios ut redeamus; efferebant illi mortuos. [i] Caius Gracchus: *is in lectica ferebatur, ei obviam bubulcus de plebe Venuſina advenit, & per jocum, cum ignoraret qui ferretur, rogavit num mortuum ferrent?* [k] Ser. Sulpicius; *coactus ſum in eadem illa lectica, qua ipſe delatus eram, meiſque lecticarijs in urbem eum referre.* Marcellum intelligit; quem Magius necaverat [l]. Cornelius Nepos; *Atticus elatus eſt in lecticula.* [m] Cicero: *at iſte operta lectica, latus eſt per oppidum ut mortuus.* [n] Aſconius *cadaver eius in via relictum, quia ſer-* [e Luca 12.] [f Serm. 24.] [g L. 18. de uſu fr.] [h L. 26. de pecul.] [i apud Gell. lib. 10. cap 3.] [k lib. 4. Familiar. 12.] [l vita n Attici.] [m Phil pp.] [n in Milon. a gum.]

*vi*

*vi Clodij aut occiſi erant, aut graviter ſaucij latebant, Sex Tædius Senator, qui fortè ex rure in urbem revertebatur, ſuſtulit, & lectica ſua Romam ferri iuſſit.* Et de hoc vario lecticæ uſu extant luſus aliquot apud [b] Martialem.

b lib. 2. 11.

*Latior hexaphoris tua ſit lectica licebit;*
*Dum tamen hæc tua ſit Zoile Sandapila.*

c lib 6. 77.

[c] Item,

*invidioſa tibi quàm ſit lectica, requiris?*
*Non debes ferri mortuus hexaphoro.*

d Lib. 9. 3.

[d] Et,

*Octo Syris ſuffulta datur lectica puellæ;*
*Nondum Sandapilæ pondus amicus erit?*

Imò & poſterius ſeculum, atq; adeò noſtri receperunt, ut lecticarij in veſpillonũ agmine eſſent. extant Nouellę Iuſtiniani, quas vocãt. XLIII. & LIX. ad quas, & ad librum XI codicis notauit clariſſimus CVIACIVS. Hexaphorum autem, & octophorum denominarunt homines, prout ſex vel octo lecticam ſubibant, delicatorum dominorum arbitratu. & illam quidem laxiorem ad modulum opum & luxus. Modeſti ſanè, & frugi homines quattuor tantum adhibebant, & [e] Marcianus Capella Philologiæ in cœlum eunti totidem adſcripſit, laborem amorem, epimeliam, & agrypniam: nec aliter virginem decebat, ſtudioſam videlicet minimeque delicatam. Beatiores, octo ſibi parabant homines rectos, ut inquit [f] Catulus. Petronius Bargaten à duobus lecticarijs in mediam rixam perlatum fuiſſe ſcribit, ſeruo nimirum dignitatem hac etiam in re dominicã, adimens, & ſecernens à liberis Cæſarianorum autem lecticariorum adeò grande agmen fuit, ut nominibus & præpoſitis diſtingu erentur Indicat in veteri epi-

e Lib. 2.

f Epigr. 10.

epigrammate TI. CLAVDIVS neſcio quis AVG. L. QVADRATVS. DEC. LECTICARIORVM. BRITANNICI. Eorum verò, qui mercede conducti operas locabant, non minor numerus fuit ſiquidem apud P. Victorem, Romæ, regione XIV. tras Tiberim. legimus caſtra fuiſſe lecticariorum. At quia plerumq; domini vel gratia voluptatis, vel morbi leuandi geſtabantur, ideò in hunc uſum parabantur loca peculiaria, quæ geſtationes appellabant. [a] Plinius iunior, *geſtatio buxo, aut roremarino, ubi deficit buxus, ambitur.* [b] Iulianus I Cs. *& ſi forte voluptarium fuit prædium, viridaria vel geſtationes, vel deambulationes arboribus infructuoſis opacas, atque amœnas habens.* Neque ſub dio tantum geſtabantur, aut vectabantur, ſed & ſub tecto porticus alicuius. [c] Iuuenalis,

a lib. 2. ep 17
b L 16. de uſufr.
c Sat. 4.

*Quid refert igitur quantis iumenta fatiget*
*Porticibus, quanta nemorum vectetur in umbra.*

[d] Idem,

d Sat, 7.

*Balnea ſexcentis, & pluris porticus, in qua*
*Geſtetur dominus quoties pluit, anne ſerenum*
*Expectet, ſpargatque luto iumenta recenti?*

Adhibitus eſt autem in geſtando certus quidam paſſuum numerus ut in deambulando Ciceronem adhibuiſſe teſtatur [e] Plutarchus; & patet ex antiqua inſcriptione.

e in Cicerone.

IN HOC
POMARIO
GESTATIONIS
PER CIRCVITVM
ITVM ET REDITVM
QVINQVIENS
EFFICIT PASSVS
MILLE

Geſta-

Geſtabantur autem navi, lectica, ſcamno, vehiculo, inquit [a] Cornelius Celſus. Cathedra etiam, & ſella: unde CATHEDRARII ſervi [b] Sidonio: *ſolus Curio meus in transfugarum perfidiam invectus, cum adveſperaſceret, per cathedarios ſervos veſpillonibus tetriores domum raptus, ac reportatus eſt*. Delicati illi & CATHEDRALICII [c] Martialis iidem cum his minimè ſunt. De ſella [d] Svetonius, qui geſtatoriam vocat. Et ad ſupplicium hac raptabantur rei tormentis afflicti, ut notavit [e] Ammianus: *indefenſi, bonis ablatis, nullo contacti delicto, promiſcuè iuvenes, alijque membris omnibus capti, ad ſupplicium ſellis geſtatorijs ducebantur*. portatoriam vocat [f] Cęlius Aurelianns: *ante cibum præterea erit adhibenda geſtatio, portatoria ſcilicet ſella, ſine vehementi motu, quo partes vehementes patientes releuentur*. Idem meminit ſellarum geſtatoriæ, & fertoriæ. Geſtabant autem homines duo. [g] Martyrologium. *Alexandriæ paſſio ſancti Iuliani martyris, qui cum ita podagra coſtrictus eſſet, ut neq; incedere, neq; ſtare poſſet; una cum duobus famulis, qui eum in ſella geſtabant, Iudici offertur* &c. Verum, non erit opinor nobis fraudi, ſi in gratiam ſtudioſorum excurremus tantiſper in varias aliquot ſellarum nomenclaturas Sellæ tonſoriæ meminit [h] Cęlius Aurelianus. Sella pertuſa legitur apud [i] Catonem, & videtur eadem quæ balnearis apud Iul. [l] Paulum, quam ita delineat apud [m] Caſſiodorum Theodoricus: *hinc deſuper ſella compoſita, quæ humanis neceſſitatibus, in abſidis ſpeciem perforatur, egros ſuſcipit interno humore defluentes*. Familiaricas ſellas nominat [a] Varro, ad quem notauit IOS. SCALIGER, apud Catonem legi malè cellas familliæ, pro ſellis, inuitâ. ſanè Criticorum Mineruâ. Cato enim cellas familiæ vocat ſeruorũ habitationes, quas cellas appel-

[a] lib. 2. ca. 15
[b] lib. 1. epi. 11.
[c] lib. 10. 13.
[d] Nerone & Vitellio.
[e] Lib. 29.
[f] lib. 1. cap. 7.
[g] 3 kal. Mart.
[h] lib. 2. cap. 1.
[i] Tit. 157.
[k] lib. 3. Sent. Tit. 8.
[l] lib. 2. varia. 39.
[a] lib 1. de R. R. cap. 13.
[b] Tit. 14.

pellat [c] Columella Servilia namque habitacula cellę nomine deſignantur. [d] Seneca de Pompeiano Demetrio: *cui iamdudum divitiæ eſſe debuerant, duo vicarij, & cella laxior.* [e] Cicero; *conchyliatis Gn. Pompeij periſtromatis, ſervorum in cellis lectos ſtratos videres,* [f] Vitruvius: *& ex una parte equilia, ex altera oſtiarij cellas.* apud eumdem [g] auctorem cellæ familiaricæ, cellæ ſervorum ſunt, non penuariæ, ut quidam ſunt arbitrati. Ab his cellis monachorum habitationes nomen mutuum ſumpſerunt, quod eſſent ut illę ſerviles, arctę, & anguſtæ, quam ſanè ob cauſam D. [h] Hieronymus, & [i] Joh. Caſſianus cellulas appellant, velut etiam [l] Ennodius, monachos cellulanos, imò & D. [m] Gregorius monaſterium ipſum non rarò cellam nominat. Cellæ verò meretriciæ ſatis notæ ſunt ex Petronio Martiale, Iuvenale, cuius carmen unius litterulæ mutatione depravatum, experiemur & nos an corrigere valeamus. [n] ſcribit namque.

- c lib. 1. cap. 6
- d de Tranquil cap. 8.
- e 2. Philipp.
- f lib. 6. ca. 10
- g lib citato & eod. capite.
- h in Hilarione.
- i lib. 2. de inſtitut renunc. cap 12.
- l Lib 1. Ep. 5.
- m Dialog. Lib. 1. & 4.
- n Sat. 3.

*Et dubitas alta Chionen deducere ſella.*

quæ hic ſit alta ſella, dicant qui norunt, ego ſanè cellam non invitus repoſuerim: alta enim cella fornix eſt. confirmat coniecturam noſtram idem [o] poeta, qui alibi cecinit:

*Intravit calidum veteri centone Lupanar*
*Et cellam vacuam.* —

[p] & — *ſed quod potuit tamen ultima cellam*
*Clauſit* —

- o Sat. 4.
- p Sat. 6.

At pergamus recenſere ceteras ſellarum ſpecies. Arquatæ ſellulæ meminit [a] Arnobius, nec non & [b] Tacitus. Porrò gloſſario veteri ſella arcuata θρόνος eſt. Sellam muliebrem, ſolidam, curulem, alij recenſuerunt. Et de his ſatis. Ob frequentes autem ſalutationes, & prenſationes, aderant domino ſervi

- a Lib. 2. adu. Gent.
- b annal. lib. 15.

NOMENCLATORES, MONITORES, & FARTORES, quorum munus erat ſuggerere nomina obviorum; nomen enim inquiunt Grammatici quaſi novimen dicitur, quod notitiam faciat: e notitia autem prodit exiſtimatio, & benevolentia [c] Seneca: *quemadmodum nomenclatori memoriæ loco audacia eſt, & cuicumque nomen non poteſt reddere, imponit.* [d] idem alibi ob oculos hæc ponit orationis penicillo: *iſti qui per officia diſcurſant, qui ſe alioſque inquietant, cum benè inſanierint, cum omnium limina quotidie perambulaverint, nec ullas apertas fores præterierint, cum per diverſas domos meritoriam ſalutationem circumtulerint, quotumquemque ex tam immenſa, & varijs cupiditatibus diſtricta urbe poterunt videre? quàm multi erunt, quorum illos aut ſomnus, aut luxuria, aut inhumanitas ſubmoveat? quàm multi, qui illos cum diu torſerint, ſimulata feſtinatione tranſcurrant? quàm multi per refertum clientibus atrium prodire vitabunt, & per obſcuros ædium aditus profugient? quaſi non inhumanius ſit decipere, quàm excludere, quàm multi heſterna crapula ſemiſomnes, & graves, illis miſeris ſomnum ſuum rumpentibus, ut alienum expectent, vix allevatis labijs, inſuſurratum millies nomen, oſcitatione ſuperbiſſima reddent?* [e] Plinius minor: *gratum erat cunctis, quod Senatum oſculo exciperes, ut dimiſſus oſculo fueras: gratum, quod equeſtris ordinis decora, honore nominum, ſine monitore ſignares.* f Horatius:

*Si fortunatum ſpecies, & gratia ſpectat,*
*Mercemur ſervum, qui dictet nomina, lævum*
*Qui fodiat latus, & cognat trans pondera dextram*
*Porrigere.* ——

Nec aliter intellexit maior [a] Plinius: *alienis pedibus ambulamus, alienis oculis agnoſcimus, aliena memoria*

c lib. 1. de benef. cap. 31.

d de breuit. vita cap 14.

e Panegyrico.

f lib. 1. Ep. 6.

a lib. 29 c. 11

ſalu-

*ſalutamus, aliena vivimus opera*. Cenſores & ipſi Nomenclatoribus ſunt uſi, indicat antiquum elogium;

L. VOLVSIO
VRBANO
NOMENCLATORI
CENSORIO

Neque hoc ab re factum eſt, cum apud Cenſores, cives nomina ſua, uxorum, liberorum, libertorum, ſervorumque profiterentur. Et ſanè hic videtur cenſoribus nomina in memoriam reuocaſſe, non cives citaſſe nominatim, quæ partes præconis fuerunt. [b] Val. Maximus: *ut eſt ad Poliam ventum Tribum, præco lecto nomine Salinatoris, citandum necne ſibi eſſet hæſitavit*. Præconem verò comitatus eſt ille, qui [c] Buccinator nominum appellabatur. Romæ legebatur via Salaria. [b lib. 2. cap. 9.] [c L. ult. de iure immun.]

L. VOLVSIO. VRBANO. NOMENCLATORI
PRAETORIO. PAPIAS. SERVOS.
PVBLICVS. BVCCINATOR. NOMINVM

PRAECONES autem familiares fuiſſe, perſuadent nobis antiqui lapides, Romæ,

C. RVLLI
PRAECONIS
VENVLEIAE. Ɔ. L.
TRVPERAE &c.

Narbone,

VSINIO
PRAECONI
ANTIOPAE. & preter hos Thalthybius, & Euribates [a] Homerici. At cui nam uſui? [b] Iuvenalis: [a Iliad. A.] [b Sat. 1.]

*Ille tamen faciem prius inſpicit, & trepidat, ne*
*Suppoſitus venias, ac falſo nomine poſcas.*
*Agnitus accipies. iubet à præcone vocari*
*Ipſos Troiugenas, nam vexant limen & ipſi*
*Nobiſcum* ——

c lib. 1. ep. 7. c Horatius de Vulteio Mena præcone,

—— *Vulteium mane Philippus*
*Vilia vendentem tunicato ſcruta popello*
*Occupat,* ——

d Gell. lib. 3. cap. 14. SCRVTARIVM dixiſſet d Lucillius,

*Quid ni? & ſcruta quidem ut vendat ſcrutariu' laudat,*
*Præfractam ſtrigilem, ſoleam improbu' dimidiatam.*

At hic Cenſorius Nomenclator, à quo digreſſi ſumus, translata in Cæſares Cenſoria poteſtate, Nomenclator à cenſibus appellatus forſan eſt.

DIIS . MANIBVS
TI. CLAVDI. AVG. LIB
THALETIS. VINICIANI
NOMENCLATORIS
A CENSIBVS

Et is Libertus fuit iuxta præſcriptum domus Palatinę. Apparuerunt Nomenclatores & Proconſulibus. e Appuleius: *quærere à Nomenclatoribus tuis Maxime (quamquam eſt ille cauponibus, quàm Nomenclatoribus notior) tamen inquam interroga, an hic Iunium Craſſum Ocenſem viderınt? non negabunt.* Huius gregis poſtremi nobis, nec ſanè admodum merito, erunt CVRSORES, & TABELLARII. Curſoris operam indicat nomen ipſum. Petronius: *hinc involutus coccina gauſapa, lectica impoſitus eſt, præcedentibus phaleratis curſoribus quatuor.* Præcurrere itaque, & præcedere curſorum fuit. a Martialis,

e Apol. 1.

a Lib. 5. 94.

Nec

*Nec feriatus ibat ante carrucam,*
*Sed tuta fœno curſor ova portabat.*

Sed & prænunciare. [b] Appuleius; *miſitque protinus curſorem, qui vianti marito domus expugnationem nunciaret.* [c] Tacitus; *ſupremo quidem die momenta deficientis, per diſpoſitos curſores nunciata conſtabat.* [d] Svetonius: *& confeſtim quidem ad alterius matrem, quæ procul aberat, curſores ſuos miſit, qui anxiæ filium ſalvum nunciarent.* Imò & epiſtolas perferre [e] Svetonius; *inter moras perlatos à curſore Phaontis codicillos præripuit, legitque* &c. Et quidquid epiſtolas comitabatur. [f] Martialis,

b lib. 10. Met.
c Iul. Agric.
d Tito cap. 6
e Nero ca 49.
f Lib. 3. 58.

*Curſorem ſexta tibi Ruffe remiſimus hora,*
*Carmina quem madidum noſtra tuliſſe reor.*
*Imbribus immodicis cœlum nam fortè ruebat,*
*Non aliter mitti debuit iſte liber.*

Svetonius in Nerone præcurſum notavit, ut & Seneca. [g] ille: *numquam carrucis minus mille feciſſe iter traditur, ſoleis mularum argenteis, canuſinatis mulionibus, armillata, & phalerata cum Mazacum turba, atque curſorum.* Verùm, qualeſnam hæ phaleræ? num ab equis translatæ ad curſores, quod illorum vices implerent? & ſanè non improbo coniecturam. At apud Svetonium, Mazacum loco, Mazyces ſubſtituendi videntur. Mazyces enim Stephano Numidæ ſunt, quos ita perſpicuum eſt præcurſores fuiſſe, ut negantem cœcum eſſe neceſſe ſit. [a] Seneca: *ò quàm cuperem illi nunc occurrere aliquem ex his troſſulis in via divitibus, curſores, & Numidas, & multum ante ſe pulveris agentem!* Idem [b] auctor: *omnes iam ſic peregrinantur, ut illos Numidarum præcurrat comitatus, ut agmen curſorum antecedat.* [c] Martialis,

g cap. 30.
a Epiſt. 37.
b Epiſt 123.
c Lib. 12. 24.

*Non vector Libyci niger caballi,*
*Succinctus neque curſor antecedit.*

En curſores & Numidæ iunctim recenſiti. At Mazyces, ut diximus, Numidæ ſeu Nomades ſunt, Mazaci, Cappadoces, à Mazaca, ſi hanc inflexionem permittunt nobis canones Grammaticorum, apud quos Mazacenus, Mazaceus, & à Mazacis, Cappadox eſt, Mazacus nihil. Mazycum meminit [d] Johannes Caſſianus, ad quem plura annotavit PETRUS CIACCONIUS Hiſpanorum eruditiſſimus. Verùm ut una, quod dicitur, fidelia non duos tantum, ſed & tres parietes dealbemus, legamus apud [e] Lucanum, & quidem meo periculo,

— *tum concolor Indo*
*Maurus, inops Naſamon, miſti Garamante peruſto*
*Marmaridæ volucres, æquaturuſque ſagittas*
*Medorum, tremulum cum torſit miſſile, Mazyx.*

apud [f] Nemeſianum,

*Quemque coloratus mazyx deſerta per arva*
*Pavit, & aſſiduos docuit tolerare labores.*

apud [g] Claudianum,

— *nec ſpicula ſupplex*
*Intorquet Garamas, repetunt deſerta fugaces*
*Autololes, pavidus proiecit miſſile Mazyx.*

Noſtros tangit, ni fallor, [h] Martialis,

*Quando eques, & picti tunica Nilotide Mauri*
*Ibitis.* —

Ad armillas quod attinet, damus hic earum exemplar, deſcriptum ex antiqua ærea olim inaurata, quam Romæ nacti ſumus.

[d] *Collat. 2. cap. 6.*


[e] *Lib. 4.*

[f] *Cyneget. Et hi ſunt equi Mazyces, quos laudat Oppianus lib. 1. de venat.*

[g] *in lau. Stilic. Panegyr. 3.*

[h] *Lib. 10. 6.*

Et



Et ex hac armillæ ſpecie percipimus quid in mentem venerit [a] Iſidoro ſcribenti, *circulum rotundari, armillam extendi latius*. Cornua enim (ut ita dicam) armillæ abeunt à circuli perfecto illo orbe. De hujuſcemodi ſervis equitibus ſatis dictum eſt. Ad pedites veniamus, quos tinctos (ut ille ait) colore noctis, in varios uſus comparabant. [a] Juvenalis, [a] lib. 19. orig. cap. 31. [a] Sat. 5.

*— tibi pocula curſor*
*Gætulus dabit, aut nigri manus oſſea Mauri,*
*Et cui per mediam nolis occurrere noctem,*

*Cli-*

*Clivoſæ veheris dum per monumenta Latinæ.*

Ex eadem natione pediſſequos aliqui habuerunt, ut gloriosulus ille apud [b] Theopraſtum. Aliqui balneatorem, ut oſtentor neſcio quis apud [c] Cornificium. Nonnulli garrulos puellos, ut [d] Auguſtus. Vini infertores quidam, ut [e] Naſidienus; panis, ut [f] Trimalcio. Scurras alij, ut [g] Septimius Severus, & Phavorinus apud Philoſtratum. [h] Cleopatra eleganter, quæ pueros Æthiopes, ut prælucerent convivis domum revertentibus, comparavit. Mauros autem fuiſſe ſuſpicamur curſores illos, qui à Maximiano Aug. ad Victorem Maurum martyrem allegati ſunt, ut ei dicerent; [i] *deſperaſti vitam tuam, nec vis ſacrificare?* conterranei nimirum ad conterraneum de ſententia deducendum. Curſorum porrò Auguſtalium meminerunt præter alios D. [k] Auguſtinus: *victor autem* (Theodoſius Auguſtus) *ſicut crediderat, & prædixerat, Jovis ſimulacra quæ adverſus eum fuerant, neſcio quibus ritibus velut conſecrata, & in alpibus conſtituta, depoſuit; eorumque fulmina, quod aurea fuiſſent, jocantibus, quod illa lætitia permittebat curſoribus, & ſe ab eis fulminari velle dicentibus, hilariter benigneque donavit.* [l] Corippus etiam,

*— prænuncius ante*
*Signa dedit curſor, poſita de more lucerna.*

De habitu certum eſt, non omnes eodem uſos eſſe; cum Fl. Vopiſcus tradat, Aurelianum Imperatorem Senatoribus, curſores eodem habitu quo ipſe habebat, conceſſiſſe. Et quidem niſi Petronius phaleratos curſores Trimalcioni attribuiſſet, in eam ſententiam propendebam, ut arbitrarer, Cæſarianos tantum phaleris uſos eſſe. Quod enim hi albati eſſent, alij ſecus, hoc ſanè non diſplicet,

at

b *Character.*
c *Lib. 4.*
d *Sueton. cap. 83.*
e *Horatius lib. 2. Sat. 8.*
f *apud Petronium*
g *Ael. Spartianus.*
h *Athenaeus lib. 4.*
i *apud Sur. To. 3.*
k *Lib 5. de Ciuit. Dei cap. 26.*
l *Lib. 2.*

at huic uni diſcrimini qui acquieſcam, ego non video. Fuit profectò alba veſtis Cæſarianorum, indicantibus [a] Suetonio, & [b] Ariſtide; At curſores in luto & puluere albatos vix animo concipio. Et quia lien peculiare curſus impedimentum eſt, ideò curſoribus inuri conſueuerat, vel extingui potione, ut tradit [c] Plinius. hodie apud Turcas eximi curſoribus Regiis, teſtantur [d] ſcriptores rerum Turcicarum. Curſoribus ſuis Cæſares unum aliquem præficiebant, qui in veteribus elogiis appellatur PRAEPOSITVS CVRSORVM. Neque verò iidem cum his noſtris fuerunt [e] claſſiarii, qui ab Oſtia, & Puteolis, Romam pedibus per vices commeabant. Curſores dominum ut diximus præcedebant. Subſequebantur MACHAEROPHORI. [f] Cicero: *memini enim, cum hominem portarem ad Baias Neapoli octophoro Aniciano, machærophoris centum ſequentibus, miros riſus nos edere, cum ille ignarus ſui comitatus, repentè aperuit lecticam, & penè ille timore, ego riſu corrui.* [g] Aſconius: *vehebatur Clodius equo, ſervis xxx. ferè expeditis, ut illo tempore mos erat, iter facientibus, gladijs cincti ſequebantur.* Affinia ſunt hæc illis [h] Iuvenalis;

*Nam ſi Pieria quadrans tibi nullus in umbra*
*Oſtendatur, ames nomen, victumque macheræ.*

a Domit. cap. 12.
b Sacror. Ser. 3.
c lib. 26. cap. 13. lib. 11. cap. 37.
d Menauin. lib. 4. cap. 13.
e Suetonius Veſp cap. 8.
f ad Q. Fratr lib. 11. ep 9. ubi Paulum Manutium videtur feſelliſſe coniectura.
g in Milonia na.
h Sat. 7.

## CAPUT XVII.

### *De Tabellarijs, & Tabullarijs.*

DE TABELLARIIS agemus paucis. Petronius: *anus enim ipſa inter diverſitores diutius ingurgitata, ne ignem quidem admotum ſenſiſſet, & forſitan pernoctaſſemus in limine, ni tabellarius Trimalcionis interveniſſet*

a lib. 9. familiar. ep. 11.

x. *vehiculis dives*. [a] Cicero: *duabus tuis epiſtolis reſpondebo; uni, quam triduo ante acceperam à Zetho, alteri quam attulerat Phileros tabellarius*. Zethi nomen ex Ælii Cæſaris inſtituto curſori non poteſt non conuenire: refert enim Spartianus, illum curſoribus ſuis, exemplo Cupidinum, alas frequenter appoſuiſſe, eoſque ventorum nominibus ſępè vocitaſſe, Boream alium, alium Notum, item Aquilonem aut Circium, ceteriſque nominibus appellantem, ut indefeſſe atque inhumaniter curſitarent. Currentius ille, cuius meminit D. [b] Hieronymus, ad hanc normam nactus nomen eſt. Tabellarii videlicet laus eſt curſus, & feſtinatio. [c] Fuerunt autem qui curſores cum ſeruis à pedibus confunderent: ſed inſigniter falſi ſunt. Tabellarii autem, & tabelliones à tabellis, ſeu tabulis ideò appellati ſunt, quod ante chartæ & membranarum uſum, in dolatis ex ligno codicillis epiſtolarum colloquia ſcribi ſolita eſſent. Tabellio idem qui exceptor fuit, & ſcriba publicus. Porrò excipere actuariorum erat, ſiue notariorum, quo munere aliquandiu functi ſunt [d] Geneſius, & [e] Caſſianus clariſſimi martyres, quorum ille exceptoris officio fungens, cum impia edicta, quibus Chriſtiani puniri iubebantur, nollet excipere; & proiectis in publicum tabulis, ſe Chriſtianum eſſe teſtaretur, comprehenſus, atque decollatus eſt; alter, execrabile ducens Chriſtianorum neci deſeruire, ſub Chriſtiana confeſſione triumphum meruit obtinere martyrii. Et hinc quod cecinit [f] Iuvenalis,

b Epiſt. ad Marcellum.

c Vives in comm. Lib. 5. de ciui Dei cap. 26.

d Martyrol. Rom. 25 Au. e 3. Decembr.

f Sat. 7.

*Quis dabit hiſtorico, quantum daret acta legenti?*

Gloſſæ veteres interpretantur, *acta legenti, exceptori*. TABVLLARII autem, quos [a] Arcadius, & Honorius

a L. V. C. Th. de Tabul. Logogr. & Cenſ.

rius AA. ſervituti obnoxios eſſe vetuerunt, rationes publicas tractabant; ideoque dicuntur aliquando computare: necnon & Numerarii, & Calculatores vocantur. A tabulis verò denominati videntur eâ propè ratione, qua tabularium; quod nobis Italis ſumentibus à Græcis mutuum, Archivum eſt. [b] Ovidius eleganter; [b lib. 15 metam.]

— *intres licet ipſa ſororum*
*Tecta trium: cernes illic molimine vaſto*
*Ex ære & ſolido rerum tabularia ferro.*

Nec malè [c] Marcianus Capella: *Clotho verò, Lacheſis, Atropoſque quoniam ſententias Jovis ortographæ ſtudio veritatis excipiunt, utpote librariæ ſuperum, Archiviq; cuſtodes, cum Senatum Curiamq; contrahi, & ipſum Tonãtem exuvijs induſiari publicè cernerent, Magiſtratus in acta, cœleſtiumq; conſultum, ſtylos acuunt, ceraſq; componunt.* Alii ab his tabulariis publicis fuerunt illi, qui Palatini miniſterii erant portio non contemnenda [d]. TABVLARII videlicet AVGVSTORVM, vel AVGVSTARVM, RATIONIS PATRIMONII, ſeu A PATRIMONIO, RATIONIS HEREDITAT. XX. HEREDITATVM, FISCI ALEXANDRINI, Prouinciarum LVSITANIAE, & VETTONIAE, PICENI, CYPRI, Tabularius VILLAE TIBVRTIS, Tabularius A MVNERIBVS, RATIONIS FISCI, rationis VESTIARIAE, à VEHICVLIS, & alii compulures quibus & ADIVTORES non ſanè pauci dati ſunt, tum ut moli negociorum pares omninò eſſent, tum ut Cæſarum maieſtas ex hoc etiam capite eluceſceret. Domino peregrinanti præſto [c Lib. 1.] [d in veteribus marmorib.]

 erant

[a] lib. 1. Sat. 6. erant familiares miniſtri Horatius,

*Nam mihi continuo maior quærenda foret res,*
*Atque ſalutandi plures: ducendus & unus*
*Et comes alter, uti ne ſolus rusve peregre-*
*-Ve exirem; plures calones atque caballi*
*Paſcendi: ducenda Petorrita.* ——

[a] lib. 8. 75. Servulus apud Martialem huius loci eſt;

*Tam macer, ut minimam poſſet vix ferre lacernam.*

[b] lib. 3. Ep. 16 [b] Plinius iunior: *nempe enim* (inquit) *daturi eſtis conſulari viro ſervulos aliquos, quorum è manu cibum capiat, à quibus veſtiatur, à quibus calcietur: omnia vel ſola præſtabo*. Sunt verba magnæ illius noſtratis heroinæ (Arriæ inquam) milites orantis ut ſinerent cum Pæto marito, navem aſcenſuro, ſimul imponi. [c] Seneca: [c] lib. 3. de benefic. cap. 19. *quia non poteſt* (inquit) *creditor domini ſui fieri, ſi pecuniam illi dederit, alioqui quotidie dominum ſuum obligat, peregrinantem ſequitur, ægro miniſtrat, & labore ſummo colit.*

## CAPUT XVIII.

*De Actoribus, & Procuratoribus rei dominicæ.*

FAmulitii urbani alterum caput erat negociatio, cui ſubiungemus rei dominicæ procurationem. Et huius quidem vindicat ſibi primas ſervus ACTOR. [d] lib. 1. de inſtit. Cler. cap. 10. [d] Rabanus Maurus; *quoniam enim Actor prudens, & bonus, ſcit quid ſit domini ſui cenſus, & omnis ſubſtantiæ modus, & redigit apud ſe totius poſſeſſionis inſtrumenta originalia*. Et hi videntur fuiſſe, quos [e] Æl. Donatus [e] Phormione. maiores domus appellat. quod enim apud Terentium Demipho ita Getam alloquitur,

*D. ob*

*Bone cuſtos ſalve, columen verò familiæ.*

id ille

id ille ita interpretatur, *columen culmen, an columen columna? unde columellæ apud veteres dicti ſervi maiores domus*. Lucilius XXII.

*Servu' neque infidus domino, neque inutili, quoiquam*
*Luccili Columellæ hic ſitu' Metrophanes*.

ita enim legendum eſt hoc diſtichon. Pergit porrò Donatus confirmare interpretationem ſuam teſtimonio Tuberonis, eius nimirum, cuius non ſemel meminit Gellius: (*hinc in milleſimum annum eorum columine civitas continebitur*.) ita ut nihil prorſus Tuberoni ſit cum epitaphio Lucilliani Metrophanis. Et huc referenda eſt ſanctio Regis [a] Theodorici, qui precium occiſi Actoris centum ſolidis taxauit. Neque aliunde fluxit Iul. [b] Pauli ſententia, exiſtimantis animadvertendum eſſe ſeueriſſimè in eum, qui Actorem corrupiſſet, ut qui poſſet rationes dominicas intercidere, vel adulterare, vel etiam rationem ſibi commiſſam turbare. Imò etſi ſervus, qui Actum domini geſſiſſe diceretur, in commiſſum ceciderat, non vendebatur; ſed pro eo, viri boni arbitratu, æſtimatio dabatur, ex reſcripto D. D. [c] Seueri, & Antonini. Sed & [d] Iuſtiniano Auguſt. idem obſervatum, eſt; cum in ſervili atiam perſona gradus quoſdam condemnationis voluit obſervari, ut illud in viliſſimo vel compedito, ius æſtimationis conſtituatur nec iniuriâ ſanè ut vidimus, ideoque rectè [e] Iuvencus ſervos à patrefamilias miſſos ad colonos agricolas, ut vineti fructus perciperent Actores interpretatur.

*Tum longinqua petit; ſed fructus tempore certo*
*Actores famulos mittit, queis portio ſalva*
*Cultorum, certa ruris mercede daretur*.

Et quoniam unus non omnia poterat, adiutoribus

[a] Apud Papeanianum Tit. 4.
[b] lib. ult de off Præf.
[c] L 11. de Publ. & Vect.
[d] § Pena Inſtit. de iniur.
[e] lib 5. hiſtor. Euang.

Actor utebatur. f Scæuola; *item quæro, an ea quæ exacta ſunt per adiutores eius* (Actoris) *neque Calendario illata ſunt, aut fraudulenter acta, huic adſcribi poſſint, cum eſſet his præpoſitus?* Calendario autem præponebatur aliquando a ſervus quiſpiam, ut pecunias domini exigeret, crederetque, & hic A CALENDARIO fortè dictus eſt. Calendarium verò, ſeu *paginæ Calendarium*, ut vocat b Martialis codex nominum fuit, in quem nomen debitoris Seij, aut Caij, cum ſumma pecuniæ ſingulis calendis exigendæ, referebatur. c Seneca; *nemo beneficia in Calendario ſcribit, nec avarus exactor ad horam & diem debitorem appellat*. Actor ſecundarum in familia fuit DISPENSATOR qui Græcis οἰκονόμος dictus eſt, meminerunt autem antiqui tituli,

f L. 40. de ſtatu lib.

a L. 17. de reb. cred.

b Lib. 8.

c lib. 2. de benef. cap. 2.

SIGNVM
HERCVLIS
DORVS. LARC
DISP. QVI. ANTE. VILICVS
HVIVS. LOCI
D . D

Item

EPAPHRAE DISP.
T. ARIANI
ANESIS. FILIA. VIRGO
VIXIT. A. XVII

&

DIS MANIBVS
ONESIMI CAEPIONIS
HISPONIS DISP
TI. CAEPIO HIERONYMVS
ET SIBI ET SVIS

& qui-

& quidem Diſpenſatores dicti ſunt ideo, quod olim æs penſantes expenderent, non adnumerarent. Tradit hæc vetus [d] interpres ad Perſium: *fuit autem aſſis libralis, & dipondius, quod hodie in uſu remanſit; & ſolebat penſari potius quàm numerari, unde & Diſpenſatores dicti* PROROGATORES. hic ego olim cogitabam Prorogatores rectum non eſſe. Procuratores enim, aut Erogatores videbatur rectius; ſed hallucinabar tamen. Arcarios enim prorogatores tritici appellat [a] Caſſiodorus: & Petrus Chryſologus non ſemel hac voce utitur, [b] ut: *de cœleſtibus conditis, de horreis divinis rationem reddit, præſtabit cauſas Eccleſiæ prorogator,* [c] &, *diſpenſator ergo divini verbi, & cœleſtis doctrinæ prorogator, qui ante Dominum ſtat jugiter,* [d] &, *eſt conſuetudinis, eſt animi felicis, ut adſcitus quis eſt ad regnum, quod fuit proprium, quod privatum, mox parentibus, mox propinquis, civibus indigentibus liberaliter prorogare,* [e] idem: *Abraham, fratres, non ſibi, ſed pauperi dives fuit, & opes non habere, ſe prorogare geſtivit.* idem [f] alibi; *ſed bonum nobis, bonum nimis, ſi ad nos iſta aptemus ſinguli, ſi ad nos iſta referamus, qui in terra nos debemus ſentire villicos, dominos non putare: prorogationis temporariæ miniſterium ſuſcepiſſe, non inveniſſe ius perpetuum poſſidendi.* De Diſpenſatore [g] Cicero: *quid tu inquam ſoles, cum rationem ab Diſpenſatore accipis, ſi æra ſingula probaſti, ſummam quæ ex his confecta ſit non probare?* Et hæc ſanè ratio immaniter exacta plerumque eſt. [h] Seneca: *audio* (inquit) *circa horam tertiam noctis, flagellorum ſonos, quære quid faciat? dicitur rationes accipere.* [i] Juvenalis,

*Et cædens longi relegit tranſverſa diurni.*

ubi antiquus Grammaticus diurnum, ratiocinium inter-

[d] Sat. 6.
[a] lib. 10. 28.
[b] Serm. 26.
[c] ibid.
[d] Serm. 23.
[e] Serm. 121.
[f] Serm. 125.
[g] in Hortenſio.
[h] Epiſt. 133.
[i] Sat. 6.

[l] Matth. cap. 18.

interpretatur. Nec aliò forſan reſpexit [l] CHRISTVS dominus, parabola uſus ſervi, quem herus tradidit tortoribus, quoaduſque redderet uniuerſum debitum. Diſpenſator autem conſervis τὸ σιτομέτριον, ſeu τὴν τροφὴν præſtare conſueverat, Demenſum nimirum. D. [a] Zeno Veronenenſis: *Ioſeph præmotus ad menſuram prærogat cunctis annonam.* lege; *Ioſeph promotus, ad menſuram prorogat cunctis annonam*, [b] Iuvenalis de auaro patrefamillias, qui munus obibat Diſpenſatoris;

[a] Ad neophytos. Serm. 1.

[b] Sat. 14.

*Servorum ventres medio caſtigat iniquo,*
*Ipſe quoque eſuriens.* ——

Notat autem ſordidos, qui in illud incumbebant. ut de menſtruo etiam Demenſo lucrarentur, aliquid ſemper corradendo. Et hic erat menſtruus Canon, quatuor vel quinq; tritici modiorum in ſingulos. diurnus fuit, ut quidam ſenſerunt, libra farris, [c] Horatius,

Lib. 1. Sat. 5:

*Denique cur umquam fugiſſet: cui ſatis una*
*Farris libra foret.* ——

[d] Iuuenalis,

[d] Sat. 9.

*Deterior tamen hic, qui liber non erit illis,*
*Quorum animas, & farre ſuo cuſtodit, & ære.*

Niſi dicamus, utrobiq; far pro pane uſurpari, & ludere Horatium in puſillum & gracilem, cui non iuſtum Demenſum, ſed extra ordinem, pro modo & quantitate corporis præſtaretur. Quod enim XII. tabulæ nexis libram farris in dies pro victu præſcriberent, ad ſeruos trahi nequaquam poteſt; quia cum illis olim agebatur immitius, ne dicam immanius, puniendæ eorum perfidiæ gratia, qua inopiæ temporariæ adimebantur ſubſidium illud, quo communis omnium vita indiget. Alioqui ſeruis ad ratio-

nem

nem Demenſi, cibarii panes quotidie, vel bilibres, vel etiam trilibres aſſignabantur. Quod ut ſtatuam, facit in primis [e] Cæl. Aurelianus, qui ita ſcribit: *ſic denique plurimi impauſabiliter tota die, atque nocte cibum ſumpſiſſe veteribus traduntur: namque Aſclepiades memorat, Praxagoræ famulum ternos bilibres panes per ſingulos dies accepiſſe, quibus comeſtis, non aliter paſſione afficeretur, quàm ſi nihil acciperet.* hic certum eſt, latere canonem quotidianum ſub immodica illa quātitate, quæ famuli morboſam eſuriem nullo modo leuaret. Mouet me deinde [a] Catonis auctoritas, qui compeditis, per hiemem panis P. III. ubi fodere cœperint, P. V. dari præcipit, adeò ut urbanis miniſteriis panis P. II. vel III. ſufficere potuerint, cum neque fodere, aut opus facere neceſſe haberent, & quoad pulmentaria, & obſonia lautius acciperentur urbani, quàm ruſtici ſervi. Dixi autem, aſſignatos videri quotidie panes ad rationem Demenſi, quia Demenſum variavit aliquando; modò enim IV. modò IV. & S. modò V modiorum fuit, prout ferebant & annonæ ratio, & dominorum qua ſplendor, qua ſordes. Ab hoc autem miniſterio Diſpenſator & aliud nomen inuenit. dictus enim eſt A FRVMENTO. Romæ.

[e] lib. 3. Acu. 2.

[a] Tit. 15.

VOLVSIAE. ARBVSCVLAE
PALLAN. Q N̄
A FRVM.
CONTVBERNALI. CARISSI
MAE &c.

&

DIS . MAN
ASCLEPIADI
ATHICTVS. L. N
V A. FRV.

A. FRVMENTO
VICARIAE. CARISSIMAE ACTOR

Idem MINISTRATOR A FRVMENO, & TACTOR A FRVMENTO dictus eſt, niſi, velimus, Miniſtratori & Actori quandoq; obtigiſſe, ut & hoc munere, tamquã ſubſidiarii fungerentur. Illud utiq; minimè controuerſum eſt, Diaria, ſervis exhibita fuiſſe.[a] Horatius ad villicum ſuum;

a lib. 1. ep. 14

*Cum ſervis urbana diaria rodere mavis,*
*Horum tu in numerum voto ruis.* ——

b Lib. 11. 109

[b] Martialis,

*Sed lupus uſuram, puerique diaria poſcunt.*

Petronius ad anſeres tranſtulit, feliciter planè ut ſolet: *vix ad caſæ hoſtiolum proceſſeram, cum ecce tres anſeres ſacri, qui ut puto, medio die ſolebant ab anu diaria exigere, impetum in me faciunt.* Diurnum vocat. [c] Seneca: *ille qui ſuperbus atque impotens, & fiducia virium tumidus ait,*

c Epiſt. 80.

*Quod niſi quieris Menelae, hac dextera occides,*

*diurnum accipit, in centunculo dormit.* alluſit [d] Claudianus:

d de bello Gildon.

*Paſcimur arbitrio Mauri, nec debita reddi,*
*Sed ſua concedi jactat, gaudetque diurnos*
*Ut famulæ præbere cibos* ——

Codicem verò, in quem hę prorogationes referebantur, diurnum vocat [e] Chriſologus; *in cœlo prima eſt eſurientis annona, prima ſtipendia pauperis tractantur in cœlo, erogatio pauperis prima divinis ſcribitur in diurnis.* Et hæc diurna num adſeruabant illi, quos vocabant AB EPHEMERIDE? vetus marmor olim vulgatum hæc habuit.

e Serm. 14.

PROC. AB. EMPHEMERIDE. PROC. A MANDATIS. PROC. ET. AD. PRAEDIA GALLICANA. PROC. SALTVS. DOMITIANI &c.

Fuit

Fuit autem is THEOPREPON ALEXANDRI AVG. LIB. Et quidem [f] Iſidorus affirmat, quod Latini diurnum, Grecos Ephemerida dicere. Diurnarii verò, quorum meminerunt [a] Valentinianus, & Valens AA. non huius loci ſunt, ſed eiuſdem cum Subſcribendariis, Tabulariis, Logographis, ac Cenſualibus, ordinis. Canon autem, cuius meminit [b] Saluianus, mihi conpertus non eſt, an ſit ad rationem diurnam referendus, an ad menſtruum dimenſum, an ad penſionem annuam, quam ſervi ſtipendii cuiuſdam vice acciperent. Inſta ſanè, quæ vocat [c] Columella, ſunt panis, potio, veſtis, manicæ, pedum tegmina. Et hæc omnia præſtare tenebatur dominus ſervo. [d] Seneca: *eſt aliquid, quod dominus præſtare ſervo debeat, ut Cibarium, Veſtiarium.* [e] idem: *atqui de iniurijs dominorum in ſervos qui audiat poſitus eſt, qui & ſævitiam, & libidinem, & in præbendis ad victum neceſſarijs avaritiam compeſcat.* Affine munus Diſpenſatori miniſterio obivit TESSERARIVS. Teſſerarum uſus apud veteres in qua celebritate fuerit, nemo eſt qui neſciat, has qui accepiſſent, videntur ad Teſſerarios attuliſſe, ut ab eis invicem reciperent frumentum, nummos, veſtem, gemmas, mancipia, jumenta, & cætera huiuſmodi. Romæ multi deſcripſerunt,

f lib. 1. origin. cap. ult.

a L. 8 c. Th. de cohort. princ. corn.

b lib. 4. de guber.

c lib. 1. cap. 8.

d lib. 3. de benef. cap. 21.

e cap. 12.

SYMPHORO
TESSERARIO
SER. CAESARIS
DE. DOMO. GELO
TIANA. FECIT
PHILODESPOTVS
EX. HERMAEO

FRATRI. B. M.

f lib. 16. cap. 18. Teſſeræ cuius figuræ eſſent, ſatis indicat nomen Materia earum Liguſtrum fuit, ut aſſerit f Plinius. Ego eburneas vidi non paucas: & eiuſmodi unica apud me eſt, cuius hic exemplum apposui, ut uſum Teſſerarum aliquem cō-ſtituere poſſimus. Hinc patet, notas illas SP. vel SPECT. quæ doctos viros huc uſque torſerunt, nihil aliud ſignificare, quā SPECTAVIT. ut detur intelligi, conductos fuiſſe aliquos, veluti ab Editore gladiatores inſignes, rude olim donatos, ſpectandi gratia, non pugnandi. Et ſanè in his Teſſeris vix aliud ſymbolum videas (ego ſanè non aliud vidi) quàm fuſcinarum, & palmarum, quę ad ludum gladiatorium pertinent. Vulgaverunt earum inſcriptiones a alii, cum titulo neſcio cuius eburnei Figlini, quod ego non ſatis capio. Nomina quæ in ipſis leguntur, ſervilia procul dubio ſunt, ANTHVS, FAVSTVS, INGENVOS, OLYMPVS, REPENTINVS, HERMES, PHELIX, PHILODAMVS, PILARGVRVS: & me iudice, non alios innuunt, quàm Teſſerarios noſtros, ut is cui Teſſera obtigerat, haberet ſtatim in promptu nomen erogatoris familiaris. Non pugnabo tamen admodum, ſi quis gladiatores qui ſpectabant interpretetur: pronior utique in priorem illam ſeu divinationem, ſeu coniecturam. Vtut res ſit, illud profectò ſtatuendum videtur, huiuſmodi Teſſeras in uſu fuiſſe, ut ſpectatores inde aliquid lucrarentur. b Martialis;







a Aldus in ortogr.

b Lib. 8. 78.

*Nunc*

*Nunc veniunt ſubitis laſciva numiſmata nimbis,*
*Nunc dat* SPECTATAS *Teſſera longa feras.*
*Nunc implere ſinus ſecuros gaudet, & abſens*
*Sortitur dominos, nec laceratur avis.*

Et nunc demum intelligemus, quod eſt apud [a] Gellium, de Q. Fabij epiſtola ad Carthaginienſes miſſa; *M. Varro autem non haſtam ipſam, neque ipſum caduceum miſſa, ſed duas Teſſerulas, in quarum altera, caduceum, in altera ſimulacra haſtæ fuerunt inciſa.* [b] Claudianus ad has inſcriptas Teſſeras, & quidem eburneas non videtur reſpexiſſe:

a lib. 10. cap. 27.

b de laud Stilicon. Paneg 3.

*Tum virides Pardos, & cetera colligit Auſtri*
*Prodigia, immaneſque ſimul Latonia dentes,*
*Qui ſecti ferro in tabulas, auroque micantes,*
*Inſcripti rutilum cælato Conſule nomen,*
*Per proceres, & vulgus eant. ——*

Deſcripſit autem hiſce carminibus Dypticha. [c] Valentinianus, Theodoſius, & Arcadius AAA. *illud etiam conſtitutione ſolidamus, ut (exceptis Conſulibus ordinarijs) nulli prorſus alteri auream Sportulam, & Dypticha ex ebore dandi facultas ſit. cum publica celebrantur officia, ſit Sportulis nummus argenteus, alia materia Dyptichis.* [d] Symmachus: *quæſo igitur ut eius nomine Dypticha, & Apophoreta ſuſcipere dignemini, qui apparatui eius plura, & præclara tribuiſtis. præterea domino, & Principi noſtro, ad referendam largitatis eius ſedulam magis, quàm parem gratiam, auro circumdatum Dyptichum miſi, ceteros quoque amicos eburneis pugillaribus, & caniſtellis argenteis honoravi.* Et hæ Teſſerarum noſtrarum epigraphæ explicant nobis ſententiam [e] Theodoſij, & Valentiniani: *Periſſochoregiæ nomen penitus amputetur, & Teſſeræ deſignentur, & noſtræ pietatis nomine cenſeantur.* quod eſt; *felici nomine pietatis noſtræ*

c L. 1. C. Th. de exp lud.

d lib. 2. ep. 80

e L. 3 C. T. de diver. ſer.

f L. 10. C. de aquæd lib. 11 *ſtræ impreſſo ſignentur*, ut Imperator f Zeno alibi loquitur: non enim ſatis erat, ut Honorianæ vocarentur. Frumentariæ & ipſæ minutæ fuiſſe videntur; & Perſius ideò Teſſerulas appellat;

*Publius emeruit ſcabioſum Teſſerula Far.*

a Sat, 1. parvos autem globulos, ligneos, quorum meminit [a] Iohannes Xiphilinus epitomator Dionis, qua ratione ad Teſſeras referam non video, obſtat enim forma. Quid autem, ſi miſſilia fuerint? Et quidem ad Dionis, ſeu Xiphilini mentem propè accedunt eburnea quædam circularia ſegmenta, notis numeralibus inſcripta, quæ Romæ cum eſſem, anno MDCVII. eruta fuerant. Sunt autē huiuſmodi, expreſſa ex archetypis, quæ apud me domi habeo.




Lector & Spectator noſter his utatur, fruatur, ea lege, ut ſi quid occurrerit certius, candidè impertiat ſtudioſis. Vidi autem aliquando, & nummos veteres Auguſti & Tiberii (ſi rectè memini) in quibus everſis huiuſmodi notæ numerales conſpiciebantur. Neque verò globulos illos & ſphærulas è Teſſerarum numero eximere conſilium omninò mihi eſt, cum videamus non raró tranſire in aliam figuram res, quæ ab arte ſunt, manentibus tamen primigeniis nominibus. Diſpenſatori noſtro (ut ad illum revertamur) credita fuit Arca, ut ex ea erogaret. [b] Iuvenalis,

b Sat, 1.

ne-

— *neque enim loculis comitantibus itur.*
*Ad caſum tabulæ poſita ſed luditur Arca,*
*Prælia quanta illic Diſpenſatore videbis*
*Armigero?*

In ſumma, quoties numerandum eſſet, toties Diſpenſator accitus eſt. [a] Macrobius: *ſecuto omnium riſu, Diſpenſatorem Cæſar vocavit, & ſeſtertia centum millia Græculo numerari iuſſit.* rectè, viros enim Principes comitabatur & Diſpenſator, ut pecunia eſſet in promptu, & notavimus cum de Pediſſequis ſcriberemus. Arcæ verò, & Diſpenſatoris adeò indiſcreta ratio fuit, ut [b] Fabius maior coniunctim retulerit. *ad ſummum* (inquit) *in Republica noſtra honorem, non animus, non virtus, non manus mitit, ſed Arca & Diſpenſator.* ideoque Diſpenſator ARCARIVS; & vice verſa ARCARIVS, Diſpenſator appellatus eſt [c] alicubi. Meminit Arcarii [d] Scæuola: *Stichus Arcarius probante domino nomina fecit, & rationes à domino ſcriptas exhibuit.* meminit & [e] Chryſologus, ſed tacito muneris nomine; *iterum contriſtatus es, quia quod habes in cœlis cogeris collocare, rogo, crede Deo tuo, qui ſervo credis, & magis Deo, quàm homini commenda.* Eraſtus autem ille, quem Arcarium Corinthi vocat interpres D. [f] Pauli, Græcè οἰκονόμος eſt. Ad cuius analogiam Arcarius, qui Romano olim Pontifici divina myſteria celebranti aderat, præerat tributis: ut & Arcarius Præfectorum [h] Caſſiodoro, qui & Arcæ arbiter. [i] Zeno Veronenſis huc alluſit: *ſanè ſi quis aliquid deſideraverit, qui recondidit, Noe omnia illi Arcarius non negavit.* Ceterum concinnè admodum Iuvenalis, Loculos (ut vidimus) Arcæ oppoſuit. Arca enim (ſiue [l] ærata ſive

a lib. 2. Satur, cap. 5.
b Declam. 345.
c Turnebus lib. 28. cap. 5.
d L. 41. de fideicomm. libert.
e Serm. 25.
f ad Romanos cap 16.
g Panuinius de 7. vrbis Eccleſ
h Lib. 1. 10.
i ad neophyt Serm. 1.
l Iuuen. Sat. 14.

m Sat 11. ta ſiue m ferrata) ſtataria fuit, Loculi mobiles, & geſtatorii. Et hos videtur tractaſſe unus quiſpiam è grege miniſtrorum. Paterfamilias apud a Scæuolam; *teſtamento, codicillisve ſervos manumiſit, & pecu-lia legavit: & de Sticho ita cavit, Stichum ſervum meum liberum eſſe volo, eique volo dari decem aureos, & quid-quid ex ratione* LOCVLORVM *meorum habet*. ad quem morem collineavit interpres b Ioh. Evangeliſtæ: *dixit autem hoc* (Iudas) *non quia de egenis pertinebat ad eum, ſed quia fur erat, &* LOCVLOS *habens, ea, quæ mittebantur portabat*, appoſitè ad Iuvenalem ſcribit c Aſconius; *unde quia maior ſumma eſt pecuniæ publicæ, quàm privatæ, ut pro cenſu P. R. ærarium dicitur, pro Loculis & Arca, theſauri* &c. Par miniſterium fuit & illius, qui CRVMENAM, & eius qui MARSVPIVM geſtabant ad nutum domini. Q. Labeo apud d Gellium; *quidam*, inquit, *L. Veratius fuit, egregiè homo improbus, atque immani vecordia, is pro delectamento habebat os hominis liberi manus ſuæ palma verberare, eum ſervus ſequebatur crumenam plenam aſſium portitans*, & rel. Apud e Plautum verò Menæchmis, Soſicles Meſſenionem ſervum alloquitur.

*Eſto iſtuc cavebo: cedo dum mihi huc marſupium.*

Obfirmabantur autem Loculi clavibus. f Ulpianus: *ſunt tamen quædam, quæ omnimodo legatum conſequuntur, ut lectum legatum continet & fulcra: & armariis ac loculis clauſtra, & claves cedunt*. Quandoque tamen Loculi claves tantum ſervabant, g Plinius: *Fabius Pictor in Annalibus ſuis ſcripſit, matronam, quod Loculos, in quibus erant claves vinariæ cellæ, reſignaviſſet, à ſuis inedia mori coactam*. Quæ ſignandi conſuetudo etiam ad aliud, quàm ad h Lagenas tranſijt. Materfamilias apud i Plautum;

Ob-

a L. 22. de pec. ul Leg.
b Cap. 11.
c in 2. contra Verr.
d lib. 10. cap. 1.
e Menæchmis.
f leg. L. de leg. 3.
g lib. 1. ca. 13.
h Q. Cicero Famil. Martialis lib. 9. 89.
i Caſina.

*Obſignate cellas: referte annulum ad me.* & Principes Sacerdotum apud [k] Matthæum Evang. *munierunt ſepulcrum, ſignantes lapidem.* [a] Ioh. Caſſianus: *etiam annulos, quibus recondita præſignemus, in digitis palam geſtare præſumimus, quibus non ſolum ciſtellæ, vel ſportæ, ſed ne arcæ quidem vel armaria, ad ea quę congerimus, vel quę egreſſi de ſęculo reſervavimus, condenda ſufficiunt?* At de his ſatis. Notandum autem eſt, [b] Diſpenſatorem locaſſe aliquando operas vicariorum. [c] nihil enim vetabat, quin ſervus vicarios, & eorum peculium, ipſe in peculio habere poſſet, ad quam rationem Athenio Cilix Diſpenſator & ipſe, ducentis ſervis præfuit, ut notavit [d] Diodorus. Ab Actore & Diſpenſatore non omninò differt PROCVRATOR. Petronius: *iam ad triclinium veneramus, in cuius parte prima Procurator rationes accipiebat.* [e] Fabius maior: *ſatis ſit vobis (o divites) hoc veſtras præſtare fortunas, quod per Diſpenſatores feneratis, quod familiam per Procuratores continetis.* Bonifacius martyr, Aglaidis ſervus, huiuſmodi miniſterio functus eſt, ut tradidit Metaphraſtis interpres [f] Lipomanus: quem tamen [g] Romanæ Eccleſiæ auctoritas ingenuum facit. Stephanus autem Domitillæ Procurator, qui Domitiano Cæſari ſuffodit inguina, Libertus quidem fuit, ut aſſerit Ioh. Xiphilinus; at id ex præſcripto divinæ (uti appellabant) domus, cuius moribus receptum iam diu erat, miniſteria ſervilia Libertis demandari. Et hæc dicta ſint de ſervo Procuratore. Procurator enim liber homo, omnium alterius rerum quidam penè dominus, alienique iuris vicarius, ad nos non pertinet. Procuratores CAESARIANI (ut illos etiam obiter innuamus) innumeri penè fuerunt, digni ſanè ut eo-

k Cap. 27.
a lib. 4. inſtitut. renun. cap. 15.
b L. 11. inſt. & L. 12. de inſtitor. act.
c L. 7 §. ult. de pecul.
d Lib. 36.
e Declam. cit.
f apud Sur. To. 3.
g Lectiones Breuiar.

rum officia cum ingenti illo collibertorum omnium agmine explicentur peculiari commentario, quem nos iam nunc voto deſtinamus erudito alicui viro, qui ſtilo & meditatione hæc aſſequi poſſit. Recenſentur autem in veteribus monumentis, PROCVRATIO ORNAMENTORVM; BIBLIOTHECAE; PATRIMONII ET HEREDIT.; XX HEREDIT; AVRARIARVM, BALNEI FORMIS; FVNDIS CAIETAE; LAVRENTO ADELEPHANTOS; A RATIONIBVS; VILLARVM TVSCVLANARVM; SVBPROCVRATOR VICESIMAE, & alij non pauci. At illud hic obiter velim animadverti, huiuſmodi ſervos impegiſſe plerumque in merceticios ſcopulos, non ſine magna rei dominicæ iactura, [a] Alfenus: *dominus ſervum Diſpenſatorem manumiſit, poſtea rationes ab eo accepit, & cum de eis non conſtaret, comperit apud quamdam mulierculam pecuniam eum conſumpſiſſe.* Martialis; [b]

a l. 16. de ſer. cerr.

b Lib. 5. 43.

*Diſpenſatorem fallax ſpoliabit amica,*
*Mercibus exſtructas obruet unda rates.*

Neque ſanè ab re commentus eſt apud Petronium ex tempore Eumolpus; *inter cetera apud communem amicam conſumpſerunt pecuniam meam, à qua illos proxima nocte extraxi, mero, unguentiſque perfuſos, ad ſummam, adhuc patrimonij mei reliquias olent.* [c] CHRISTVS dominus huc alluſit non ſemel, & expreſſit [d] Iuvencus;

c Matth. 24. Luca 12.

d lib. Hiſtor. Ev.

*Aſt ille infelix, qui obſcænè luxuriatus;*
*Tardantem contemnit herum, ſervoſque fatigat*
*Verberibus, ſegniſque indulgens ebrietati*
*Luxurioſorum convivia concelebrabit* &c.

Neque verò ab actore, Procuratore, Diſpenſatore illi

illi videntur eſse abiungendi, quos PIGNORIBVS accipiendis, mutuis PECVNIIS dandis, fœnerandis, accipiendis, exigendis; & MENSAE prępoſitos appellant *e* I. Cti noſtri; Daniſtas & Trapezitas alii. EXACTORES huius planè numeri ſunt. *a* Scæuola; *Stichus Arcarius probante domino nomina fecit, & rationes à domino ſcriptas exhibuit, nec poſtea nomen ullum fecit, quæro an ſi qui minus ſolvendo fuerint debitores, quibus alij Exactores erant applicati, nondum videatur conditioni ſatisfactum?* Meminit autem antiquum elogium, quod extabat olim Romæ in muſæo Carpenſi,

*e L. ult. quod cum eo, L. 19. § ult. de inſtit. L. 15. cod. L. 18. de ſolu & liberat. L. 5. in princ. de inſtitor. act.*

*a L. 41. de Fideicom. libertat.*

SEX. POMPEIVS FAVSTVS

SEX. POMPEI. EXACTOR.

Apud Cęſares fuit peculiaris Exactor HEREDITATVM, LEGATORVM, PECVLIORVM; ut teſtantur veteres inſcriptiones: ad hæc Exactor AVRI, ARGENTI, AERIS, in officina monetæ; Exactor OPERVM DOMINICORVM. Verùm qui ratiocinium non didiciſſet, is excludebatur his muneribus. Petronius: *hinc quemadmodum ratiocinari didiciſſet, dein Diſpenſator factus eſſet, omnia diligenter curioſus pictor cum inſcriptione reddiderat.* Et huc forſan pertinet ut ille, qui olim dicebatur Procurator Cæſaris, RATIONALIS, ævo poſteriore appellaretur *b* Lampridius; *& quia de publicandis diſpoſitionibus mentio contigit, ubi aliquos voluiſſet vel Rectores provincijs dare, vel Præpoſitos facere, vel Procuratores, id eſt Rationales ordinare, nomina eorum proponebat, hortans populum, ut ſi quis quid haberet criminis, probaret manifeſtis rebus: ſi non probaſſet, ſubiret pœnam capitalem.* Is autem, cui Ratiocinium in familia obtigerat, RATIOCINATVR dicebatur, ſeu A RA-

*b in Alexandro.*

TIONIBVS. In domo Cæſarum Libertus pro more huic muneri præficiebatur; & legitur in vetere marmore Lanuvino.

T. AVRELIO
AVG. LIB
APHRODISIO
PROC. AVG.
A. RATIONIBVS

*a Claudio ca. 18.*

[a] Svetonius; *ſed ante omnes* (Libertos videlicet) *Narciſſum ab epiſtolis, & Pallantem à rationibus; quos decreto quoque Senatus, non præmijs modò ingentibus, ſed & Quæſtorijs, Prætorijſque ornamentis ornari libenter paſſus ſit*. A calculis item, id eſt lapillis minutis, quos antiqui in manu tenentes, numeros componebant, dictus eſt CALCVLATOR ſervus.

*b L 7 de oper Libertor.*

[b] Ulpianus; *nam huius quoque eſt miniſterium, ſi fortè vel Librarius, vel Miniculator, vel Calculator ſit*. quæ ſanè ars nec ingenuos dedecuit.

*c L. 17. de excuſat. Tutor.*

[c] Modeſtino teſte; μηδὲ λιβρα-ρίους, μηδὲ καλκουλάτορας, οὓς λιαψηφιστὰς λέγομεν. Ediſcebant autem hæc pueri cum literarum primis elementis.

*d lib. 1. confeſſ. cap. 12.*

D. [d] Auguſtinus: *adamaveram enim Latinas* (literas) *non quas primi magiſtri, ſed quas docent qui Grammatici vocantur. nam illas primas ubi legere, & ſcribere, & numerare diſcitur, non minus oneroſas, pœnaleſque habebam, quàm omnes Græcas.*

*e lib. 1. origin. cap. 3.*

[e] Iſidorus; *primordia Grammaticæ artis, literæ communes exiſtunt, quas Librarij, & Calculatores ſequuntur, quorum diſciplina velut quædam Grammaticæ artis infantia eſt.* Julius Capitolinus de Helvio Pertinace Imperatore; *puer literis elemētarijs, & calculo imbutus.*

*f Epiſtola ad Piſonem.*

[f] Horatius lepidè,


*Romani pueri longis rationibus aſſem*
*Diſcunt in partes centum diducere. dicat*
*Filius Albini, ſi de quicunce remota eſt*
*Uncia, quid ſuperat? poteras dixiſſe Triens. tu*
*Rem poteris ſervare tuam, redit uncia: quid fit?*
*Semis* —

Huius

inHus loci ſunt quæ D.[g] Auguſtinus recenſuit: *iã verò unũ & unũ duo, duo & duo quattuor, odioſa cantio mihi erat*. quæ cantio hodieq; exauditur apud hoſce magiſtellos, quos antiquitus Cauculones ſeu Calculones vocabant. Ceterum priſcam illam calculandi rationem ex Voluſio Mæciano perdiſcere poſſumus, &

g lib. cit. eod. cap.

a edidit Elias Vinetus.



ex

& ex tabella numeraria, cuius formam, & uſum primus omnium edidit MARCVS VELSERVS IIVIR Auguſtanus, virtutis & doctrinæ gloria prǽſtantiſſimus. Romani porrò Abaci, qui apud F. VRSINVM extaret, meminerunt [a] P. CIACCONIVS, & [b] ANT. AVGVSTINVS Hiſpanorum doctiſſimi. Nos verò non Auguſtanum, ſed Romanum exprimendum curavimus; tum quod illius typus, quando hæc ſcribebamus, ad manum minimè erat; tum quod in hoc noſtro notæ numerales ad antiquas propius accedere viderentur, venuſtiore neſcio qua, & caſtiore conformatione. Quod utut verum ſit, illud utique certum eſt, publicè intereſſe, vulgari & hunc noſtrum Italicum, ut inſigne antiquitatis monumentum hac iterata editione in oculos hominum incurrat, & eruditorum manibus teratur. Vſus ſanè is eſt, quem ſatis ſuperque indicant calculi ductiles, & reductiles, capitati, undeviginti, oblongis alucolis inſerti. Calculi quatuor inferiores, unitatis vim ſinguli obtinent, appliciti tamen numero intercælato. Superior ille ſingularis & unicus, item admotus quinque unitates notat. Alveoli unciarij extra ordinem ſex calculos continent, quinque infra, unum ſupra, qui omnes XI. colligunt pro recepta unciæ diviſione in XII. ſolemnes partes. Semuncia, ſicilicus, & ſemiſicilicus ſeorſum comparent. Huc reſpexiſſe videtur [c] Solon, cuius extat præclara ſententia, *tyrannorum ſamiliares calculis perſimiles videri: quandoque enim maximi eſſe, quandoque minimi precij*. & hoc Solonis dictum [d] Oruntes (ſiue is fuerit Oræres) gener Regis Artaxerxis, ad illam computandi artem retulit, quæ digitorum inflexione coſtat. In hac tabella

[a] in explicatione inſcriptionis Duilianæ & in Lib. de nummis.

[b] Numiſm. Dial. 9.

[c] Diogenes Laertius


[d] Plutarch in Apophth.


bella nouenarius eminet, cuius ea laus eſt, aucto-re [a] Marciano, ut primi verſus finem teneat; comprobata etiam à noſtris ratione, qui notas numerales Arabum, quas Cifras appellamus, eodem limite arctaverunt, non temerè aut fortuitò, ſed conſultò & ſapienter. At multiplex uſus calculorum facit, ut antiquos aliquot candidos lapillos Romæ erutos, tum minutos, tum grandiuſculos, curaverim hîc apponi, literis & quibuſdam aliis cælaminibus inſignes. Quos ego quidem arbitror, non longè abeſſe ab athleticis illis calculis, quibus ex [b] Apocalypſi, & eiuſdem enarratore Areta, lucem attulit eruditiſſimus [c] FABER.


[a] Lib 7.

[b] cap. 2.

[c] Lib. 2. Agonist. cap. 9. & 31.









Eadem utrimque. Idem utrimque.













eadem in adverſis & averſis.

Servatus & lævis.
utrimq;







Expli-

# CAPUT XIX.

*De Negociatoribus, & Artificibus.*

EXplicito Ratiocinio, ad NEGOCIATORES veniamus, horum ita meminit [a] Marcianus; *legatis ſervis, exceptis negociatoribus, Labeo ſcripſit, eos legato exceptos videri, qui præpoſiti eſſent negocij exercendi cauſa, veluti qui ad emendum, locandum, conducendum præpoſiti ſunt.* Negociationes verò, ut multæ erant, ita eos qui exercebant ſingulari nomenclatura inſignibant. Ideoque BOARIOS, PALLARIO, FERRARIOS, AERARIOS, FRUMENTARIOS, VINARIOS, VESTIARIOS, SAGARIOS negociatores legimus non ſemel, aliosque non paucos. Pulchrè Caſſiodorus: [b] *Negociatores, quos humanæ vitæ conſtat neceſſarios, huic poteſtati manifeſtum eſt eſſe ſubiectos, nam quicquid in veſtibus, quicquid in ære, quicquid in argento, quicquid in gemmis ambitio humana poteſt habere precioſum, tuis ordinationibus obſecundat* &c. SARCINATORES ut huc referrem, monuit [c] Ulpianus; *licet mercis appellatio anguſtior ſit, ut nec ad ſervos Fullones, vel Sarcinatores, vel Textores vel Venalitiarios pertineat, tamen Pædius lib. xv. ſcribit, ad omnes negociationes porrigendum edictum.* Nec ablegandæ videntur SARCINATRICES, quas recenſuerunt Feſtus, & antiquus titulus,

[a] L. 63. de Leg.

[b] lib 6 vari. ar. 7.

[c] L. 1. de tribut. act.

DIS. MANIBVS
IDES
SARCINATRICIS

Neque verò fidem faciunt fragmenta quędam, Cornelii Frontonis nomine edita, in quibus legitur, *Sar-*

*trix quæ ſarcit; Sarcinatrix quæ ſarcinas ſervat.* niſi hic ſarcinarum nomine veniat mundus muliebris, quod non omninò improbandum videtur, cum legatur in antiquo marmore,

JULIA . JUCUNDA
AUG. L. SARCINATR
A. MUNDO. MULIE. &c.

Et ſanè mundus hic plerumque non ſarcinas modò, ſed & Impedimenta militaria æquaverit. At Frontonem tuetur [a] Nonius. Servos etiam magiſtros, NAVI præpoſitos fuiſſe docet [b] Africanus. Magiſtrum autem navis accipere debemus eum, cui totius navis cura mandata eſt. Magiſtri verò imponũtur locandis navibus, vel mercibus, aut vectoribus conducendis, armamentisve emendis. & hoc eſt à ſervo navẽ exerceri, ut apud [c] Jul. Paulum legimus. Et quoniam, ut ſuperius attigimus, quæſtus non modicus ex mancipiis venallibus proveniebat, erant in familia & VENALITIARII, alias VENALICII. Venalitium autem fuit etiam loci nomen, ut apud Petronium, in quo tituli aliquando pingebantur. in [d] titulo autem ex edicto Ædilium Curulium ſcribebantur morbi, vitiaque mancipiorum, & quidquid aliud emptoris intererat non neſcire. [e] Seneca hoc ſibi voluit: *ſtare ante limen Calixti dominum ſuum vidi, & eum qui illi impegerat titulum, qui inter ridicula mancipia produxerat, alijs intrantibus excludi.* [f] Svetonius; *nam apud majores* (ait) *cum familia alicuius venalis produceretur, non temerè quem litteratum in titulo, ſed litteratorem inſcribi ſolitum eſſe; quaſi non perfectum litteris, ſed imbutum.* [g] Petrus Chryſologus: *hoc implebat Paulus, qui ſervitutis ſuæ titulos ſic ſcribebat: uſq;*

[a] Sarcinatri cet.
[b] L. ult. de exerc. act. ναυκλήρους vocat Plutarch.
[c] L. 4 §. ſi ſervus. & L. 5. eod. L. 19. de ṗel. act.
[d] Gell. lib. 4. cap. 2.
[e] Epiſt. 47
[f] de ill. Grãm.
[g] Serm. 141.

*ad*

*ad hanc horam eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur.* Pendebat autem aliquando hic titulus per colla. [b] Propertius, [b Lib. 4. el. 5.]

*Aut quorum titulus per barbara colla pependit,*
*Cælati medio cum ſaliere foro.*

Et hæc quidem de titulo. Venalium autem nomine peculiariter veniebat ſervi novitij. [a] Quintilianus; [a Lib. 8. ca. 2.] *item quod commune eſt & alijs nomen, intellectu alicui rei peculiariter tribuitur; ut urbem, Romani accipimus: & venales, Novitios; & Corinthia, æra.* Mangonum fraudes, & impoſturas ſi quis adhuc aveat recenſeri, [b] Senecam audiat: [b Epiſt. 80.] *mangones quidquid eſt, quod diſpliceat, aliquo lenocinio abſcondunt, itaque ementibus ornamenta ipſa ſuſpecta ſunt: ſive crus alligatum ſive brachium aſpiceres, nudari juberes, & ipſum tibi corpus oſtendi.* Thoranius ſanè ut Antonium circumſcripſerit, prodidit [c] Plinius. Illa translatitia erat, & quę ad omnes venales aptaretur [d] cantilena; [c lib. 7. cap 1.] [d Horat. lib. 2. Epiſt. 2.]

*— hic eſt*
*Candidus, & talos à vertice pulcher ad imos.*

ut,

*Verna miniſterijs ad nutus aptus heriles,*
*Litterulis Gręcis imbutus, idoneus arti*
*Cuilibet. —*

affinia illis [e] Terentianis: [e Eunucho.]

*— fac periculum in litteris,*
*Fac in Palęſtra, in Muſicis: quę liberum*
*Scire ęquum eſt adoleſcentem, ſollertem dabo.*

[f] Ulpianus: *ſciendum tamen eſt, quędam & ſi dixerit, prǽſtare eum non debere: ſcilicet ea quę ad nudam laudem ſervi pertinent, veluti ſi dixerit frugi, probum, dicto audientem.* De his ſatis dictum. Deinceps ad INSTITORES tranſeamus. *Inſtitor is eſt* (inquiunt [g] Paulus, [f L. 19. de ædil. ed.] [g h L. 18. & 3. de Inſtit.]

& [h] Ulpianus) *qui tabernę, locove, ad emendum vendendumve pręponitur*, huiuſmodi verborum extat mentio in hec verba; [i] *Servus cujus mihi uſus legatus eſt, acquirit mihi, ſi inſtitor ſit, & operis eius utar in taberna.* [a] item: *ſi duo, pluresve tabernam exerceant, & ſervum quem ex diſparibus habebant partibus, inſtitorem prępoſuerint* &c. Veteres autem auctores (quod ego quidem obſervarim) meminerunt tabernarum, caſiariæ, cauponiæ, fulloniæ, lanioniæ, piſtoriæ, unguentariæ, diverſoriæ, pelleſuinæ, ſutrinæ, purpurariæ, argentariæ, vinariæ, cretariæ, & medicinæ exercendę cauſa. In tabernis videtur fuiſſe canis cuſtodiæ gratia. [b] Paulus I. Cs. *ſi quis aliquem evitans, magiſtratum fortè, in tabernam proximam ſe immiſiſſet, ibique à cane feroce læſus eſſet, non poſſe agi canis nomine quidam putant. at ſi ſolutus fuiſſet, contra.* Illud ſanè notandum eſt, in tabernis quandoque fuiſſe adfixos [c] titulos, qui cum aliquo ſervo prohiberent negocium geri. Horum opera ſtataria & ſedentaria videtur fuiſſe, ut ideò veſtes non ſuccingerent, ſed demitterent. Vertumnus apud [d] Propertium canit de ſe ipſo,

*— & ibo*

*Mundus, demiſſis Inſtitor in tunicis.*

Ceterum [e] Ulpianus cum Inſtitoribus enumerat INSVLARIVM; AEDIFICIO, vel FRVMENTO emendo præpoſitum; PECVNIIS FENERANDIS; AGRIS COLENDIS; MERCATVRIS REDEMPTVRISQ. faciendis &c. De Inſulario nos infra. Quod ad redempturas attinet, lepidè [f] Iuvenalis,

*— vivant Artorius iſthic*
*Et Catulus, maneant qui nigrum in candida vertunt,*
*Queis facile eſt ædem conducere, flumina, portus,*

*Sic-*

[i] L. 13. cod.
[a] L. 21. de uſu & habit.
[b] L. 2. ſi Quadr paup fec. dic.
[c] L. 48. de pecul.
[d] lib. 4. eleg 2.
[e] L. 5. de Inſtit. act.
[f] Sat. 3.

*Siccandam eluviem, portandum ad buſta cadaver.* CIRCITORES, quorum item meminit [g] Ulpianus, ſunt, quibus *Veſtiarij, vel Lintearij dant veſtem circumferendam, diſtrahendamque*. Extat antiquus lapis Romæ ad D. Balbinæ ita inſcriptus; [g] L. cit.

✠ LOCVS OPORTV
NI CIRCITORIS CON
IVGISQVE EIVS ALBI
NAE ATQVE FILIORVM
EORVM PALATINAE
ET VRBICI

REQVIESCENTIVM
IN PACE

His omnibus adiungemus ſervum merci [a] OLEARIAE præpoſitum, cuiuſmodi legitur in veteri marmore CRESCEN. quidam natione Beſſus. Hi negociatores, quorum miniſteria, uti & ſuperiorum pertexuit [b] Philo: *alios ſervili natos genere, benignitas fortunæ promovit ad ingenuorum officia, fiunt enim procuratores in amplis opibus, interdum etiam conſervis præficiuntur ceteris. quibuſdam uxorum, pupillorumque berilium tutela commiſſa eſt, ob ſpectatam ipſorum fidem, poſthabitis amicis & neceſſarijs: nihilominus tractant ſervilia, fenerantur, emptitant, reditus colligunt, patronos ſuos demerentur obſequijs*. Reliqui ſunt ARTIFICES, è quibus dominus non voluptatem modò conſequi, ſed & lucrum facere, operas eorum locando conſueverat: GLADIATORES, AGITATORES, FVNAMBVLI, PALAESTRITAE & alij huius generis. GLADIATORES

[a] L. 13. de Inſt. [b] Quod omnis probus liber.

ſeu

c Annal. 1. 2. ſeu ARENARII in familia privata fuerunt non raro. Cornel. Tacitus; *& ſingulorum pedibus advolutus, tantum conſternationis invidiæque concivit, ut pars militum Gladiatores, qui è ſervitio Blæſi erant, pars ceteram* d Declam. 9. *eiuſdem familiam vincirent*. Gladiator apud [d] Quintilianum: *certa enim arenæ deſtinabar victima, nemo* a in argumento Milon. *Munerario vilius ſteterat*. [a] Aſconius: *ſequebatur eos magnum ſervorum agmen, inter quos Gladiatores quoque erant, ex quibus duo noti, Eudamus, & Birria*. De ſer- b L. 44. de action. empti. VO AGITATORE hæc [b] Papinianus; *planè ſi in tantum precium exceſſiſſe proponas, ut non ſit cogitatum à venditore de tanta ſumma, veluti ſi ponas Agitatorem* c Caio cap. 55. *poſtea factum*. quæ verba is intelliget, qui apud [c] Svetonium legerit, Agitatori Cythico comeſſatione quadam in apophoretis, vicies HS collata, & in veteribus monumentis notaverit, præmia decreta M. Aurelio Diocli Agitatori factionis ruſſatæ. FVNAM- d L. penult. de act. empti. BVLI meminit [d] Labeo. Et hic eſt, quem Schœno- e Sat. 3. baten vocat [e] Iuvenalis, Funirepum [f] Appuleius. f lib. 4. Florid. Tranſtulit autem eleganter [g] M. Cœlius; *ego qui ſci-* g lib. 8. Ep. 1. *rem. Q. Pompeium Baulis ſchœnobaticam facere, & uſque eo, ut ego miſererer eius eſuriei, non ſum commotus*. Schœnobaticam dixit facere Pompeium, quod ijs premeretur anguſtijs rei familiaris, ut illi pedes, quod Funambuli ſolent, diducere non liceat. hoc planè eſt [h] h 2. Phil. Tullianum illud: *quid erat in terris, ubi in tuo pedem* i Lib. 6. 39. *poneres* PALAESTRITAM ſervum recenſuit [i] Martialis,

*At ille ſima nare, turgidis labris,*
*Ipſa eſt imago Pannici Palæſtritæ.*

k L. 13. de usufr. [k] Ulpianus: *nam ſi Librarium rus mittat, & qualum, & calcem portare cogat, vel Hiſtrionem Balneatorem faciat, vel de Symphoniaco Atrienſem, vel de Palæſtra, ſterco-* l Ep. 15. *randis latrinis præponat, abuti videbitur proprietate* [l].

Sene-

Seneca; *accedunt peſſimæ notæ mancipia in magiſterium recepta; homines inter oleum & vinum occupati, quibus ad votum dies eſt actus, ſi benè deſudaverunt.* At hic neſcio an collocandi ſint MAGICI pueri, cuiuſmodi recenſet [m] Appuleius Nigidianos, & neſcio quos alios pueros. Puella certè in hiſtoria [a] Apoſtolica, quæ habens ſpiritum Pythonem, quæſtum magnum præſtabat dominis ſuis divinando; & ſervus apud [b] I Cm. qui inter fanaticos caput aliquando iactavit, & aliqua profatus eſt, huc pertinent. Necnon & ſervus ille, cuius meminit [c] Porphyrius, qui locutiones avium optimè perciperet. Et hi quidem artifices fuerunt voluptatum. Qui ſequuntur, uſui & cultui Patris familias & Familiarium, lucroque inſerviebant. PICTVRAM ſervitiis interdictam apud Græcos, Romani ſervis ſuis, ut ſibi haberent [d] permiſerunt. [e] Iuvenalis cum CAELATORE domeſtico Pictorem coniungens;

*Sit mihi præterea curvus Cælator, & alter*
*Qui multas facies pingat citò.* ——

[f] Marcianus; *Pictoris inſtrumento legato, ceræ, colores, ſimiliaque horum Legato cedunt.* [g] Jul. Paulus *inſtrumento Pictoris legato, colores, penicilli, cauteria, & temperandorum colorum vaſa debebuntur.* Ceras & cauteria ad Encauſticen refero, cuius præter Varronem, Vitruvium, Plinium, Flaccum, Statium, Appulejum, Auſonium, Prudentium, ita meminit [h] Ovidius,

*Quique moves cælum, tabulamque coloribus uris,*
*Quique facis docta mollia ſaxa manu.*

quorum quidem verſuum priorem illum fuit qui legeret,

*Quique moves cæſtrum.* ——

ſubmonente [i] Plinio; *in Encauſtice pingendi duo fuiſſe*

[m] Apolog.
[a] Actor. cap. 16.
[b] L. 1. de ædil. ed.
[c] de abſtin. lib. 3. Lege & Cedrenũ in Michaele Curopalata.
[d] lib. 35. cap. 10. Plin.
[e] Sat. 9.
[f] L. 17. de fundo inſtr.
[g] lib. 3. Sent.
[h] lib. 3. Faſt.
[i] lib. 35. ca. 11

anti-

*antiquitus genera conſtat. Cera, & in ebore cæſtro, id eſt viriculo.* Idem [k] auctor: *Lala Cyzicena perpetua, virgo, M. Varronis iuventa, Romæ & pencillo pinxit, & cæſtro in ebore imagines mulierum maximè.* Sed pro vulgata lectione ſtat. [l] Servius ad illa,

k ibid.

l Lib. 1. Aen.

— *cælataque in auro*

*Fortia facta patrum.* —

ſcribit namque: *inſculpta, tamen hoc nomen in principali aliam habet naturam, in derivatione mutat. nam cælum eſt unde operantur argentarij: quod producitur naturaliter* &c. nihil ergò apud Ovidium mutamus. Et quoniam Roma, quod & hodie experimur, lutulenta hyeme fuit, æſtate pulverulenta, ideò veſtes exegerunt & ipſæ Balneatores ſuos, FULLONES videlicet; eoſque non rarò familiares. [a] Jabolenus: *qui habebat Flaccum Fullonem, & Philonicum Piſtorem, uxori Flaccum Piſtorem leguaverat.* [b] Ulpianus tamen negociatoribus adcenſuit, [c] Varro adſcripſit ruſticæ familiæ, nec malè, quia & ruri eorum uſus fuit, & ex artificio negotium prodit. Horum officinæ, Fullonicæ, & Fullonica dicebantur, in Fullonia ſanè natus eſt [d] Andriſcus, qui dubium liber an ſervus, regium nomen animo regio implevit. huius claſſis erunt & TEXTORES. [e] Marcianus: *ſi unus ſervus plura artificia ſciat, & alij coci legati fuerint, alij Textores, alij Lecticarij, ei cedere ſervum dicendum eſt, cui legati ſunt in quo artificio plerumque verſabatur.* [f] Svetonius; *Remmius Palæmon Vicetinus, mulieris verna, primo ut ferunt textrinum, deinde herilem filium dum comitatur in ſcholas, litteras didicit.* Textori ſuccedet Phrygio. [g] Titinnius;

a L. penult. de reb. dub.

b L. 1. de trib. act.

c lib. 1. de R. R. cap. 16.

d Ammianus extremo lib. 14.

e L. 63. de leg. 3.

f de ill. Gram.

g Nonius.

*Phrygio fui primo, beneque id opus ſcivi:*
*Reliqui acus, aciaſque hero, atque heræ noſtræ.*

Agmen

Agmen claudent SVTOR & CERDO. de Sutore [b] Martialis, *b Lib 3. 75.*

*Dentibus antiquas ſolitus producere pelles,*
*Et mordere luto putre vetuſque ſolum;*
*Prӕneſtina tenes defuncti rura patroni,*
*In quibus indignor ſi tibi cella fuit.*

ut quia ex Ergaſtulo fuiſſet. [a] Iuriſcs. *hoc amplius eidem alumno meo hominem collactaneum, & vernam Sutorem, qui cum artificio ſuo, mercede delata, alere poſſit.* huius inſtrumentum erant ſcalpra, & formæ [b]. Horatius; *a L. 78 §. heredum ad SC. Trebellian.* *b lib. 1 Sat. 3.*

*Si quis emat citharas, emptas comportet in unum,*
*Nec ſtudio citharӕ, nec muſӕ deditus ulli:*
*Si Scalpra, & Formas non Sutor —*

[c] Ulpianus: *ſi Sutor puero parum benè facienti, forma calcei tam vehementer cervicem percuſſerit, ut ei oculus effunderetur, eſſe ex locato actionem.* Opera fuerunt Caligæ, Sandalia, Soleæ, Crepidæ, Calcei; à quibus SOLEARII, SANDALIARII, SVTORES CALIGARII dicti ſunt. [d] Horatius; *c L. 5. ad L. Aquill. L. 14. locati.* *d lib. 1. Sat. 3*

*— ſapiens crepidas ſibi numquam*
*Nec ſoleas fecit: Sutor tamen eſt ſapiens. —*

[e] Phædrus elegantiſſimus fabulator, de malo Sutore medicum profeſſo, *e lib. 1. fabular.*

*Quantӕ putatis eſſe vos dementiӕ,*
*Qui capita veſtra non dubitatis credere,*
*Cui calceandos nemo commiſerit pedes?*

De Sutore autem Cӕſariano feſtiva extat narratiuncula apud [f] Arrianum. Servi CERDONIS meminit [g] Papinianus, niſi tamen ibi Cerdo proprium nomen hominis ſit, non artificij. Marcionis enim magiſtrum, illum cuius meminerunt Philaſtrius, & Theodoretus, Cerdonem nominatum fuiſſe legimus. Ceterum *f in Epict. lib. 1. cap. 19.* *g L. 42. de oper. Libert.*

h Lib. 3. Ep. 16 rum Cerdoni ſubulam tribuit [h] Martialis;

*Das Gladitores Sutorum regule Cerdo,*
*Quodque tibi tribuit Subula, Sica rapit.*

## CAPUT XX.

*De Famulitio dominarum.*

AT ne quis dominarum nos omninò oblitos putet, luſtrabimus mollem hanc, & delicatam legionem, de qua apud [a] Tacitum legitur juſta Severi Cæcinnæ conqueſtio; *ineſſe mulierum comitatui, quæ pacem luxu, bellum formidine morentur, & Romanum agmen ad ſimilitudinem barbari inceſſus convortant.* Et ſanè mater Juliani martyris apud [b] Surium, *in publicum prodit cum innumerabili familia utriuſque ſexus.* Nec hyperbolicè quidem locutus eſt Cæcinna, ſi [c] Ammianum Marcellinum audimus, qui matronarum comites recenſet, Textrices, Coquos, Spadones, & univerſum promiſcuè ſervitium. Reſpexit huc [d] Iuvenalis,

a Lib. 3. Annal.
b Tomo 1.
c Lib. 14.
d Sat. 6.

*— gravis occurſu, teterrima vultu,*
*Balnea nocte ſubit, conchas & caſtra moveri*
*Nocte jubet. —*

Caſtra appellat agmen immodicum. Eius nunc nos officia explicabimus, ſive illa miniſteria ſint, & ab EVNVCHIS exordiemur, qui in familia Palatina,

*— præfecti gemmis, veſtiq; dabantur*
*Cuſtodes, ſacraque adhibere ſilentia ſomno.*

ut cecinit [e] Claudianus, præter quæ [f] Corippus,

e in Eutrop.
f Lib. 3.

*Illis ſumma fides, & plena licentia ſacris*
*Deſervire locis, atque aurea fulcra parare,*
*Regales menſas epulis onerare ſupernis,*
*Conſervare domum, ſanctumque intrare cubile,*

In-

*Internas munire fores, veſteſque parare.*

Tetigit ſanè Corrippus munera Eunuchorum, inter quæ recenſuit cuſtodiam Lectorum cubicularium, & eorumdem ornatum. quod & privatis dominis jam olim placuit. [g] Appuleius: *Dij boni! qualis ille, quamque præclarus apparatus? Quatuor Eunuchi confeſtim, pulvillis compluribus ventoſe tumentibus pluma delicata, terreſtre nobis cubitum præſtruunt: ſed & ſtragula veſte, auro, ac murice Tyrio depicta, probè conſternunt.* [g lib. 2. metam.]

Imò & in hunc uſum paratæ erant ancillæ. [a] Virgilius: [a lib. 3. Aen.]

*Nec victoris heri tetigit captiua cubile.*

Agamemnon apud [b] Homerum, [b Iliad. A.]

Τὴν δ' ἐγὼ οὐ λύσω, πρίν μιν καὶ γῆρας ἔπεισιν,
Ἡμετέρῳ ἐνὶ οἴκῳ ἐν Ἄργεϊ τηλόθι πάτρης
Ἱστὸν ἐποιχομένην, καὶ ἐμὸν λέχος ἀντιόωσαν.

Et licet harum opera ad officium corporis, concubitumque referri poſſit, & debeat; perſpicuè tamen Ariadna [c] apud Catullum, [c de nuptiis Pelei, & Thetidos.]

*Si tibi non cordi fuerant connubia noſtra,*
*Sæva quod horrebas priſci præcepta parentis:*
*Attamen in veſtras potuiſti ducere ſedes,*
*Quæ tibi jucundo famularer ſerva labore,*
*Candida permulcens liquidis veſtigia lymphis,*
*Purpureave tuum conſternens veſte cubile.*

Neque verò honorifico muneri non acceſſit honorifica appellatio. ſiquidem Chryſaphius, qui à [d] Marcellino comite Eunuchus dicitur, [e] Victori Tunnunenſi PRAEPOSITVS Imperatoris eſt; & Iohannes, & Paulus clariſſimi martyres Eunuchi, Præpoſitus alter PRIMICERIVS alter à [f] Terentiano, qui eorum geſta conſcripſit, appellantur. Præpoſitum, cubiculo intelligo. [g] Martyrologium Romanum; *item Romæ,* [d in Chron.] [e Chron.] [f Sur. To. 3.] [g 19 Maii.]

*via Appia, natalis ſanctorum Caloceri, & Parthenij eunuchorum, quorum prior cum eſſet Præpoſitus cubiculi uxoris Decij Imperatoris, alter verò alterius muneris Primicerius, nolentes idolis ſacrificare, ab eodem occiſi ſunt.*

b in epiſt. ad Marcell. D. [b] Ambroſius; *denique etiam ſpeciali expreſſione Calligonius præpoſitus cubiculi, mandare mihi auſus eſt; me vivo tu contemnis Valentinianum? caput tibi tollo. reſpondi, Deus permittat tibi, ut impleas quod minaris, ego enim patiar quod Epiſcopi: tu facies quod Spadones.* Et ſanè impotenti quodam dominatu Spadones Imperio tunc, & longè ante incubuerant. [a] Ammianus de Conſtantio Auguſto; *uxoribus ac Spadonum gracilentis vocibus, & Palatinis quibuſdam nimium quantum addictus.* Egregie [b] Alexander Severus, qui *Eunuchos de miniſterio ſuo abiecit, & uxori ut ſervos ſervire iuſſit, & cum Elagabalus mancipium Eunuchorum fuiſſet, ad certum numerum eos redegit, nec quidquam in Palatio curare voluit, niſi balneas fœminarum, cum pleroſque Eunuchos Rationibus, & Procurationibus præpoſuiſſet Elagabalus, his ille & veteres ſustulit dignitates. Idem tertium genus hominum Eunuchos eſſe dicebat, nec videndum, nec in uſu habendum à viris, ſed vix à fœminis nobilibus.* Ex hoc luto, ſeu cænum malumus appellare, eruit quandoque DEVS Opt. Max. precioſiſſimas gemmas, ut de Iohanne, & Paulo, de Calocero & Parthenio vidimus, qui vitam pro Chriſti nomine profunderunt. [c] Nereus itidem, & Achilleus Eunuchi cubicularii Fl. Domitillæ nobiliſs. virginis, cervices pro veritate & pietate fortiſſimè dederunt. Apud eoſdem Cæſares Eunuchi aliquando functi ſunt officio Prægustatorum. [d] Svetonius: *quidam tradunt, epulanti in arce cum Sacerdotibus, per Halotum Spadonem Prægustatorem: alij domestico convivio per ipſam*

a Lib. 21.

b Ael. Lamprid.

c Sur. 10. 3.

d Claudio ca. 45.

*ipſam Agrippinam, quæ Boletum medicatum, avidiſſimo ciborum talium, obtulerat.* Pocillatores etiam non rarò fuerunt. [c] Tacitus; *id Druſo datum* (venenum) *per Lygdum Spadonem, ut octo poſt annos cognitum eſt.* [c lib. 4. Ann.]
SILENTIARIOS etiam fuiſſe Eunuchos, faciunt ut credam verba Claudiani, quæ nuper citavimus.

—— *ſacroque adhibere ſilentia ſomno.*

QVIETIS miniſtros dixiſſet [a] Procopius. quo munere an functi fuerint etiam in familia privata, mihi quidem non omninò liquet. Neq; verò hoc prorſus abnuerim, cum apud [b] Salvianum mentio extet ſilentiariorum: *pavent quippe Actores, pavent Silentiarios, pavent Procuratores; propè ut inter iſtos omnes, nullorum minus ſervi ſint, quàm dominorum ſuorum: ab omnibus cæduntur, ab omnibus conteruntur.* Et hæc nomenclatura Præfecturæ, quæ conſervis ſilentium commendabat, utique videtur vel cum ipſo Salviano, vel paulò ante ipſum in lucem prodiiſſe. Quod enim a d [c] Senecam referunt nonnulli, magiſterium magis, quàm nomenclaturam indicat. Virga enim apud Senecam, qua murmur omne famulorum compeſcebatur, videtur fuiſſe inſigne Tricliniarcharum in ipſo Triclinio, extra quod Actoribus, ſeu Diſpenſatoribus conveniret; docente [d] Ammiano Marcellino, qui præpoſitos urbanæ familiæ, digerentes comitatum matronarum prodeuntium, dextris aptata virga inſignes recenſet. Nota autem eſt virga & arundo Janitoris apud Petronium, & Senecam. Affines Silentiarijs ſunt illi, quos ad SOMNVM appellat [e] Curtius. *at ne in vicinia quidem diverſorij quemquam commilitonum receptum eſſe; ſed per diſpoſitos, quos ad ſomnum habebat, omnes procul relegatos, ne fœmina illa murmurantium inter ſe ſilentio verius quàm ſono excitaretur.*

[a l. 2. de bel. Perſ.]
[b lib. 4. de Gubern.]
[c Epiſt. 47.]
[d Lib. 14.]
[e Lib. 6.]

In

Suetō. Claudio cap. 18. In Palatio, ut diximus, Eunuchis graviſſimarum rerum tractatio credita eſt. ideoque Claudio Cæſari Narciſſus ab epiſtolis fuit, quem Eunuchum fuiſſe, adnotavit antiquus [g] Scholiaſtes Iuvenalis, & quidem ditiſſimum, ad ſummam, nihil omninò fuit, quod non illis pateret. Apud privatos cuſtodiebant pueros, Pædagogorum vicibus functi. nec aliter interpretantur illud [a] Iuvenalis veteres Gloſſæ,

g Sat. 14. in fin.

a Sat. 7.

*Diſcipuli cuſtos præmordet Acoenonetus,*

quam de Eunucho dictum eſſe Pædagogo, & Papate, cuius proprium ſit communi ſenſu carere. PAPAS ergo Pædagogus eſt: & hinc datur intelligi, quid ſibi velint [b] Acta Viti, & Modeſti martyrum; *Angelus autem Domini apparuit Papati eius religioſo viro, Modesto nomine.* confirmant hoc gloſſæ quæ feruntur Iſidori; *Papas, Pędagogus qui ſequitur studentes.* Tuebantur præterea mulierum pudicitiam, licet aliquando nomine tenus. [c] Terentius;

b Sur. To. 3.

c Eunucho.

*Edicit ne vir quiſquam ad eam adeat: & mihi ne abſcedam imperat.*

d in Eutrop.

Aderant lavanti dominæ [d] Claudianus;

*— Eous rector, Conſulq; futurus*
*Pectebat dominę crines, & ſępè lavanti*
*Nudus in argento lympham gestabat alumnę:*
*Et cum ſe rapido forſans proiecerat ęstu,*
*Patricius roſeis pavonum ventilat alis.*

ubi quod ad LYMPHAM attinet, cum venia honeſtarum matronarum, monebimus Lectorem, [e] AQVARIOS, AQVARIOLOS, & BACCARIONES huic loco deberi. Et in huius interioris tutelæ gratiam dicti cuſtodes ſunt. [f] Iuvenalis;

e Scaliger ad Feſtum Turnebus lib. 14. aduer. c. 12.

f Sat. 6.

*— decipit illa*
*Custodes, aut ęre domat, —*

Hinc

Hinc magno in precio erant, non tantum apud Barbaros, ſed & apud Romanos. Apud [g] Pharaonem præpoſitus Pincernis, & magiſter Piſtorum eunuchi fuerunt. Hermotimus apud [h] Xerxem in maximo honore eſt habitus. [a] Bagoas apud Alexandrum nihil non potuit. [b] Vſthazanes, Perſa martyr, Saporis Regis nutricius, principem locum in familia regia obtinuit. [c] Eunuchus, quem Philippus baptizavit, fuit δυνάστης Κανδάκης τῆς βασιλίσσης τῶν αἰθιώπον, ὃς ἦν ἐπὶ πάσης τῆς γάζης αὐτῆς. de hoc [d] Arator ita cecinit.

*Angelus alloquitur plenum virtute Philippum,*
*Auſtralem celerare viam, qua Spado jugatis*
*Æthiopum pergebat equis, qui fidus in aula*
*Reginæ ſervabat opes* ——

[e] Terentius ab eodem precio inducit Phædriam exprobrantem Thaidi,

—— *porrò Eunuchum dixti velle te,*
*Quia ſolæ utuntur his Reginæ: repperi.*

Quo circa Imperator [f] Aurelianus; *Eunuchorum modum pro Senatorijs profeſſionibus ſtatuit, quod ad ingentem æſtimationem perveniſſent.* [g] Ulpianus: *& ſi puerum quis caſtraverit, & precioſiorem fecerit, Julianus ſcribit ceſſare Aquilliam.* Et hæc ſanè, ut pleraque alia, [h] Juſtinianus Cæſar moderatus eſt, qui Eunuchos, ætatis & artificii habita ratione, xxx, l, & lxx ſolidis æſtimari voluit. Ne videlicet eſſent amplius, qui C. [i] Ælio Seiano inviderent enormi comparatum pecunia neſcio quem ex hoc ſemivirorum, vel potius fœmini virorum grege. Olim quidem pœna legis [k] Corneliæ tenebatur, qui hominem caſtraviſſet; ut ſileamus mali ominis fuiſſe amputare ſibi virilia, etiam [l] religionis cauſa. Et quamuis [m] Domitianus, &

[g] Gen. ca. 40.
[h] Lib. 8.
[a] Curt. lib 10.
[b] Sur. To. 2. & martyrol. Rō. 21 April.
[c] Acta Apoſt. cap. 8.
[d] Lib. 1.
[e] Eunucho.
[f] Vopiſcus.
[g] L. 27. §. & puerum ad L. Aquill.
[h] L. 3. C. cōm. Leg. L. 1. c. de comm. ſeru. man.
[i] Plin. lib. 7. cap. 39.
[k] L. 3. §. qui hominem. L. 4. 5. & 6. ad L. Cornel de Sicar.
[l] Iul. Obſequens.
[m] Statius lib. 4 Sylu.

& [n] Nerva Cæſares caſtrari mares vetuerint, prævalente tamen luxu, antiquatum eſt quidquid illi edixerunt. [o] Conſtantinus profectò & ipſe inhibuit, pœna capitis propoſita. [p] Leo autem Auguſtus Romanos nuſquam, Barbaros alicubi ſecari permiſit. Scilicet aula Conſtantinopolitana his carere non poterat diu. notat enim [a] Luitprandus, ſe Imp. Conſtantino obtuliſſe Loricas optimas novem, Scuta optima cum bullis deauratis ſeptem, Cuppas argenteas deauratas duas, enſes, lanceas, verua, mancipia quattuor Carſamatia, Imperatori nominatis omnibus precioſiora. *Carſamatium autem Græci vocant* (inquit ille) *amputatis virilibus & virga, puerum Eunuchum, quos Verdunenſes mercatores ob immenſum lucrum facere ſolent, & in Hiſpaniam ducere.* Et ſanè animadverſione indignum non eſt, Eunuchis in Oriente continua quadam ſerie, in Regum animos, corpora, opes, caritates, magnum ſemper aditum patuiſſe. horum mores brevi elogio expreſſit [b] Ammianus his verbis; *quod ſi Numa Pompilius vel Socrates bona quædam dicerent de Spadone, dictiſque religionum adderent fidem, à veritate deſciviſſe arguerentur.* Ab his factitiis fœminis ibimus ad naturales, & legitimas, è quarum numero OBSTETRICES taxavit [c] Juſtinianus ſolidis LX. meminerunt veteres inſcriptiones,

SEX. POMPEIVS
SEX. L. DAPHNIS
.GRAM
CHLOE. POMPEIAE
APPI. OPST

& in eodem marmore,

ATIA. DYNAMIS
OPST

alibi,

[n] Dion lib. 68
[o] L. 1. c. de Eũ.
[p] L. 2. eod tit.
[a] Rer. per Europam geſtarum lib. 6, ca 3.
[b] Lib. 16.
[c] L. 3. C. cõm. de Leg.

alibi,

SALLVSTIA. Q. L. IMERIA
OPSTETRIX

Porrò ad hanc rationem ſcribendi, verbi etymon direxit [a] Donatus; *quæ opem tulerit parienti, opſtetrix dicitur, unde & parturientes ſer opem clamant.* ADSTETRIX quæ dicitur, perierat, niſi [b] CVIACIVS vir magnus, utique ſervaviſſet huius officium tangit [c] Ovidius,

*Vna miniſtrarum media de plebe Galanthis,*
*Flava comas, aderat faciendis ſtrenua juſſis,*
*Officijs dilecta ſuis.* ——

& poſt Ovidium D. [d] Hieronymus: *ipſum jactant aſſidere lectulo, obſtetrices adhibere languenti, portare matulam, calefacere lintea, plicare faſciolas.* His ſuccedunt NVTRICES. [e] Tacitus, *at nunc natus infans delegatur Græculæ alicui ancillæ, cui adiungitur unus, aut alter ex omnibus ſervis plerumque viliſſimus.* Favorinus apud Gellium; *præſertim ſi iſta, quam ad præbendum lactem adhibebitis, aut ſerva aut ſervilis eſt, ut plerumque ſolet, externæ atque barbare nationis.* D. [g] Hieronimus ex Theophraſto: *vocanda domina, celebrandus natalis eius, jurandum per ſalutem illius, ut ſit ſuperſtes optandum, honoranda Nutrix eius, &* GERVLA. & de hac idem ipſe Hieronymus; *Nutrix ipſa non ſit temulenta, non laſciva, non garrula, habeat modeſtam gerulam, nutricium gravem.* Neque verò videtur hæc opera diſcreta ſemper fuiſſe, cum quæ fuit Nutrix, fuerit eadem & Gerula. [i] Plautus:

*Nutrices pueros infantis minutulos*
*Domi ut procurent, neu quæ ſpectatum afferant,*
*Ne & ipſæ ſitiant, & pueri pereant ſame.*

Et hę Nutrices fuerunt re, & nomine. illę honora-

a apud Terentium in Andria.
b in commenta ad Tit. de ver. ſign. L. 236.
c lib. 9 metam.
d lib. 2 epiſtolar. ſelect. ep. 9.
e in Dial. de cauſis corr. Eloqu.
f lib. 12 c. 11.
g li. 1. aduerſ. Iouinian.
h ad Latam.
i Prologo Pœn. li Turneb. lib. 28 aduer cap 6.

rię, & ut ita dicam, nominales, quæ diligentiam infantibus, & munditiam adhibebant, ut loquitur antiquus gloſſator ad illud [a] Iuvenalis,

*Hoc monſtrant vetulæ pueris repentibus aſſæ.*

Quod autem [b] vir doctus & eruditus notavit, à Scholiaſte Sophoclis, in Aiace flagellifero, vocari παιδαγωγοὺς, ſive παιδοτρίβας, βαϊούλους ideò, quod baiuli eſſent ſervi, & quia ſervi ad docendos pueros olim adhiberentur, id ſanè mihi ſuſpectum eſt. Bajuli enim ibi GERVLI ſunt, NVTRITORES, & NVTRICII; hoc nomine appellati, quod baiulent geſtentque ulnis pueros. Et hinc [c] in aula Conſtantinopolitana fuit olim magnus Baiulus. Italicè hi ſunt Balio, e Balia, ſive, ut noſtrates vocant, Bailo e Baila, quæ apud Vicetinos Bela eſt, à verbo Latino antiquo [d] Beolare, quod eſt βαςάζειν. Huius loci CVNARIA eſt a cunis dicta ut videtur, veluti & [e] Cunina quam Deam vocabant, infantium in cunis tutricem, & faſcini ſummotricem. vetus lapis,

D M
TEIAE. THREPTE. SO
ROR. PIISSIMAE. CVNA
RIAE. RVFINAE. V. V. &c.

Alludit huc D. [f] Hieronymus; *jam tibi & ſcalæ, per quas deponeres miſeram, parabantur: iam iter diſpoſitum, decreta navigia, condicta dies, fuga animo pertractata, & ecce Angelus ille cubiculi Mariæ Janitor, Cunarum Domini cuſtos, & infantis Chriſti gerulus, coram quo tanta faciebas, ipſe te prodidit.* [g] Martialis: *Cunarum fueras motor Charideme mearum.* & hic propriè CVNARIVS. EDVCATOREM hîc ratione contubernii interſeremus. [h] Juſtinianus, *iuſtæ autem manumiſſionis cauſæ hæ ſunt, veluti ſi quis patrem aut matrem, filium filiamve,*

*aut*

a Sat. 14. Nõ. Marcellus in ASS AS.
b B Vulcan. ad Appul. de Mundo.
c Georgius Codinus.
d Gloſſarium.
e Lactant. lib. 1, cap. 20,
f ad Sabinianum Diaconum.
g lib. 11. 40
h lib. 1. Inſtitut. Tit. 6.

*aut fratres ſororeſve naturales, aut pædagogum, aut Nutricem, aut Educatorem, aut Alumnum* &c. Appuleius. [a] *ego ſum Byrrhena illa, cuius fortè ſepicule nomen inter tuos frequentatum Educatores retines*. & hic idem, qui NVTRITOR, & NVTRICIVS. [b] Acta Nerei, & Achilei martyrum: *eorum autem corpora rapuit Auſpicius diſcipulus eorum, Nutritor ſanctæ virginis Domicillæ*. [c] Cæſar: *erat in procuratione Regni propter ætatem pueri, nutricius eius eunuchus, nomine Photinus*. Porrò Nutrices & Nutricios TATAS & MAMMAS appellabant. Romæ,

a lib. 2. Met.

b Sur. 10. 3.

c lib. 3. de bello civ.

DIS. M.
ZETHO. CORINTHVS
TATA. EIVS. ET. NICE
MAMMA. F.
V. A. I. DXVI.

Egregiè verò [d] Petrus Chryſologus; *Nutritor pius, niſi totus fuerit redactus in parvulum, numquam parvulum perfectum perducit in virum: denique tunc vocem tenuat, verba ponit, agit nutibus, ſenſus ſeponit, infirmat viſcera, abijcit vires, membra diſſolvit, greſſum tardat, geſtit non ambulare ſed repere, ridere ſimulat, timere fingit, flere mentitur; quia eſt in illo mendacium pietas, deſipuiſſe prudentia eſt, eſt infirmitas virtus*. D. [e] Hieronymus: *nunc & Gerula quondam, iam anus; & nutricius, ſecundus poſt naturalem pietatem pater, clamitat, morituros expecta paulisper, & ſepeli, forſitan & laxis uberum pellibus mater, arata rugis fronte, antiquum referens* MAMMAE *lallare congeminet*. Lalla autem ſolemnis eſt nænia Nutricum. [f] Cornutus ad Perſium: *aut cur à Nutrice iuſſus dormire ploras? quæ infantibus ut dormiant, ſolent dicere ſæpè, lalla, lalla; aut dormi, aut lacte*. Et hæc cantio apud noſtrates Mammas etiam hodie exauditur. Huius ordinis ſunt ALVMNVS, &

d Serm. 62.

e ad Heliodorum.

f Sat. 3.

a ad Furiam.
b L. 8. de Pignor. & Hypoth.
c L. 38. de fideicomm. libert.

COLLACTANEVS. de hoc D. [a] Hieronymus: *nec Procurator calamiſtratus, nec formoſus collactaneus, nec candidulus, & rubicundulus aſſecla, adhæreat lateri tuo.* de illo [b] Ulpianus: *denique concubinam, filios naturales, alumnos, conſtitit generali obligatione non contineri, & ſi qua alia ſunt huiuſmodi miniſteria.* de ALVMNA [c] Jul. Paulus: *in teſtamento, quod perfectum non erat, Alumnæ ſuæ Libertatem, & Fideicommiſſa dedit.* Collactaneus autem in veteribu monumentis, Collacteus & Colactius appellatur, Parmæ, ubi deſcripſimus oculata fide;

D M
KALOCERVS
PVBLICVS
ELAENO
COLACTIO
B . M

Romæ in hortis Cyriaci Matthesii,

COMMVNIO VERNA
ANTONIAE AVGVSTAE
V. A. II. MES. X
COLLACTEVS. DRVSI
BLANDI. F

d Sat. 6.
e Lib. 1.
f Lib. 2. Met.
g l. 33. de uſufr.

Iuvenalis, & Marcianus Capella Collactaneam, Collacteam vocant. [d] Ille,

*Tullia quid dicat notæ Collactea Mauræ.*

[e] hic: *ſed quod ſororis eius Collactea, & indiſcreto amica fœdere videretur.* Hoc fuit eandem Nutricem ſimul bibere, ut loquitur [f] Appuleius. Et hic diſquirendum eſt, an de huiuſmodi miniſteriis [g] Ulpianus intellexerit; *ſi ſervi* (inquit) *uſusfructus legatus eſt, cuius teſtator quaſi miniſterio vacuo utebatur* &c. Alumni

ni & Collactanei quaſi miniſtrare dici poterant, Et huius demum generis miniſteria, longè poſt abolitos omninò ſervos, diu perduraverunt; licet enim ſervi [a] Bartoli ICti. ætate penitus deſiiſſent, Collactanei tamen in uſu erant, quod patet ex [b] Petro Paulo Vergerio ſeniore, qui in vita Ubertini Carrarienſis hæc habet: *eiuſdem fuit domeſticum judicium, quod ſequitur. Longettus erat ei hereditarius ſervus, & ſemper unà nutritus: nam uſque ad ea tempora propagandorum ſervorum mos in Italia manſerat, qui nunc prorſus obſolevit. ei Vbertinus confidebat plurimum, & facilè omnia fidei eius credebat. is aliquando ab Carentana Vbertini concubina pulcherrima fœminarum, in domeſtica contentione, ſervus eſt appellatus, ad quam Longettus, eius inquit ſum ſeruus, cuius & tu meretrix es. quo nihil illa moleſtius exprobrari ſibi audire potuiſſet, & ſpeciei igitur confidens, erat enim eximia forma corporis, & pignoribus ex Vbertino ſuſceptis, non niſi illius ſanguine ſuæ ſatis iniurię fieri poſſe arbitrabatur. itaque filiolam, quæ erat in delicijs patri, allegat queſtum de matris iniuria. ſed & ille quoque Ubertini amicos, qui ei in conſilijs ſemper aderant, patroni ſibi ut eſſent oraverat. mentione igitur per puellam inducta, & per eos qui aderant interrupto crebrò eius ſermone, mulier quę ex ſuperiore ſpecula omnia intuebatur, indignata non audiri ſuam querelam, effrænis decurrit, à Longetto ſe contumelioſe habitam queritur. Ubertinus inſolita mulieris audacia nihil motus, edicere illum iubet quo ſe pacto res haberet. qua cognita, ego inquit, quantum in me fuerit, eo, quod eſt contumeliæ cauſa, utrumque veſtrum abſolvam. & Tabellionem qui conſcriberet juſſit advocari, tunc ad Longettum. vis ne liber eſſe? nequeo, inquit ille, liber tibi eſſe: nam ſi me ita ſinis, ſum tibi ſervus natus, nec me qui tali domino ſervio,*

[a] *Idem Bartolus ad L. Hoſtes de capi. & poſtl. reu. citatus à Genebr. Anno D. MCCXVI*

[b] *Latet adhuc in ſerulis noſtratium Bibliothecarum.*

*ſervio, meæ conditionis pudet. ſin manumittis, tanto me precio datæ libertatis emis, ut liber eſſe à te non poſſim. animo (inquit Ubertinus) ut voles, utque te decebit, nunc neceſſitate conditionis, qua mihi addictus tenebare, liber eſto. deinde ad illam converſus: & tibi quoque inquit, quando meæ conſuetudinis te pudet, liberum eſt abire, eſto à me abſoluta. tum illa fiens, atque inſperato eventu penè exanimis, per hanc tuam te prolem inquit oro, ne me deſeras, neu abijcias, ego ne te quidem domino digna ſum ſerva, cumque multa & flere & dicere pergeret, juſſit ut unde venerat rediret, ac ne ſe in reliquum talibus querelis moleſtaret. itaque uno judicio homini benè merito gratiam reddidit, & illam admonuit, non debere ſe conditionis pudere, quàm non modò ſponte, verum etiam cupidè admiſiſſet.* Hactenus Vergerius, cuius narrationem deſcribere operę precium duxi, tum quod auctor nondum editus eſt; tum quod lectorem poſſit recreare longæ, & moroſæ lectionis tædio affectum. Et quia nobiles matronæ catulis delectabantur, veluti Melitæis, inde factum eſt ut legamus in antiqua tabella marmorea,

OSSA
AVRELIAE. LIVIAE. AVG
SER. A' CVR. CATELLAE &c.

modeſtè ſanè, & non ut illa apud [a] Lucianum, quę Philoſophum, catellæ curatorem habuit. Eidem Liviæ legimus fuiſſe miniſtram ab ARGENTO POTORIO. nec abſurdum videtur miſcuiſſe illi mulierem, & ſtetiſſe ad cyathum & vinum. ut quid enim [b] Romana Juno cœleſtem Junonem non æmularetur, cui formoſa Herculis uxor (ut canit [c] Iuvenalis) fuit ad cyathos? Et hoc munere apud Herodem Sophiſtam functa puella eſt, ut ſcribit in eiuſdem vita Philoſtratus; puella

[a] de merc. cond.
[b] Prudentius lib. 1. adu. Sym.
[c] Sat. 13.

puella nimirum (ſit venia dicto) apud mulierculam. Ornatum muliebrem tractabant, COSMETAE & ORNATRICES. at quis hic ornatus muliebris? [a] Tertullianus: *habitus fœminæ duplicem ſpeciem circumfert; cultum & ornatum. Cultum dicimus, quem mundum muliebrem convenit dici. ille in auro & argento, & gemmis, & veſtibus deputatur. iſte in cura capilli, & cutis, & earum partium corporis, quæ oculos trahunt.* [b] Macrobius: *eadem Iulia maturè habere cœperat canos, quos legere ſecretò ſolebat. ſubitus interventus patris aliquando oppreſſit Ornatrices.* rectè ergò Tertullianus, qui curam capilli in ornatu repoſuit. Coſmetarum autem meminerut [c] Iuvenalis, & [d] Ulpianus. Ad ornatices quod attinet, notandum eſt, illas tradi conſueviſſe magiſtris, ut ediſcerent artificium ornandi. id quale eſſet deſcribet nobis [e] Manilius partim, partim alij:

a de habitu muliebri.

b lib. 2. Satur. cap. 5.

c Sat. 6.

d L. 47 de Leg. 3.

e Lib. 5.

*Illis cura ſui vultus, frontiſque decoræ*
*Semper erit, tortoſque in flexum ponere crines,*
*Aut nodis revocare, & rurſus vertice denſo*
*Fingere, & appoſitis caput emutare capillis.*

[f] Tertullianus graphicè: *quid crinibus veſtris quieſcere non licet, modò ſubſtrictis, modò relaxatis, modò ſuſcitatis, modò eliſis? aliæ geſtiunt in cincinnis coercere, aliæ ut vagi & volucres elabantur, non bona ſimplicitate. affigitis præterea neſcio quas enormitates ſutilium, atque textilium capillamentorum: nunc in galeri modum quaſi vaginam capitis, & operculum verticis, nunc in cervicem retrò ſuggeſtum* &c. qui ſanè locus Tertulliani torſit nonnullos aliquantiſper, quid enim Galero cum Vagina? veniebat illis porrò in mentem, Galeri loco Galeam ſubſtituere, præſertim cum Romæ legatur in veteri marmore.

f de cultu fœminar.

CALPVRNIA

L. ET.

L. ET. Ɔ. L. GALEAE
ORNATRIX

videbantur confirmare veteres nummi, qui exhibent imagines mulierum Auguſtarum, quæ vixerunt Tertulliano ſcribente: harum enim capillitium ad galeam propius, quàm ad galerum accedit. at pro galero facit [a] Iuvenalis verſus,

a Sat. 6.

*Sed nigrum flavo crinem abſcondente Galero.*

ubi hæc habet ad verbum antiquus enarrator: *crini ſuppoſititio, rotundo, in modum Galeæ facto, quo utebantur meretrices.* Tertulliano brevior & concinnior [b] Juvenalis;

b Sat. 6.

*Tot premit ordinibus, tot adhuc compagibus altum*
*Ædificat caput* —

c Feſtus.

huiuſmodi conſtabat compagibus Flaminicę [c] Tutulus, & præter eas vittâ purpureâ crinibus innexa. Romæ olim in Muſæo Carpenſi,

APONIAE. SVCCESSAE
A'. TVTVL. ORNATR
C. BATONIVS. EPIGONVS
ATRIENSIS

Ex huiuſmodi miniſterio ancilla apud Petronium, Gytona in partem navis inferiorem ducit, corymbioque dominæ pueri adornat caput. imò ſupercilia etiam profert de pyxide, ſciteque iacturæ lineamenta ſecuta, totam illi formam ſuam reddidit. Pyxis enim continebatur inſtrumento ornatricum, & coſmetarum. [d] Martialis;

d Lib. 9. 38.

*Cum ſis ipſa domi, mediaque ornere Suburra,*
*Fiant abſentes & tibi Galla comæ;*
*Nec dentes aliter, quàm ſerica nocte reponas,*
*Et lateas centum condita pyxidibus.*

Nec

*Nec tecum facies tua dormiat, innuis illo,*
*Quod tibi prolatum eſt, mane ſupercilio.*

En integram officinam ornatoriam, geminam planè illi Petronianæ, Comas, Pyxidem, Supercilia. Ab eadem ratione Venus apud [a] Appuleium; *ſume iſtam Pyxidem: & dedit protinus; uſque ad inferos, & ipſius Orci ferales penates te dirige. tunc conferens Pyxidem Proſerpinæ; petit de te Venus, dicito, modicum de tua mittas ei formoſitate* &c. [b] Zeno martyr: *quid hoc eſt? ecce rurſus ad lenocinia redis, colorem de pyxide mutuaris paulò ante damnatum. ecce indulgenter excolis crinem: odorato pulvere luctus pulverem mutas: in ſtibio fletus includis: ornamento ligas, quod ſuſpendio voveras collum, ab Speculo oracula inquiris, quam commodè poſſis circumſcribere petitorem.* Apud Petronium eadem illa quæ Gytona exornaverat, evocatum Encolpion *non minus decoro exornavit capillamento: imò commendatior vultus enituit, quia flavum corymbion erat.* Itaque ne in hac quidem parte ſuperari ſe à fœminis viri paſſi ſunt. teſtis eſt [c] Columella: *contemptiſſimorum vitiorum officinas, guloſius condiendi cibos, & luxurioſius fercula ſtruendi, capitumque & capillorum concinnatores, non ſolum eſſe audivi, ſed & ipſe vidi.* Et hos Tertullianus appellat ſtructores capillaturæ. confirmat Manilius, Iuvenalis, & notiſſimus ille Othonis Aug. [d] Galericulus. Imò & [e] Clemens Romanus, qui ſcribit, non licere Chriſtiano nutrire capillum, & in unum complicare, vel diſcerniculo diſcriminare, neq; verò intortum calamiſtris criſpare, vel flauum facere. Hinc Servius in x. Æn. ad illud,

— *comptos de more capillos,*

Hoc quod diximus confirmat argumento perſonarum Tragicarum, quæ ſimiles erant in utroque ſexu,

[a] lib. 6. Met.

[b] Serm. de cōtinentia.

[c] Præfat. lib. 1

[d] Suetonius Othone c. 12.

[e] lib. 1. cap. 4

quantum ad ornatum pertinet capitis. Neque verò barbam inornatam ſinebant ſemiviri hi noſtri; ut apud Cyprianum,& Tertullianum [a] alij notaverunt. Ad fœminas ut redeamus, capillorum cura illis præcipua fuit, non in ſtructura tantum, ſed & in colore & cincinnis. [b] Propertius;

a Pamelius.

b lib. 2, El, 18

*Nunc etiam infectos demens imitare Britannos,*
*Ludis & externo tincta nitore caput.*
*Ut natura dedit, ſic omnis recta figura,*
*Turpis Romano Belgicus ore color.*
*Illi ſub terris fiant mala multa puellæ,*
*Quæ mentita ſuas vertit inepta comas.*

c de cultu fœmin.

[c] Tertullianus: *video quaſdam & capillum croco vertere. pudet eas etiam nationis ſuæ, quod non Germanæ aut Gallæ ſint procreatæ: ita patriam capillo transferunt.* A Cincinnorum ſtudio CINERARII miniſtri appellati ſunt. [d] Varro: *Calamiſtri, quod his calefactis in cinere, capillus ornatur. qui ea miniſtrabat, à cinere Cinerarius eſt appellatus.* Meminit & [e] Seneca: *quidam ſe à Cinerario impulſos moleſtè ferunt, & contumeliam vocant oſtiarij difficultatem, Nomenclatoris ſuperbiam, Cubicularij ſupercilium.* [f] Acron eleganter: *Cinifliones & Cinerarij eadem ſignificatione apud veteres habebantur, ab officio Calamiſtrorum, id eſt, veruum in cinere calefaciendorum, quibus matronæ capillos criſpabant.* cuius rei & [g] Virgilius meminit, dicens;

d lib. 4. de L. L.

e in Sap. non cad. iniur. ca. 14.

f lib. 1. Sat. 2.

g lib. 12. Aen.

*vibratos calido ferro.* ——

Porrò Servius ad illum Virgilij locum hæc habet; *criſpatos calamiſtro. nam calamiſtrum eſt acus maior, quæ calefacta & adhibita intorquet capillos.* Idem Servius in XII. *etiam ille pulvis, quo utuntur puellæ, ci-*

*ris*

*nis vocatur. unde etiam & ciniſlones dicti ſunt.* [a] Horatius; a loco cit.

*Cuſtodes, Lectica, Ciniſlones, Paraſitæ.*

Calamiſtros autem σιδηρᾶ ὄργανα videtur appellare [b] Lucianus, quibus modicè calefactis cincinni excitabantur. [c] Ovidius: b in amoribus c lib. 1. amore El. 14.

*Quam ſe præbuerant ferro patienter & igni,*
*Ut fieret torto nexilis orbe ſinus.*
*Clamabam ſcelus eſt, iſtos ſcelus urere crines,*
*Spontè decent. capiti ferrea parce tuo.*
*Vim procul hinc remove: non eſt qui debeat uri,*
*Erudit admotas ipſe capillus acus.*

Et ſanè calamiſtrum, acum ferream non ſemel eſt interpretatus [d] Iſidorus. quo forſan reſpexerunt Feſtus & Iuvenalis. ille: *Acus dicitur, qua Sarcinatrix vel etiam Ornatrix utitur.* [e] hic: d lib. 10. & 20. origin. e Sat. 6.

*Eſt in conſilio materna, admotaque lanis,*
*Emerita quæ ceſſat acu* —

ubi antiquus interpres explicat, *Lanipendiam matris factam ornatricem quaſi magiſtram.* Erant autem uſui & minores acus, quibus ſuſtinebantur & figebantur capilli. [f] Prudentus; f Pſychom.

— *crinalis acus, redimicula, vittæ.*

[g] Appuleius: *ad hunc modum vaticinata mulier, acu crinali capite deprompta, Thrasylli convulnerat tota lumina.* De prioribus illis cecinit [h] Ovidius; g lib. 8. Met. h lib. 1. de arte am.

*Forma viros neglecta decet. Minoida Theſeus*
*Abstulit, à nulla tempora comptus acu.*

Huius miniſterij inſtrumenta erant Diſcerniculum, Pecten, ſpeculum de hoc [a] Ovidius: a lib. 2. de arte am.

*Nec tibi turpe puta, quamvis ſit turpe, placebit:*

*Ingenua Speculum ſuſtinuiſſe manu:*

fuit enim officium ſervile, quod ingenuum hominem non uſquequaque decebat. [b] Propertius;

b lib. 4. El. 7.

*Deliciæque meæ Latris, cui nomen ab uſu eſt,*
*Ne ſpeculum dominæ porrigat illa novæ.*

c Sat. 2.

hinc [c] Iuvenalis.

*Ille tenet ſpeculum pathici geſtamen Othonis,*
*Actoris Arunci ſpolium: quo ſe ille videbat*
*Armatum, cum jam tolli vexilla juberet.*

Ab hac eâdem opera Triton in Veneris comitatu, ſub oculis dominæ ſpeculum [d] prægerit. præclarè autem [e] Claudianus;

d Appul. li. 4. Met.
e de nup. Honor. & Maria.

*Cæſariem tunc fortè Venus ſubnixa coruſco*
*Fingebat ſolio: dextra lęvaque ſorores*
*Stabant Idalię. largos hęc nectaris imbres*
*Irrigat, hæc morſu numeroſi dentis eburno*
*Multifidum diſcrimen arat: ſed tertia retro*
*Dat varios nexus, & juſto dividit orbes*
*Ordine, neglectam partem ſtudioſa relinquens.*
*Plus error decuit, ſpeculi nec vultus egebat*
*Judicio.* —

Hic ornatricum altera cæſariem Veneris nectare irrigat, ut alludatur ad illud miniſterium, quod innuit [f] Iuvenalis;

f Sat. 6.

*Diſponit crinem laceratis ipſa capillis*
*Nuda humero Pſecas infelix* —

Ornatrices enim *crinem componentes* ( ut ibi habent veteres gloſſæ) *rarum ac parum aquæ ſolent mittere, ac velut* ψεκάζειν. altera pectine utitur, quem Eunucho tribuit [a] Claudianus, ut vidimus. [b] Apuleius in præconio capilli; *vel nunc guttis Arabicis*

a in Eutropiū
b lib. 8. Met.

*cis obunctus, & pectinis arguti dente tenui diſcriminatus* &c. Non abit à pectine diſcerniculum. c Ovidius; c lib. 3. de arte am.

*Munditijs capimur: nec ſint ſine lege capilli:*
*Admotæ formam dantque negantque manus.*
*Nec genus ornatus unum eſt: ſed quamque decebit*
*Eligat: & ſpeculum conſulat ante ſuum.*
*Longa probat facies capitis diſcrimina puri;*
*Sic erat ornatis Laodameia comis.*

d Varro: *Diſcerniculum, quo diſcernitur capillus. Pecten, quod per eum explicatur capillus. Speculum à ſpeciendo, quod ibi ſe ſpectant.* Et hæc fuit præfectura capillorum, cuius meminit Ovidius; d lib. 4. de L. L. e lib 2. amorũ El. 8.

*Ponendis in mille modis præfecta capillis,*
*Comere ſed ſolas digna Cypaſſi deas,*

cujus malè adminiſtratæ illa fuit pœna, quam tetigit idem f Poeta; f lib. 1. amor. El. 14.

*At non pectendos coram prebere capillos,*
*Ut jaceant fuſi per tua colla, veto.*
*Illo præcipuè ne ſis moroſa caveto*
*Tempore, nec lapſas ſæpè reſolve comas.*
*Tuta ſit ornatrix: odi, quæ ſanciat ora*
*Unguibus, & rapta brachia figit acu.*
*Devovet, & tangit dominæ caput illa: ſimulque*
*Plorat ad inviſas ſanguinolenta comas.*

& idem g alibi; g lib, 3. de ar.

*Non acus abrupit, non vallum pectinis illos:*
*Ornatrix tuto corpore ſemper erat.*
*Ante meos oculos ſæpè eſt ornata, nec umquam*

*Bra-*

*Brachia direpta ſaucia fecit acu.*

a Sat. 6. a Iuvenalis:

*Altior hic quare Cincinnus? Taurea punit*
*Continuo flexi crimen, facinuſque capilli.*
*Quid Pſecas admiſit? quænam eſt hic culpa puellæ*
*Si tibi diſplicuit naſus tuus? altera lævum*
*Extendit, pectitque comas, & volvit in orbem.*

Immundi muliebris altera pars erant cutis, facies & huiuſmodi reliqua, fœminis procurata ad inſaniam uſque. b Tertullianus: *in illum enim delinquunt, quæ cutem medicaminibus ungunt, genas rubore maculant, oculos fuligine collinunt.* D. c Zeno; *interea miris excolit artibus ſeſe, faciemque ſuam in ſe, quam non habet, quærit. pingit ſe in ipſam, & lenocinante vario magiſtri medicaminis ſuco, vultum ſuum vultibus vertit alienis. hoc futura, non quod natura præſtitit, ſed quod ei ad examen ſpeculi arbitrium temporale dictaverit.* d Prudentius,

b de cultu fœmin.
c Sermone de pudicitia.
d in hamartigenia

*Tædet ſacrilegas matrum percurrere curas,*
*Muneribus dotata Dei quæ plaſmata Fuco*
*Inficiunt, ut figmentis cutis illita perdat*
*Quod fuerat, falſo non agnoſcenda colore.*

e de diſcipl. & habitu virgin. D. e Cyprianus: *illi & oculos circumducto nigrore fucare, & genas mendacio ruboris inficere, & mutare adulterinis coloribus crinem, & expugnare omnem oris & capitis veritatem, corruptelæ ſuæ impugnatione docuerunt.*

f lib. 3. de arte. f Ovidius;

*Non tamen expoſitas menſa deprendat amator*
*Pyxidas: ars faciem diſſimulata iuvat.*
*Quem non offendat toto fex illita vultu,*

Cum

*Cum fluit in tepidos pondere lapſa ſinus.*

[a] Iuvenalis. [a] Sat. 6.

*Interea fœda aſpectu, ridendaque multo*
*Pane tumet facies, aut pinguia Poppeana*
*Spirat, & hinc miſeri viſcantur labra mariti.*

Eiuſdem ordinis fuit auriculæ ornatrix. Romæ:

IVLIÆ ⸸ LIVIÆ ⸸ AVG v
AVRICLAE
ORNATRIX

[b] Cyprianus: *an vulnera inſerri auribus Deus voluit, quibus innocens adhuc infantia, & mali ſæcularis ignara crucietur, ut poſtea de aurium cicatricibus & cavernis precioſa grana dependeant, gravia, etſi non ſuo pondere mercium quantitate?* De ornatu ſatis pro inſtituto noſtro Cultus inſtrumenta hæc damus, quæ olim extabant Romæ apud LAELIVM PASCHALINVM. Spectantur hic aureę acus crinales, leviter à ſummo inflexæ, an crines comendos, & earum nonnullæ puræ, nonnullæ gemmatæ; adeſt viriola è minutis ſmaragdis, quam licet magnus [c] CVIACIVS obſervet brachialem fuiſſe, ego tamen collo quoque aptaverim. [d] Iuvenalis,

[b] loco prox. cit.

[c] lib. 10. ob ſeru. cap. 17.


[d] Sat. 6.

*Nil non permittit mulier ſibi, turpe putat nil*
*Cum virides gemmas collo circumdedit.* —

Adeſt inauris ærea, gemmis tribus vitreis oblongis dependentibus ornata, è mundo tenuioris alicuius & paupertinæ fœminæ. Viſitur & ſtalagmium è rudi amethyſto. Inaures præterea, altera ex auro tota, altera diſtincta margaritis, & quidem ad figuram noſtrarum recentium proximè accedens. Bini inſuper elenchi. [e] Plinius de margaritis ſcribens; *& procerioribus ſua gratia eſt. Elenchos appel-*

[e] lib. 9. cap. 35

lant



*thos appellant faſtigiata longitudine. alabaſtrorum figura; in pleniorem orbem deſinentes. a* Iuvenales;

*&*

— *& cum*

*Auribus extentis magnos commiſit elenchos.*

ubi gloſsæ antiquę habent, *uniones, margaritas oblongas, magnarum gemmarum elenchos, quos & titulatos appellant*. ego malim tulatos: & ſanè legimus ſuperius ORNATRICEM A TVTVL. Et quidem Tutulus Pontificalis, cuius imaginem cernimus in denariis gentis Juliæ, non admodum diſſimilis elencho eſt, fuit enim metali figura, ut inquit [a] Feſtus. Vidimus autem apud eundem aureas inaures ea planè figura, qua conſpiciuntur in antiquis denarijs: acus crinales, è quarum altera dependet Cupido fiſtulam inflans: annulos multiformes, redimiculum ſeu minutum monile aureum, & alia multa. Huc referenda ſunt illa [b] Cypriani verba: *non inferantur auribus vulnera, nec brachia includat aut colla, de armillis & monilibus catena pretioſa. ſint à compedibus aureis pedes liberi, crines nullo colore fucati, oculi conſpiciendo Deo digni*: Huius loci ſunt & Aur. [c] Prudentij carmina;

[a] u. Tutulus.

[b] de diſcipl. & hab. virg.

[c] Hamartig.

*Ac velut artificis Domini manus imperfectum*
*Os dederit, quod adhuc res exigat, aut hyacinthis*
*Pingere ſculptilibus redimitæ frontis in arce,*
*Colla vel ignitis ſincera incingere ſertis,*
*Auribus aut gravidis virides ſuſpendere baccas,*
*Nectitur & nitidis concharum calculus albens*
*Crinibus, aureoliſque riget coma texta catenis.*

Præclara illa [d] Zenonis martyris apoſtrophe: *ancilla Chriſti falſum idolum reſpuis? mihi crede in te colis, cuius ornatum, cuius imaginem non deponis. ad Eccleſiam Dei opere vario totum inaurata corpus, execrabili metallo procedis onuſta, ubique delicata, ſub mollibus fortis. deque ipſo cultus rigore in oratione non flecteris: non manus ten-*

[d] Serm. 2. de avaritia.

*dis: tumidum monilibus pectus proſternere dedignaris? ſanè cervicem curvas non religione, ſed pondere. quando* ἐξομολόγησιν *facies, quæ plus pro ornatu es, quàm pro ſalute ſollicita?* [a] Idem alibi & quidem vehementer: *o quantarum neces animarum in phaleris pendent ornatæ matronæ! ornamentum, cuius unum ſi ſolvas in precium, diſtribuaſque neceſſitatibus ſingulorum, ex eorum reſpiratione cognoſces, quantorum malo ille conſtat ornatus.* Concludamus hæc omnia verbis antiquæ inſcriptionis,

a Serm. de iuſtitia.

D M
T. FL. AVG. LIB
PARTHENOPÆI
POPPEANI. EVNVCHI
AB. ORNAMENTIS &c.

VESTIPLICAE huius corporis erunt, quarum munus ex ipſa voce dignoſcitur. [b] Fabius maior: *ter de ſtupro uxoris, adiecto precio appellatus, veſtiplicam dominæ habitu miſit.* [c] Seneca: *placet non in ambitionem cubile compoſitum, non ex arcula prolata veſtis, non ponderibus aut tormentis ſplendere congeſtibus preſſa: ſed domeſtica & vilis: nec ſervata, nec ſumenda ſollicitè* [d]. Ammianus: *dein quum à Silvani lavacro, vel Mammeæ aquis ventitant ſoſpitalibus, ut quiſquam eorum egreſſus tenuiſſimis ſe terſerit linteis, ſolitis preſſorijs veſtes, luce nitentes arbitra, diligenter explorat, quæ una portantur ſufficientes ad juvandos homines undecim &c.* Quid autem ſi veſtiplicæ VESTISPICAE ſint? quæ ut ait [e] Varro veſtem ſpicerent. Apud [f] Plautum ſanè legitur,

b Declam. 363.
c lib. 1. de Tranq. cap. 1
d Lib. 28.
e lib. 6. de L. L.
f Trinummo.

*Veſtiſpicæ, unctor, auri cuſtos, flabelliferæ, ſandaligerulæ.*

ubi Nonius Marcellus legit veſtiſpici. In veteribus autem monumentis VESTIFICOS legimus, & VESTI-

PICAS, quos non malè & his adcenſebimus. Roſemunda verò Alboini VESTIARIAM habuit, in cuius lectulo ſe Perodeo ſuppoſuit; ut ſcribit [a] Diaconus. At veſtium colores nonnullos recenſet [b] Ovidius;

[a] lib. 2. de geſt. Long. ca. 28.
[b] lib. 3. de arte am.

*Quid de veſte loquar? non jam ſegmenta requires,*
*Nec quæ bis Tyrio murice lana rubet.*
*Cum tot prodierint precio leviore colores:*
*Quis furor eſt cenſus corpore ferre ſuos?*
*Aeris ecce color, tum cum ſine nubibus aer,*
*Nec tepidus pluvias concitat Auſter aquas.*
*Ecce tibi ſimilis, qui quondam Phrixon & Hellen*
*Diceris Inois eripuiſſe dolis.*
*Hic undas imitatur, habet quoque nomen ab undis,*
*Crediderim Nymphas hac ego veſte tegi.*
*Ille crocum ſimulat, croceo velatu, amictu,*
*Roſcida luciferos cum Dea iungit equos.*
*Hic Paphias myrtos: hic purpureos Amethyſtos:*
*Albentesve roſas: Threiciamve gruem.*
*Nec glandes Amarylli tuæ: nec Amygdala deſunt,*
*Et ſua velleribus nomina cera dedit.*

Aliquot etiam enumerat Nonius, veluti Cymatilem aut Marinum; Molochinum; Impluviatum; eos qui ſunt à Calta & Croco, Cerinum, Ferrugineum, Oſtrinnum, Luteum, Violaceum, Pullum, Anthracinum. At hæc huius loci non ſunt. Et quia laudatas matronas lanam feciſſe laudatum olim fuit, ideò Textrinum inſtruemus. [c] Caius Iuriſcs. *& ancillarum & filiarum familias nomine, de peculio actio datur, maximè ſi qua Sarcinatrix, aut* TEXTRIX *erit.* [d] Ulpianus; *quare ſi lanam conduxerit uſurarius expediendam, poterit etiam per uſuarias ancillas opus perficere.*

[c] L. 28. de pecul.
[d] L. 3. de penu leg.

 item-

*itemq; ſi veſtimenta texenda redemerit* &c. [a] Portius Latro; *ex omni rupe conchylium trahitur, quo veſtis cruentetur. infelices ancillarum greges laborant, ut adultera tenui veſte perſpicua ſit*. Et hoc artificium adeò ancillas decuit, ut [b] Ammianus univerſas unico textrini nomine comprenderit. De lana autem & lino quatenus in textrinum recipiuntur, legendus omninò eſt [c] Ulpianus. LANIPENDIAE, quas nominavit [d] Pomponius, inter LANIFICAS penſa partiebantur, quando ea munera ſordere dominabus viſa ſunt. [e] Plautus.

[a] *apud Sen. li. 2. controu. in fi.*
[b] *Lib. 14.*
[c] *L. 68. de leg. 3.*
[d] *L. 32. de dō int. vir. & ux.*
[e] *Menaechmeis*

*— ſervire'n tibi*
*Poſtulas viros? dare una opera penſum poſtules;*
*Inter ancillas ſedere jubeas, lanam carere.*

QVASILLARIAE à Quaſillo, ſeu calatho dictæ ſunt. Petronius; *nec contenta mulier tam gravi iniuria mea, convocat omnes Quaſillarias, familiæque ſordidiſſimam partem, ac me conſpui jubet*. Romæ olim,

MVSA. QVASILL
VIX. ANN. XXX
CRATINVS LANIPEND
DE SVO

[f] Propertius;

[f] *lib. 4. El. 7.*

*Et graviora rependit iniquis penſa Quaſillis,*
*Garrula de facie ſi qua locuta mea eſt.*

D. [g] Hieronymus: *diſcat & lanam facere, tenere colum, ponere in gremio calathum, rotare fuſum, ſtamina pollice ducere, ſpernat bombycum telas, ſerum vellera; & aurum in fila lenteſcens. talia veſtimenta paret quibus pellatur frigus, non quibus veſtita corpora nudentur*. [h] Idem; *dolet ſibi prælatum iuvenem, non quidem comatum, non veſtium ſericarum, ſed toroſulum & in ſordibus delicatum, qui ipſe ſacculum ſignet, textri-*

[g] *ad Latam.*
[h] *lib. 2. ep. ſel ep. 9.*

*num*

*num teneat, penſa diſtribuat regat familiam, emat quidquid de publico neceſſarium eſt diſpenſator & dominus, & præveniens officia ſervulorum, quem omnes rodant famuli, & quidquid domina non dederit, illum clamitent ſubtraxiſſe.* Et in his quidem D. Hieronymi, illa verba (*non veſtium ſericarum*) non videntur carere mendo, rectius enim legentur (*non veſtitu ſericatum*) ut ſibi per omnia conſtet ἰσόκωλον. Hæc mulieres mancipia domi ad uſum habuerunt ut diximus. nunc recenſebimus quæ foris ad oſtentationem ANCILLVLAS ex Æthiopia, ut loquitur [a] Terentius, ne videlicet viris inviderent Mauros & Æthiopes ſervulos. Imò & hos habuerunt. [b] Tibullus de ſua Nemeſi;

[a] *Eunuche.*

[b] *lib. 2: el. 2.*

*Illi ſint comites fuſci quos India torret,*
*Solis & admotis inficit ignis equis.*

Et verò quid venuſtatis in ominoſa Æthiopis facie deliteſceret, ego quidem non video, niſi dicamus fefelliſſe has noſtras, quod vulgò Æthiopes, ut notat D. [c] Hieronymus, vocarentur argenti. Inter ancillas conſpicuæ fuerunt FLABELLIFERAE, quarum meminit [d] Plautus. Flabellum autem domi Eunuchorum fuit, ut indicat nobis Eunuchum mentitus Chærea Terentianus, & Claudiani Eutropius: aliquando etiam mulierculæ alicuius, velut illius apud [e] Martialem, quæ praſino flabello tenue ventilabat frigus æſtuanti Zoilo. & hinc D. [f] Hieronymus inter ancillarum officia enumerat flabellum tenere. VMBELLIFERAE etiam in hoc agmine. [g] Ovidius,

[c] *lib. 1. ep. ſel. ep. 16.*

[d] *Trinummo.*

[e] *Lib. 3. 40.*

[f] *in epitaph. Paulæ.*

[g] *lib. 2. de arte am.*

*Ipſe tene diſtenta ſuis umbracula virgis;*
*Ipſe face in turba, qua venit illa, locum.*

hortatur nimirum amatorem, ut ad captandam puellæ gratiam, ſervilia etiam obeat miniſteria. Et hoc

eſt,

eſt, quod inſolens & contumelioſum in Athenienſibus notat [a] Ælianus, quod inquilinorum puellas adigerent σκιαδηφορεῖν ἐν ταῖς πομπαῖς. SANDALIGERVLAE & ipſæ cum aliis aliquot, baiulæ fuerunt Veneriæ huius pompæ. [b] Ovidius;

a lib. 6. cap. 1

b Loc. cit.

*Nec dubita tereti ſcamnum producere lecto:*
*Et tenero ſoleam deme, vel adde pedi.*

Exequebantur hæc pueri ad pedes, & ancillæ quas tetigimus à SANDALIO. Expreſſit utrumque munus D. Iohannes Baptiſta, apud [c] Matthæum, & ceteros Evangeliſtas, ut notavit doctiſſimus MALDONATVS. Erant autem non raro aurea Sandalia hæc; ne videlicet virides umbellæ, praſina & pavonina flabella unicè perſtringerent oculos, & pedum tegmina iacerent. Quin *& crepidarum obſtragulis* (ut ait [d] Plinius) *& totis ſocculis addebant margaritas*; quos & ipſos prælatos ab aliqua ancillarum non dubitaverim. Et huic lepido puellarum collegio adſcripſerim ego ancillam meretriculæ illius, è cuius manu aquila calceum corripuit lavantis dominæ, ut demitteret Memphi in gremium Pſammetychi Regis, cum ille ius diceret. Imò & virum Conſularem, & Cenſorium, Imperijque Curatorem L. Vitellium, qui *miri in adulando ingenij* (verba [e] Svetonij ſunt) *pro maximo munere à Meſſalina petijt. ut ſibi pedes præberet excalcendos; detractumque ſocculum dextrum, inter togam, tunicaſque geſtavit aſſiduè nonnunquam oſculabundus.* O togatum mancipium! Præibant ex officio ANTEAMBVLATRICES. ſubſequebantur PEDISSEQVAE, & quas δουλάρια vocat in univerſum [a] Lucianus, [b] Plautus;

c cap. 3. Marc. 1 Luc. 3. Io. 1.

d lib. 9. ca. 35

e Vitell. cap. 2.

a Lexiphane.
b Aſinaria.

*— illi rei ſtudet,*
*Volt placere ſeſe amicæ, volt mihi, volt pediſſequæ.*

Mar-

c Marcianus Capella; *Periergia verò alijs comitata pediſſequis, dotalibusque mancipijs, curioſè univerſa perſcrutans, atque interrogans ſequebatur.* idem auctor. *præcedit illicò conſcendentem Muſarum concinentium pompa, & prædictarum comitum venerabilis multitudo.* Pueri etiam ipſi non ſine comitibus & pediſſequis prodibant.[d] Cornificius; *Gorgia pediſſequa puerorum, abſconde pueros, defende, fac ut incolumes ad adoleſcentiam perducas.* COMITEM inquit [e] Ulpianus: *accipere debemus eum, qui comitetur & ſequatur; & ut Labeo ait, ſive liberum ſive ſervum, ſive maſculum, ſive fœminam.* Subdit autẽ: *inter comites utiq; & pædagogi erunt.* [f] Macrobius: *averterant in ſe populum, in ſpectaculo gladiatorum Livia & Julia, comitatus diſſimilitudine quippe cingentibus Liviam gravibus viris, hæc iuventutis, & quidem luxurioſæ, grege circumſidebatur.* Ille de hoc numero apud [g] Appuleium; *huius adhærebat lateri ſenex jam gravis annis, qui ut primum me conſpexit: eſt, inquit, Hercules hic Lucius: & offert oſculum, & ſtatim incertum quidnam in aurem mulieris obgannijt.* In horum contubernio videntur fuiſſe cinncinnatuli, & calamiſtrati illi, quos D. [h] Hieronymus procul arcet à Chriſtianæ virginis comitatu. *non ambulet* (inquit) *juxta te calamiſtratus Procurator, non Hiſtrio fractus in fœminam.* [i] Martialis,

*Criſpulus iſte quis eſt, uxori ſemper adhæret*
*Qui Mariane tuæ? criſpulus iſte quis eſt?*
*Neſcio quid dominæ teneram qui garrit in aurem,*
*Et ſellam cubito dexteriore premit?*
*Per cuius digitos currit levis annulus omnes.*
*Crura gerit nullo qui violata pilo?*
*Nil mihi reſpondes? uxoris res agit, inquis,*
*Iſte meæ.* ——

c Lib. 2.
d Lib. 4.
e L. 15. de iniur.
f lib. 2. cap. 5.
g Lib. 2.
h ad Saluinã.
i Lib. 5. 62.

Quæ

Quæ ſanè videtur Martialis ab [a] Ovidio accepiſſe;

a lib. 1 de arte

*Tuta frequenſque via eſt per amici fallere nomen:*
*Tuta frequenſque licet ſit via, crimen habet.*
*Inde Procurator nimium quoque multa procurat,*
*Ut ſibi mandatis plura videnda putet.*

Huius comitatus portio apud parum pudicas mulieres fuerunt SALVTIGERVLI pueri, INTERNVNCII miniſtri, quorumque meminit [b] Iuvenalis;

b Sat. 14.

— *conſcia matri*
*Virgo fuit, ceras nunc hac dictante puſillas*
*Implet, & ad mœchum dat eiſdem ferre cinædis.*

Ad hos reſpexit [c] Appuleius; *hoc Græco nomine δαίμονας nominant, inter terricolas cœlicolaſque vectores hinc precum, inde donorum. qui ultro citroque portant hinc petitiones, inde ſuppetias: ceu quidam utriuſque interpretes & ſalutigeri.* Huius agminis ſordes & quiſquiliæ ſint MVLIONES, BASTERNARII, CARRVCARII, CISIARII, LECTICARII, RHEDARII, IVNCTORES, & alij neſcio qui inter beſtias & vehicula occupati, quorum opera dominis, & dominabus promiſcuo uſui erat. Muliones in urbe etiam fuiſſe, nemini dubium eſſe arbitror. vehebantur enim matronæ vehiculo [d] carpentario, quod à iunctis mulabus trahebatur. id quale eſſet, indicant nummi veteres ſignati nomine & imaginibus Juliæ & Agrippinæ Auguſtarum. At quia carpentum ab his, velut etiam à [e] magiſtratibus uſu cæptum conijcio, inde factum eſt, ut matronæ ad Baſternas ſeſe reciperent. D. [a] Hieronymus; *præcedit caveas Baſternarum, ordo ſemivirorum.* antiqus [b] epigrammatographus;

c de Deo Socr.
d Liu. lib. 34.
e Fl. Vopiſcus in Aureliano Tollit in Claudio.
a ad Euſtochium
b Collect. Pithoei 1, edit. Lugd.

*Aurea matronas claudit Baſterna pudicas,*
*Quæ radiens patulum geſtat utrimque latus.*
*Hanc geminus portat duplici ſub robore Burdo,*
*Provehit & modico pendula ſepta gradu.*

Duplex robur Amites Baſternarum ſunt, ut vocat c Palladius. Aſſeres videlicet, ſeu perticæ aucupalibus ſimiles, quarum Feſtus, & idem d Palladius meminerunt. Eadem penè quæ antiquus poeta habet & e Iſidorus. Nec diverſa tradit f Servius ad illud, c *lib 7. Tit, 2.* d *Tit. 12.* e *lib. 20. orig. cap. 12.* f *Lib. 8.*

*Pilentis matres in mollibus*

*Pilenta* (inquit) *ſunt vehicula, ſicuti nunc Baſternas videmus. erant autem tunc Veneti coloris, non ut nunc ſunt Ruſſati, quibus niſi caſtæ matronæ uti non poterant.* Burdonum meminit g Ulpianus his verbis: *item jumenta, vel lectica, vel ſella, vel Burdones.* Quos ſcimus & h Carrucam dormitoriam portaviſſe, qua matronæ utebantur. Carrucæ nomen debent i CARRVCARII. D. k Paulinus deſcribens comitatum ſanctæ Melaniæ, Neapoli Nolam proficiſcentis: *tota huius ſæculi pompa, qua honorati & opulenti poterant, circumflui Senatores proſequebantur. Carrucis mutantibus, phaleratis equis, auratis pilentis, & carpentis pluribus gemente Appia atque fulgente.* Et Carrucis quid ad luxus rationem utebantur deauratis. l Abdias; *denique Nicolaus quidam ex civium numero, exhibens carrucam deauratam, cum quattuor mulis candidis, totidemque equis, obtulit beato Apoſtolo dicens &c.* Imò & aureis. m Martialis, g *L. 47. de L. g. 3.* h *L. 14. de nu. & arg. Leg.* i *L. 24 locati;* k *Epiſt. 10. e. Aſcent.* l *Lib. 3.* m *Lib. 5. 139.*

*Aurea quod fundi precio carruca paratur,*
*Quod pluris nulli eſt, quàm domus empta tibi.*

Et hi aliquando dicti ſunt MVLIONES CARRVCARII, ut apud Capitolinum in Maximino iuniore. Ciſium

vehiculi biroti genus fuit, ut & Carpentum, à quo
a L. 14 locati. [a] Ciſiarij. De Rheda [b] Cicero: *cum hic inſidiator,*
b in Miloniana. *qui iter illud ad cædem faciendam apparaſſet, cum uxore veheretur in Rheda, penulatus, vulgi magno impedimento, ac muliebri & delicato ancillarum, puerorumque comitatu. fit obviam Clodio ante fundum eius, hora ferè XI. aut non multò ſecus. ſtatim complures cum telis in hunc faciunt de loco ſuperiore impetum, adverſi Rhedarium occidunt.* Et quidem mulæ rhedariæ apud [c] Varronem huc pertinent. Eſt autem animadvertendum, quod Cicero de puerorum tetigit delicato comitatu, id à [d] Martiale explicari;

c lib. 3. de R. R. cap. ult.

d lib. 10. 13.

*Cum cathedralicios portet tibi Rheda miniſtros,*
*Et Libys in longo pulvere ſudet eques.*

CATHEDRALICII enim, pueri huiuſmodi, à Cathedris fœminarum dicti ſunt. [e] Horatius;

e lib. 1. Sat. ul.

*—— Demetri, teque Tigelli*
*Diſcipularum inter jubeo plorare cathedras.*

f lib. 4. el. 5. [f] Propertius,

*Supplex ille ſedet, poſita tu ſcribe cathedra*
*Quidlibet, has artes ſi pavet ille, tenes.*

g Lib. 5. [g] Phædrus,

*Habebat quidam filiam turpiſſimam,*
*Idemque inſigni & pulcra facie filium.*
*His ſpeculum in cathedra matris ſuppoſitum fuit &c.*

h Lib. 5. 110. [h] Martialis:

*Inter fœmineas tota qui luce cathedras*
*Deſidet ——*

a Sat. 6. [a] Iuvenalis,

*—— famam contepſerat olim,*
*Cuius apud molles minima eſt iactura cathedras.*

b lib. 3. ep. 16. [b] Plinius iunior de Arria noſtra; *dum hæc dixit, exiluit cathedram, adverſoque parieti caput ingenti impetu*

impe-

*impegit, & corruit*. De Lecticarijs hæc habet [c] Seneca; *quid refert quot habeat Lecticarios, quàm oneratas aures, quàm laxam ſellam?* [d] Iuvenalis, [c in Sap. non cad. iniur. cap. 14.] [d Sat. 6.]

*Nec melior, ſilicem pedibus quæ conterit atrum,*
*Quàm quæ longorum vehitur cervice Syrorum.*
*Ut ſpectet ludos conducit Ogulnia veſtem,*
*Conducit Comites, Sellam, Cervical, Amicas,*
*Nutricem, & flavam cui det mandata puellam.*

Et ſanè hæc oſtentatio Romæ olim & viros adegit, ut conducerent greges AMICORVM; eo videlicet conſilio ut divitias & opulentiam iactarent [e]. Martialis: [e Lib. 2. 64.]

*Cinctum togatis poſt & ante Saufellum,*
*Quanta reduci Regulus ſolet turba,*
*Ad alta tonſum templa cum reum miſit*
*Materne cernis? invidere nolito.*
*Comitatus iſte ſit precor tuus numquam,*
*Hos illi Amicos & greges togatorum*
*Fuſciculenus præſtat & Faventinus.*

Imò ut ipſa iactantia ſe proderet magis, Kalendaria (ut ita dixerim) amicorum excogitata ſunt, in quæ nomina illorum referentur. [f] Seneca: *neſcis quantum ſit precium amicitiæ, ſi non intelligis multum ei daturum, cui dederis amicum; rem non domibus tantum, ſed ſæculis raram, quæ non alicubi magis deeſt, quàm ubi creditur abundare. Quid? iſtos tu Libros, quos vix Nomenclatorum complectitur aut memoria aut manus, amicorum exiſtimas eſſe? Non ſunt iſti amici, qui agmine magno ianuam pulſant, qui in primas & ſecundas admiſſiones digeruntur. conſuetudo iſta vetus eſt Regibus, Regeſque ſimulantibus, populum amicorum deſcribere.* [f lib. 6. de Benef. cap. 33.]

Neſcio quid ſimile ſtomachatur Vmbricius apud [a] Juvenalem; ex novitia tamen & nuper recepta lectione, [a Sat. III.]

 *omnia*

— *omnia Romæ*
*Cum precio, quid das ut Coſſum aliquando ſalutes?*
*Ut te reſpiciat clauſo Vejento labello?*
*Ille metit barbam, crinem hic deponit amati.*
*Plena domus libris venalibus.* —

At in aula Palatina erant Liberti, qui curam gererent amicorum Principis. olim legebantur Romæ epigrammata ſepulchralia,

TI. CLAVDIVS. AVG.
LIB. FORTVNATVS. A
CVRA. AMICORVM

&,

D M
LIBERTORVM
T. FLAVI. AVG. LIB
VICTORIS
A CVRA. AMICORVM

&

M. VLPIVS
AVG. L.
A CVRA AMICORVM

At hæc frequenter dicis cauſa facta ſunt. *etenim in Principum domo* (ſcribit b Plinius) *nomen tantum amicitiæ, inane ſcilicet, irriſumque remanebat. nam quæ poterat eſſe inter eos amicitia, quorum ſibi alij domini, alij ſervi videbantur?* Vtcunque ſit, fuit hęc tam apud Principes, quàm apud privatos caritatis & benevolentiæ plena compellatio. hinc illæ voces a Druſi; *ecquando, propinqui amicique ſimilem mei civem habebit Reſpublica?* b Tiberij in codicillis, *compotores & coepulones* Pomponium Flaccum, & L. Piſonem, *jucundiſſimos*

b in Panegyr.

a Vell. Patercul. lib. 2.
b Sueton. Tiber. cap. 42.

*diſſimos & omnium horarum amicos* profitentis. Trimalcionis apud Petronium; *amici, nondum mihi ſuave erat in Triclinium venire.* &, *amici, pavonis ova gallinæ iuſſi ſupponi.* [c] Titi Cæſaris; *amici, diem perdidi.* [d] Socratis; *hic ille erat, amici, de Academia cupidinis cygnus.* Ita convivij dominus apud [e] Lucam Evangeliſtam: *φίλε προσανάβηθι ἀνώτερον.* ipſe [f] CHRISTVS dominus diſcipulos alloquens; *ὑμεῖς φίλοι μου ἐστέ.* Idem valuit vox *ἑταῖρος.* Rex apud [g] Matthæum: *ἑταῖρε, πῶς εἰσῆλθες ὧδε, μὴ ἔχων ἔνδυμα γάμου.* IESVS apud [h] eumdem; *ἑταῖρε, ἐφ' ᾧ πάρει;* Socrates apud [i] Caſſianum; *πάνσαθε ἑταῖροι, εἰμὶ γὰρ, ἐπέχω δέ.* unde forſan magnus [k] Eteriarches in aula Conſtantinopolitana. Ad rem. IVNCTORES iungebant rhedam equis vel mulis, & meminit [l] Alfenus his verbis: *& ſibi videri eos demum uſus ſui cauſa patrem familias habere, qui ad eius corpus tuendum,* atque ipſius cultum præpoſiti deſtinatique eſſent. quo in genere Iunctores, Cubicularij, Coci, Miniſtratores atque alij. Et quamvis [m] CVIACIVS & [n] VICTORIVS Unctores legant, non placet tamen à pandectarum Florentinorum lectione diſcedere, adſtipulante præſertim [o] Cuiacio; Iungere enim hoc ſenſu probum *verbum eſt, & inde Iuncturæ apud* [p] *Capitolinum: data etiam vehicula cum mulabus ac mulionibus, cum* iuncturis argenteis, ut ita de convivio redirent. Ancillas præter has omnes, negociationi à dominabus fuiſſe præpoſitas ICti teſtantur

c Sueton. Tito. cap 8.
d Appuleius de dogm. Plat.
e cap. 14.
f Iohan. 15.
g cap. 22.
h cap. 16.
i collat. 13. cap 5.
k apud Curopalat.
l L. 203. de verb. ſign.
m ad dictum caput Alfeni in comm. ex Bibl. P. Pithoei
n lib. 37. Var. cap. 1.
o qui retractauit lib. 14. obſer. cap. 3.
p in L. Vero.
q L. 7. & 8. de Inſt. act. L. 5. §. ſi vicarius in ſi. de tributor act.

## CAPUT XXI.

*De Servio ab aliqua ædium parte nomen habentibus.*

REſtat nunc urbani ſervitij quam recenſeamus extrema cohors; illa ſcilicet, quæ nomen ſortita fuit ab ædium partibus, ſive malumus membris. Ædes verò ipſæ eâ laxitate fuerunt, ut non excluderent myriadas illa ſervorum, quas alibi explicuimus. Seneca certè capacia [b] POPULORUM tecta, domos inſtar URBIUM, nonſemel inculcat. [c] Eiuſdem hæc ſunt: *ubi luxuriam latè felicitas fudit, cultus primum corporum eſſe diligentior incipit. deinde ſuppellectili laboratur. deinde in ipſas domos impenditur cura, ut in* LAXITATEM RURIS *excurrant, ut parietes advectis trans maria marmoribus fulgeant, ut tecta varientur auro, ut lacunaribus pavimentorum reſpondeat nitor.* &c. [d] Iuvenalis eadem expreſſit carmine;

*Quid refert igitur quantis iumenta fatiget*
*Porticibus; quanta nemorum vectetur in umbra;*
*Jugera quot vicina foro, quas emerit ædes?*

Nec verò non reſpondebant hiſce ſpatijs aulæ æmulæ urbium, capaces populi, & Cœnationes, & Porticus, Veſtibula, Atria, Periſtylia, Bibliothecę, Pinacothecæ, Baſilicæ, & alia ad decorem maieſtatis perfecta, & publicorum operum magnificentiam comparata. In ſumma, domorum ea fuit amplitudo, ut domini (prout temporis conditio exigebat) quibuſdam membris [e] uterentur, quibuſdam non. OSTIARIUS, quem Clauſtritüum appellat [f] Lęnius, puerum ab Janua [g] Cornelius Nepos, aditum obſidebat, ut admitteret nimirum, vel dimitteret eos

[b] Epiſt. 90.
[c] Epiſt. 114
[d] Sat. 4.
[e] L. penult. de uſu & habitu
[f] apud Gell. li. 12. cap. 10.
[g] Hannibale.

eos, qui dominum conveniebant. D. [h] Bernardus; *cum enim* CHRISTVS *cordis oſtium cuſtodit, & eſt cordis oſtiarius, ut per illum ingrediantur, & egrediantur omnes familiæ cordis conſequenter adſunt millia millium Angelorum, ad fores exteriorum ſenſuum excubantium; nec audet alienigena irrumpere terribiles illas acies, propter Oſtiarij reverentiam, & Angelorum cuſtodiam.* [a] Cicero: *neminem à congreſſu meo neque Ianitor meus, neque ſomnus abſterruit.* [b] Martialis, — h meditationum cap. 5 — a pro Plancio — b Lib. 5. 23.

*Illud adhuc gravius, quod te poſt mille labores*
*Paule negat laſſo Ianitor eſſe domi.*

EXCVBIAE, quas tangit D. Bernardus, Regum & Cæſarum fuerunt. [c] Statius; — c lib. 1. Thebaid.

*Non impacatis Regum advigilantia ſomnis*
*Pila, nec alterna ferri ſtatione gementes*
*Excubiæ.* —

[d] Cornelius Tacitus: *coniuratis tamen metu proditionis placitum, maturare cędem apud Baias, in villa Piſonis, cuius amœnitate captus Cęſar crebrò ventitabat, balneaſque, & epulas inibat, omiſſis excubijs, & fortunę ſuę mole.* [e] Rutilius Numatianus, — d lib. 15. anna — e Lib. 1.

*Prębet equos, offert etiam carpenta Tribunus,*
*Ex commilitio carus & ipſe mihi:*
*Officijs regerem cum regia tecta magiſter,*
*Armigeraſque pij Principis excubias.*

Et hæ EXCVBIAE, & CVSTODES in veſtibulis fuerunt. [f] Virgilius Butęn fidum ad limina cuſtodem appellat. Idem [g] poeta; — f lib. 9. Aen. — g lib. 6. Aen.

*Tiſiphoneque ſedens, palla ſuccincta cruenta,*
*Veſtibulum inſomnis ſervat nocteſque dieſque.*

quem imitatus eſt [h] Silius; — h Lib. 13.

*Ante aulam atque aditus, & inexorabile limen*
*Quanta cohors [illegible] omini ſtabulante per avia monſtro,*

*Excubat?* —

*a 6. Aen.* [a] Virgilius;

— *cernis* CVSTODIA *qualis*
*Veſtibulo ſedeat?* —

*b de mundo.* [b] Appuleius; *ante fores viri fortes, ſtipatoreſque regalium laterum, tutela pervigili,* CVSTODIAM *per vices fortium ſuſtinebant. erant inter eos diviſa officia, in comitatu Regio armigeri quidam, at extrinſecus ſinguli cuſtodes locorum erant, & Janitores, & Atrienſes.* Et hinc Nautam ſtationarium in ſcapha, CVSTODEM appellat Petronius. Fuit enim Scapha veſtibulum navis. Hinc
*c Lib. 5.* Diphilus apud [c] Athenæum ſcriptum reliquit;

Αὐλὰς θεραπεύειν ἔστιν ὡς ἐμοὶ δοκεῖ
ἢ φυγάδος, ἢ πεινῶντος, ἢ μαστιγίου.

Ceterum Excubiarum Palatinarum imaginem ne-
*d Lib. 3.* mo melius [d] Corippo expreſſit. Neque verò privati non habuerunt & ipſi ſuas Excubias, ut inferius videbimus, & adnotavit ad Tacitum eruditiſſimus
*e lib. 14. annal.* I. [e] LIPSIVS. Ad Oſtiarium ut revertamur, is fuit
*f in præfat. Lib. 1.* cathenatus. [f] Columella: *an putem fortunatius à cathenato repulſum Janitore, ſæpè nocte ſera foribus ingratis adiacere?* Et hæc ſunt Oſtiarij impedimenta
*g Feſtus in Trintimnaro* apud [g] Afranium. [h] Svetonius: *L. Votacilius Pilutus*
*h de clar. Rhetor.* *ſeruiſſe dicitur, atque etiam Oſtiarius veteri more in cathena fuiſſe.* Quod autem idem auctor de Lenæo Grammatico ſcriptum reliquit: *puerum adhuc cathenis ſubreptum refugiſſe in patriam,* non eſt quod de Oſtiario interpretemur. Scriptura enim (me conjectore) liquido mendoſa eſt, quam unius elementi detractione emendabimus, legendo; *traditur autem puer adhuc Athenis ſubreptus, refugiſſe in patriam, perceptiſque liberalibus diſciplinis, precium domino ſuo retuliſſe: verùm ob ingenium & doctrinam gratis manumiſſus.*

*miſſus*. Notanda autem ſunt Svetonij verba, *veteri more*. Quæ indicant non ita factum fuiſse ætate Svetonij. Et ſanè longo etiam poſt ipſum interuallo legimus apud [a] Corippum, cathenas à Janitore in Januam translatas fuiſse; [a] Lib. ii

*Et iam crebra manus veloci concita pulſu,*
*Limina quaſſabat ductis munita cathenis.*
*Ad ſtrepitum cuſtos, cura eſt cui clauſtra tueri,*
*Sic ait indignans.* —

Oſtiarij comes plerumque fuit canis. [b] Plautus; [b] Moſtellaria.

— *Tranio age canem*
*Iſtam à foribus face abducas* —

[c] Svetonius de Vitellio Imp. latebras quærente: [c] cap. 16. *confugitque in cellulam Janitoris, religato pro foribus cane*. [d] Seneca: *iratum vidiſti amicum tuum Oſtiario Cauſidici alicuius, aut divitis, quod intrantem ſubmoverat, & ipſe pro illo iratus extremo mancipio fuiſti. iraſceris ergò cathenario cani? & hic cum multum latravit, obiecto cibo manſueſcit*. Et hic erat mutus, vel potius vocalis cuſtos, qui Excubitore dormiente vigilaret. Janitori enim vigilia indicta erat. [e] CHRISTVS dominus noſter: *ſicut homo, qui peregrè profectus, reliquit domum ſuam, & dedit ſervis ſuis poteſtatem cuiuſque operis, & Janitori præcepit ut vigilet*. Alluſit ad hoc (ita liceat appellare) cynicum munus, parabola quæ extat divitis comeſſatoris apud D. [f] Lucam, ut rectè animadvertit [g] Petrus Chryſologus. Inquit enim; *ſed dicis dives, ego etſi vinum negavi, aquam peto, quam communem cunctis animantibus auctor ipſe omnium præſtitit & natura puto dives, quod & aquam pauperi tu negaſti, cui ne ingrederetur Januam tuam, ne ad tuum puteum perveniret, canes quamplurimos obieciſti*. Erant autem & qui pone Januam canem pictum

[d] lib. 3. de ira cap 37.
[e] Marci 13. nu. 34.
[f] cap. 16. nu 10
[g] Serm. 123.

haberent, ut apud Petronium Trimalcio. At quid ad hæc pictores noſtri? qui in Triclinio divitis Lazarum delineant? poteſt ne quidquam ineptius aut cogitari aut fingi? ſcilicet Ianitores admiſiſſent hominem ſcatentem ulceribus, dorſo ipſi luituri quidquid oculos nauſeabundi domini offendiſſet Canes verò immanes illi Villatici & Venatici, num oblectabant cœnantem dominum? apage. Catelli quidem in deliciis tricliniaribus habiti ſunt, ut teſtatur mulier Chananæa apud Matthæum, & indicant ſcalpturæ antiquorum [b] marmorum: ceterum Moloſſos, & eius generis reliquos, nemo in convictum, niſi amens aut ruſticus recepiſſet. At quiſquis pictorum noſtrorum penè omnium pravitatem corrigere voluerit, is profectò ocium deſperaverit omninò: adeò ineruditi ſunt, adeò cognitionem omnem antiquitatis turpiter abiecerunt. Ianitorum erat ignem ſervare, ut memini me alicubi apud [c] Ariſtidem obſervaſſe, Ignem videlicet Larum familiarium, qui in Atrio fuit non procul ab Janua. [d] Ovidius,

*Omnis habet geminas hinc atque hinc Janua frontes,*
*E quibus hæc populum ſpectat, at illa Larem.*

Lar autem Genius Focorum fuit inquit [e] Arnobius. ideoq; Lares nigros vocavit [f] Prudentius & in veteri denario gentis Cæſiæ, Laribus Vulcanus ſuperponitur. [g] Servius autem Tullius Lari familiaris filius creditus, quod eius mater conceperit in Foco: in cuius conceptus gratiam compitalia Laribus, & Ludos idem inſtituit. His venerationis gratia conſueverat ignis accendi. [h] Capitolinus; *& cum apud Lares ſacrificaret, carbones vivaciſſimi extincti ſunt, cum inflammari ſoleant.* Et hinc apud nos vernacula vox

Foco-

a Cap. 15.
b F. Vrſinus in appen. ad Ciaccon. de Triclin.
c Sacr. Serm. 5. in princ.
d Lib. 1. Faſt.
e Lib. 4.
f Lib. 1. contra Symm.
g Dionyſius Halicarnaſſ. lib. 4.
h Pertinace

Focolare, quaſi Focus Laris, quod & alij notaverunt. Hinc [a] Sedulius: a lib. 1. carm.

*Hic laticem colit, ille Larem: ſed iungere ſacris*
*Non audent inimica ſuis, ne lite propinqua,*
*Aut rogus exiguas deſiccet fortior undas,*
*Aut validis tenues moriantur fontibus ignes.*

Et ex his quæ contexuimus, non malè divinet quiſpiam, Sarmentum illum, cuius meminerunt [b] Plutarchus, [c] Horatius, & [d] Iuvenalis, Ianitorem aliquando in cathena fuiſſe. Horatius videtur aſſerere; b Antonio. c lib. 1. Sat. 5. d Sat. 5.

*Multa Cicerrus ad hæc: donaſſet jamne cathenam*
*Ex voto Laribus quærebat. Scriba quod eſſet,*
*Deterius nihilo dominæ ius eſſe.* ——

Confirmat Petronius, qui Lares argenteos apud Trimalcionem, in ædicula inter ianuam & atrium videtur locare, in armario videlicet, ut infra explicabit nobis Plinius. Aliud Oſtiarii miniſterium tangit Petronius: *in æditu ipſo ſtabat Oſtiarius praſinatus, ceraſino ſuccinctus cingulo, atque in lance argentea piſum purgabat*. vile nimirum & ſordidum opus, quo & Venus [e] Pſychen exercuit. Invenimus quandoque mulieres etiam IANITRICES. [f] Plautus. e Appul. lib. 6 Metam. f in Curculione.

*Anus hic recubare ſolet cuſtos Ianitrix.*

Petronius: *quamvis non minus ſudoris habuimus etiam poſtquam ad ſtabulum pervenimus. Anus enim ipſa inter diverſitores diutius ingurgitata, ne ignem quidem admotum ſenſiſſet:* Inferius: *Anus præcipuè lippa, ſordidiſſimo præcincta linteo, ſoleis ligneis imparibus impoſita, canem ingentis magnitudinis cathena trahit, inſtigatq; in Eumolpum.* [a] Pauſanias etiam notat apud Homerum Ianitrices cæli horas. [b] Acta Paphnutij martyris: *Beatus verò Paphnutius, cũ per urbẽ ambularet, vidit ianuã cuiuſdam* a Lib. 5. b apud Surium To. 2.

*ditiſſimi hominis patefactū, acceſſit igitur, & mulieri quę ianuā cuſtodiebat, da inquit mihi filia paulū aquę ut bibā.* Ab hoc more ſunt ancilla oſtiaria in [c] Evangelio, & Rhode puella in [d] Actis Apoſtolorum, quæ pulſante oſtium Petro proceſſit ad audiendum, [e] Ianitores autem & Oſtiarii, ideò fores obſervabant, quia ſordidum videbatur appenſo ut olim marculo eas pulſare. Nos hac ſoluti religione, marculos recepimus, præclarè nobiſcum actum cenſentes, ſi oſtiarium non alamus. Ianitori proximus fuit miniſter, qui AIANO dictus eſt. Iano enim, à quo Ianuæ, aras Græci ante focos ſtatuebant, [f] Macrobio auctore. Latini videntur intus, & non uno in loco domus coluiſſe, ut qui apud ipſos omnibus Ianuis præeſſet. Ideoq; homines recenſentur in antiquis monumentis A IANO PRIMO PALATINO A IANO MEDIO, A IANO AB ATRIO. Scio futuros, qui hæc carpant, quod Iani ædificia grandia & pervia eſſent, non Signa; Fornices & Arcus publici, non Aræ privatorum. Hoc utut verum ſit, concedent tamen illi mihi, propè Atrium alicubi extitiſſe Ianos, quod perinde eſt, ac ſi dicamus, intra domeſticos parietes, cum præſertim non omninò repugnet, ſub Iano ſignum Iani collocatum fuiſſe, cum [g] Auguſtus Pompeij ſtatuam marmoreo Iano appoſuerit. Hæc nos timidè & dubitanter aſſerimus, non ignari tractari à nobis plerumque craſſiſſimas tenebras, quas ſi perrumpere aliquando nitamur, luce aliqua crepera, & dubia, nemo nobis paulò humanior vitio vortet. Subſequuntur ATRIENSES. poſt Veſtibulum enim Atrium, à quo & ATRIARII. Et huius proximitatis ratione antiquæ Gloſſæ illud [h] Juvenalis,

*— eſuriens migraret in atria Clio.*

De

[c] *Matthei 26. Marci 14. Lucæ 22 Iohann. 18*
[d] *cap 12.*
[e] *Plutarchus de curioſit.*
[f] *lib. 1. Saturnal. cap. 9.*
[g] *Suetonius Aug. cap. 31.*
[h] *Sat. 7.*

De Oſtiario, & cuſtode Atrienſi dictum interpretantur. Horum fuit Atrium tueri. [b] Varro; *ſi ab æde & tuendo Æditunus eſt, cur ab Atrio & tuendo non Atrituus ſit potius, quàm Atrienſis?* [c] Servius ad carmen Virgilianum; b lib. 7. de L. L. c lib. 9. Aen.

*Armiger ante fuit, fiduſque ad limina cuſtos.*

*Æditnus* (inquit) *fuit, quod ut ſupra diximus in ingenti honore apud maiores fuit; illic enim & epulabantur, & Deos colebant. Cenſus etiam omnes illic ſervabant, quod etiam Plautus in Aſinaria, qua inducit Saurium ſervum Atrienſem in tota familia plurimum poſſe.* Et ſanè operæ precium erit legiſſe eiuſdem fabulæ actus ſecundi ultimam ſcenam, nobilem planè. Idem Grammaticus in 1. Æn.

*— vocemque per ampla volutant*
*Atria —*

*ibi inquit & pecunias habebant. unde qui honoratiores erant, liminum cuſtodes adhibebantur.* ut

*— qui Dardanio Anchiſæ*
*Armiger ante fuit, fiduſque ad limina cuſtos.*

*ibi & culina erat, unde & atrium dictum eſt, quod atrium erat ex fumo.* hucuſque Servius. [d] Cicero: *atque ut in magna familia ſunt alij lautiores, ut ſibi videntur ſervi, ſed tamen ſervi, ut Atrienſes, alij inferiore loco, ut Mediaſtini*, &c. idem: *quid enim cenſes, ſi L. Mummius aliquem iſtorum videret, Mattellionem Corinthium cupidiſſimè tractantem, utrum illum civem excellentem, an Atrienſem ſervum diligentem putaret?* idem [e] Cicero, *exſtructa menſa non conchylijs aut piſcibus, ſed multa carne ſubrancida. Servi ſordidati miniſtrant, nonnulli etiam ſenes, idem coquus, idem Atrienſis.* omnia appoſitè ad ea, quæ tradit Servius; ut & illa Evangelica de Atrio ſummi Sacerdotis, in quo ad ignem d 5. Parad. e in Piſonem

&

& prunas calefaciebant ſe Petrus. Imò & quæ ha-
a cap. 11. 21. b cap. 12. 29. bentur apud [a] Lucam, & [b] Matthæum; *cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace ſunt ea quæ poſſidet.*
c lib. 9. Aen. mirificè illuſtrantur carmine [c] Virgiliano;

*Armiger antè fuit, fiduſque ad limina cuſtos.*

An verò Atrium lacunatum eſſet, vel ſub divo, implicita quæſtio eſt. [d] Vitruvius lacunaria non obſcurè in Atriis collocat. [e] Ovidius etiam;
d lib. 6. cap. 3. & 4
e Lib. 8.

*Pumice multicavo, nec levibus atria tophis*
*Structa ſubit, molli tellus erat humida muſco.*
*Summa lacunabant alterno murice conchæ.*

f Lib. 14. [f] &;

*— donec*
*Excipiunt famulæ, perque Atria marmore tecta*
*Ad dominum ducunt. —*

g lib. 4. Floridior. Appuleius: *ſed & Medici cum intraverint ad ægrum uti viſant, nemo eorum quod Tabulina perpulchra in ædibus cernant, & lacunaria auro oblita* &c. At lacunaria, & tablina non propriè in Atrio, ſed circa Atrium viſebantur; in porticibus nimirum quæ impluvium cingebant. Atrium enim ὕπαιθρον erat. Ovidius
h Caſaubonus ad Suetonium. autem & Auſonius (ut etiam [h] vir eruditiſſimus notat) pro Aula uſurpaverunt. De ſervo Atrienſe hæc habet [i] Phædrus;
i lib. 2. Fabul.

*Ex alticinctus unus Atrienſibus,*
*Cui tunica ab humeris linteo Peluſio*
*Erat deſtricta, cirris dependentibus.*

ubi quærat aliquis, quid ſibi per cirros voluerit Phædrus. Puerum ille cirratum intelligit, ut loquitur Perſius; qualem nobis exhibent imagines Antinoi,

quem

quem Imp. Hadriani Atrienſem fuiſſe teſtatur apud [a] Euſebium Hegeſippus. a lib. 4. hiſtor. Eccl cap. 8. ex verſione Chriſtophorſon.









in Achate gemma.

In huius icones non omninò convenit illud [b] Martialis, b Lib. 1. 112.

*— molleſque flagellent*

*— Colla comæ.*

cum ſint neque promiſſo capillo, neque detonſo, ſed cirrato & leuiter diffuſo, quem comæ tenorem ſervant omnes Antinoi imagines. Vt ex his & Phædri carmine liceat ſuſpicari, Atrienſes perpetuò cirratos fuiſſe neque aluiſſe comam prolixam, vel attondiſſe eandem, ſed longiuſculam ſiuiſſe in uſum cirrorum. Et hic quidem fuit cynædus ille de pædagogio aulico deus, cuius meminit [a] Tertullianus, dignus planè, quem Ganymedes conſeſſu dignaretur, & reciperet in contubernium Zamolxis, è fugitivo Pythagoræ apud barbaros [b] deus. Erat autem in Atrio [c] Tablinum, in quo ſervabantur [d] codices rerum in magiſtrum: geſtarum: erat [e] Armaria, quæ imagines maiorum continerent. Quo reſpexit [f] Val. Maximus; *imaginem in cella Jovis Opt. Max, poſitam habet, quæ quotieſcumque funus aliquod Corneliæ genti celebrandum eſt, inde petitur, unique illi inſtar Atrij Capitolium eſt*. In locum imaginum irrepſerunt exinde (ut conqueritur [g] Plinius) ſigna externorum artificum, æra & marmora, ut etiam notavit in Atrio Trimalcionis Petronius. Neque alius quàm Atrienſis videtur fuiſſe, qui ab ATRIO CVRANDO, vel ATRI CVRANDI appellatur in antiquo elogio. Niſi dicamus fuiſſe recenſitorem quempiam officioſorum hominum, quorum catervæ in Atrio diſponebantur. Et quidni Nomenclatorem, qui domino ſalutantium nomen inſuſurraret? Bibliothecæ autem, quarum hic apta omninò ſtatio eſt, adeò inſederant omnes domos, ut in ipſas declamaverit [h] Seneca his verbis; *Studiorum quoque quæ liberaliſſima impenſa eſt, tamdiu rationem habebo, quamdiu modum. quo mihi innu-*

*mera-*

a Apologet. cap. 13.

b Aeneas Gazaeus in Theophr.

c Vitruv. l.b. 6. cap. 4.

d Plin lib. 35 cap. 2

e Iuvenalis Sat 8.

f lib. 8. cap. 16.

g Loco cit.

h de Tranquill. cap. 9.

*merabiles libros & bibliothecas, quarum dominus vix tota vita ſua Indices perlegit?* Et: *ſicut pleriſque ignaris etiam ſervilium litterarum, libri non ſtudiorum inſtrumenta, ſed cœnationum ornamenta ſunt.* De hominibus qui hæc tractabant quoniam non nihil diximus ſupra, ad Pinacothecas tranſeamus, quæ & ipſæ ad inſaniam uſque receptæ privatim ſunt. [a] Vitruvius in ædium metatione, ipſarum rationem non ſemel ſibi habendam conſtituit: improbavitque [b] Plinius nimium ſtudium, quod in illis inſtruendis & referciendis paſſim ponebatur. Et quidem tabulas pictas videntur curaſſe Pictores, quos ſemel indicaviſſe ſufficiet. Iam verò OFFICINATOR A STATVIS, cuiuſmodi legitur fuiſſe Eutyches neſcio quis Auguſtorum Libertus; & Hermeros Ti. Claudii Cæſaris ſervus Themidianus AB MARMORIBVS MAGISTER, faciunt ut credam, apud Cæſares ſaltem, non Pinacothecas tantum, ſed & Agalmatothecas (ita liceat appellare) in deliciis fuiſſe, privati enim his Atria referſerant ſua. Officinatorem à ſtatuis, intelligo Fabrum ſtatuarium, proximè ad vim vocis, quam & [c] Vitruvius, aliis intactam uſurpavit. Explicat autem BERNARDINVS BALDVS, in perpetuo ad Vitruvium commentario. Interioris domus portio cubicula ſunt, in quæ quod etiam moribus noſtris, introire paſſim non licet, ADMISSIONALES evocabimus. [d] Macrobius; *dum iſta narrantur, unus è famulitio, cui provincia erat admittere volentes dominum convenire, Evangelum adeſſe nunciat cum Dyſario.* [e] Lampridius: *cum amicis tam familiariter vixit, ut communis eſſet ei ſæpè conſeſſus, iret & ad convivia eorum, aliquos etiam haberet, quotidianos etiam non vocatos; ſalutaretur verò quaſi unus de Senatoribus, patente velo,*

a lib. 6. cap. 7

b lib. 35. ca. 2.

c lib. 6. cap. ult.

d lib. 1. Saturnal. cap. 7.

e in Alexandro.

*Admiſſionalibus remotis*. [a] Seneca huc reſpexit: *ignovit abavus tuus victis. nam ſi ignoviſſet, quibus imperaſſet? Salluſtium, & Cocceium, & Duillios, & totam cohortem primam interioris admiſſiones, ex adverſariorum caſtris conſcripſit*. rectè, *interioris admiſſionis*. erat enim non unica tantum admiſſio. idem [b] auctor: *eſt proprium ſuperbiæ magno æſtimare introitum, ac tactum ſui liminis, pro honore dare, ut oſtio ſuo propius aſſideas, ut gradum prior intra domum ponas, in qua deinceps multa ſunt oſtia, quæ receptos quoque excludant*. Nec alios quàm Admiſſionales innuit moleſtus ille nugator apud [c] Horatium;

— *haud mihi deero,*
*Muneribus ſervos corrumpam, non hodie ſi*
*Excluſus fuero, deſiſtam*. —

In aula apud Cæſares his præerat MAGISTER ADMISSIONVM. [d] Ammianus; *ſummiſſis verbis fit Urſicini mentio, ut conſilij rei bellicæ præſtantiſſimi, fruſtraque gravi iniuria laceſſiti, & per admiſſionum magiſtrum, qui mos eſt honoratior, accito eodem, ingreſſo conſiſtorium offertur purpura*. &c. hic autem MAGISTER etiam dictus eſt ſine ulla alia adiectione, & hinc apud [e] Caſſiodorum legitur formula magiſteriæ dignitatis: & apud Corippum infra videbimus. Admiſſionales ipſi, ex officio admiſſionis aliter dicebantur. [f] Svetonius; *trepidum eum interdicta aula ſub Nerone, quærentemque quidnam ageret, aut quo abiret, quidam ex officio admiſſionis ſimul expellens, abire Morboniam iuſſerat*. Magiſtro ipſi, quem diximus, is videtur adſignatus vicarius, quem proximum Admiſſionum vocat [a] Ammianus, & adiutorem magiſtri [b] Caſsiodorus. At quia retulimus, Alexandrum Imperatorem ſalutari conſueviſſe patent Velo; Velum (ut in hæc etiam

[a] de Clemētia cap. 10. lib. 1
[b] lib. 6. de beneſ. cap. 33.
[c] lib. 1. Sat. 9
[d] Lib. 15.
[e] lib. 6. variar.
[f] Veſpaſ. cap 14.
[a] Lib. 18.
[b] lib. 6. variar.

etiam intima lectorem noſtrum calamo ducamus ) obtendebatur foribus cubiculi Imperatorij, ut oculos arceret. [c] Corippus; c Lib. 3.

*Ut lætus Princeps ſolium conſcendit in altum,*
*Membraque purpurea præcelſus veſte locavit,*
*Legatos Avarum iuſſos intrare Magiſter,*
*Ante fores primus divinæ nunciat aulæ.*
*Orantes ſe ſe veſtigia ſacra videre*
*Clementis domini; quos voce & mente benignus*
*Imperat admitti. ——*

idem;

*Verum ut contracto patuerunt intima Velo*
*Oſtia, & aurati micuerunt atria tecti,*
*Cæſareumque caput diademate fulgere ſacro*
*Ter gazis ſuſpexit Avar. ——*

Et hoc Paulo Diacono ſacrum velamen eſt: *Italiam ei per pragmaticum tribuens, ſacri etiam velaminis dono confirmavit.* Ante Corippum Lampridius de Elagabalo ſcribens: *qui ſubitò militum ſtrepitu exterritus, in angulum ſe condit, obiectuque Veli cubicularis, quod in introitu erat cubiculi, ſe texit.* Videntur autem in Palatio frequentia fuiſse Vela, tum quia [e] Svetonius ſcribit, prætenſa fuiſſe foribus etiam ſolarij Vela, tum quia VELARIORVM præſidatum & præfecturam in domo Auguſta fuiſse liquidum eſt. Neapoli;

d lib. 16. de geſt. Rom.

e Claudio cap. 10.

D. M
L. FLAVI. AVG
LIB. PRIMIGENI
SVPRA. VELARIOS

Romæ;

## TI. CL. THALLVS

### PRAEPOSITVS. VELARIORVM DOMVS. AVGVSTAE &c rel.

Neque Romani tantum Principes conclavium fores Velis obtexerunt, ſed & Barbari. [a] Sidonius de Theodorici Regis VViſigothorum ſtipatoribus: *circumſiſtit ſellam comes armiger, pellitorum turba ſatellitum ne abſit, admittitur, ne obſtrepat, eliminatur, ſicque pro foribus immurmurat excluſa Velis, incluſa cancellis.* Quod autem diximus hoc factitatum fuiſſe, ut Velum viſum arceret, ea quidem cauſa fuit, ſed & alia propior & penè ſola, ratio venerationis, quæ & in privatorum ædibus (ut dicemus) pro ſuo modo fuit. Deorum ſanè ſimulachra antiquitus obiecto Velo abdebantur. [b] Appuleius: *ac dum Velis candentibus reductis in diverſum, Deæ venerabilem conſpectum apprecamur.* [c] Sulpicius Severus; *quia eſſet hæc Gallorum ruſticis conſuetudo, ſimulachra Dæmonum candido tecta velamine, miſera per agros ſuos circumferre dementia.* Hoc autem à Diabolo fuit, qui Velum tabernaculi, & Velum templi ridiculè voluit æmulari, ut & alia huius generis ſexcenta. A ſimulachris, Velamentorum obiectus trranſivit ad conſiſtoria Iudicum. [d] Conſtantius Imperator; *non ſit venale Iudicis Velum, non ingreſſus redempti, non infame licitationibus Secretarium, non viſio ipſa Præſidis cum precio.* Ab his ad limina Grammaticorum, in honorem ſecreti, an verò in tegumentum erroris, dubitat D. [a] Auguſtinus. in ſumma quidquid habdendum fuit,

[a] Epiſt. cit.

[b] lib. 11. meta.

[c] lib. 1. de vita D. Martini.

[d] L. 1. C. Th. de Offic. Rector. Prov.

[a] lib. 1. conf. cap. 12.

Velo

Velo condebatur. [b] Martialis;

*At meretrix abigit teſtem, Veloq; ſeraq;*

extulitque [c] Auſonius proverbij loco,

*Non occurſatur, non garrulus; obvia cernens;*

*Valuis & Velo condita non adij.*

Quo forſan alludunt Vela in thalamo, quæ recenſet Chryſologus: *ex quo ad deſponſandum ſuam Eccleſiam Chriſtus advenit, thalamis ornatur Sponſæ, & ornatur auro fidei, argento ſapientiæ, virtutum gemmis, ſanctitatis Velis.* [e] Servius: *ideò autem etiam in domibus tendebantur aulæa, ut imitatio tentoriorum fieret, ſub quibus bellantes ſemper habitavere maiores unde & in thalamis hoc fieri hodie conſpicimus.* Apud nos retento Hebræorum more, velabantur olim aditus templorum & interni, & externi. [f] D. Hieronymus; *erat ergo ſollicitus ſi niteret Altare, ſi parietes abſque fuligine, ſi pavimenta terſa, ſi Ianitor ſemper in porta, ſi Vela ſemper in oſtijs.* [g] Gregorius Turonenſis: *alia quoque vela, quæ vel parietibus, vel oſtijs dependebant, ad primum flammæ flatum exuſta ſunt.* Indicant hæc veteres è muſivo picturæ, quas nos in abſidibus Altarium Romæ non ſemel contemplati ſumus. Imò ſuperſunt etiam hodie ibidem porticus templorum, veluti Alexii, Sabinæ, Auguſtini in ſchola Græca, Coſmatis, & Chryſogoni, in quibus cernuntur annuli velares inſerti adhuc ferreis vectibus. Anaſtaſius Bibliothecarius non ſemel; *Vela de fundato, Vela de Chryſoclavo, Vela de quadrapulo, Cortinam Alexandrinam, Vela alba holoſerica*: Et huius quidem loci forſan eſt inſcriptio, quę viſitur Coloniæ Agrippinæ;

b lib. 1. 91.
c Epiced. in Patrem.
d extremo ſermo. 22.
e 1. Aeneid.
f in Epitaph. Nepotiani.
g de glor. conf. ſor cap. 55.

# CASSIVS VELARIVS FANI. S. GER P. COM. STIP. XXVIIII. &c.

Cathedræ Epiſcoporum & ipſę velatæ fuerunt, ut notavit magnus [a] BARONIVS. Summi etiam Pontifices hæc videntur non reieciſſe; cum [b] Iohannes Diaconus ſcribat, Hebræos mercatores numquam fuiſſe admiſſos ad collocutionem, ſeu obtutum ſummi Pontificis, ſed extra Velum longiſſimæ porticus, non quidem in ſcamnis, ſed in pavimento ſedentes, ſuſcepta precia numeraſſe. Sepulchris etiam noſtrorum Vela pretendi conſueviſſe teſtatur abundè [c] Prudentius;

*Hinc maxima cura ſepulchris*
*Impenditur, hinc reſolutos*
*Honor ultimus accepit artus,*
*Et funeris ambitus ornat.*
*Candore nitentia claro*
*Prætendere lintea mos eſt.*

[d] Sedulius Iudam inceſſens;

*— ſed nil tibi gloria ſæve*
*Traditor illa dabat, pedibus conſiſtere nudis,*
*Qui ſenſu pollutus eras, velut omne ſepulchrum*
*Exteriora gerens albæ velamina formæ,*
*Sordibus interius, fœdoque cadavere plenum.*

Hic autem candor videtur perveniſſe ad nos ab Hebræorum conſuetudine, apud quos ſepulchra viſebantur [e] dealbata: & mirum eſt, niſi huc alluſerit [f] Paulus, Ananiam vocando parietem dealbatum. Quod & apud Ethnicos videtur obtinuiſſe. [g] Ammianus:

[a] in not. ad martyrolog. 18. Ianuar.
[b] in vita D. Gregorii apud Sur. To. 2.
[c] Cathemerin Hym. 10.
[d] lib. 5 carmi.
[e] Matthæi 23. 27.
[f] Actor. 23.
[g] Lib. 16.

mianus; *ſuaſitque conſarcinatis mendacijs, læſæ maieſtatis arceſſere maritum inſontem, & fingere quod velamen purpureum à Diocletiani ſepulchro ſuratus, quibuſdam conſcijs, occultabat.* [a] Alcimus Avitus; [a lib. 3. ca. 13]

*Ille quidem celſa, dudum qui floruit aula,*
*Fletibus ad tumulum ſtipato funere fertur,*
*Aurat oque datur conditus membra ſepulcro,*
*Et precioſa tegunt elatum lintea marmor.*

Tranſtulit autem & hunc ornatum ad ſepulchra Sanctorum Chriſtiana pietas, pallis lineis, & holoſericis impoſitis, ut videre ſæpè eſt apud Gregorium Turonenſem. Hæc de publicis Velis. Privati & ipſi foribus ſuis prætendebant. [b] Seneca: *nemo irrumpit, nemo cogitationem meam impedit, quæ hac ipſa fiducia procedit audacius. non crepuit ſubinde oſtium, non allevatur Velum.* [c] Ulpianus; *ſicut prothyrum domus, ſi velamen eſt,* inquit, *inſtrumento domus continetur:* Meminit autem idem I. Cs. Velorum, quæ frigoris vel umbræ cauſa in domo eſſent: Velorum ciliciorum, quæ ideò pararentur, ne ædificia vento vel pluvia laborarent. Velorum quæ in hypæthris, quæ circa columnas extenderentur; quibus addemus & nos Vela, & Aulæa triclinaria, item Vela amphitheatralia, quæ per milites claſſiarios (inquit [d] Lampridius) duci mos fuit. Admiſſionalium vicem functi ſunt apud privatos frequentius CVBICVLARII. [e] Cicero: *iam cetera Iuriſdictio nec imperita & clemens, cum admirabili facilitate. aditus autem ad me minimè provinciales. nihil per cubicularium, ante lucem inambulabam domi, ut olim candidatus.* Hi dominum tuebantur. quo fit ut [f] Alfenus cubicularios numeret inter eos, qui ad patriſfamilias corpus tuendum præpoſiti deſtinatique eſſent. [a] Quintilia-

[b Epiſt. 80.]
[c L. 12. de ſun. inſtr.]
[d in Cōm. de.]
[e lib. 6. ad At. ep. 2.]
[f L. 203. de verb. ſignif.]
[a Declam. 328.]

tilianus: *an verò parum juſtas ſæviendi cauſas habebam adverſus cubicularium? dominum ſuum non deſenderat, non ſervaverat, neſciebat quis dominum ſuum occidiſſet.* Hac ex cauſa [b] Tacitus excubias vocat: *ſanè conſilium occuluit, telum inter ignaros paravit. num excubias tranſiret, cubiculi fores recluderet, lumen inferret, cædem patraret, omnibus neſcijs?* Nec aliud [c] Cæſarem movit, cum in prædones incidiſſet, ut ceteris comitum ſervorumque dimiſſis, detineret Medicum, & cubicularios. ſcilicet illis carere poterat, his non poterat. In Palatio autem, Præpoſitum fuiſſe cubiculo, perhoneſtum munus fuit; ut de Helicone præfecto cubiculo Caij Cæſaris teſtatur [d] Philo. Contigit hoc Calligono, ut vidimus Valentiniani, & Parthenio Domitiani apud [e] Svetonium, qui & [f] Saturium quendam recenſet decurionem cubiculariorum. Erant enim non unus aut alter, qui apud Cæſares hoc munere fungerentur. [g] Capitolinus: *reliqui autem cubicularij Palatini (nam ſuos, ſtatim ut Imperator factus eſt, filijs emancipatis dederat) diffugerunt.* confirmat antiquum epigramma;

M. LIVIVS. AVGVSTAE
L. AMARANTHVS
SVPRA. CVBVCLARIOS

Hi verò gratioſi apud dominum, maximis quibuſque muneribus præficiebantur. [h] Caſſius enim cubicularius Alexandri Imperatoris, accerſit Martinam virginem. Neſcio quis [i] alius eiuſdem ordinis, Manuel, Sabel, & Iſmael martyres invitat ad ſacrificandum, Juliani Cæſaris nomine. [k] Maximus Almachij Præfecti urbi cubicularius, Valeriani & Tiburtij ſuppliciũ exigit. Hinc Tyrij & Sidonij, quibus infenſus erat Hero-

[b] L. 6. 1. Annal.
[c] Suetō. ca. 4.
[d] de legatione.
[e] cap. 16.
[f] cap. 17.
[g] Pertinace.
[h] [i] Sur. To. 3.
[k] Breviar. Rō. 14. Apr.

Herodes [a] Blaſto, qui erat ſuper cubiculum Regis, deprecatore uſi ſunt. Eodem reſpexerunt Legati Hebræorum, [b] Heliconem Libertum præfectum cubiculo Caij Cæſaris, obſequio & muneribus conati ſibi devincire. Notatque Lampridius, Commodum omnia ex nutu cubiculariorum ſemper feciſſe. Quod nemini mirum videri debet, cum Regium cubiculum ad rerum propè divinarum venerationem accederet. [c] Petrus Chryſologus: *quantum ſecretum cubiculi ſit regalis, quali reverentia, quo tremore locus habeatur, ubi ipſa Principis requieſcit poteſtas, quam nulli extraneo, immundo nemini, nulli infideli pateat illuc & permittatur acceſſus; quàm munda, quàm caſta, quàm fidelia ibidem præſtolentur obſequia, Imperialis aulæ manifeſtis docetur inſignibus.* Cubicularij autem armigerorum opera aliquando impleverunt. [d] Ammianus; *poſt abruptum periculum, cui adeò proximus fuit, ut galeam eius cubicularius ferens, auro lapilliſque diſtinctam, cum ipſo tegmine penitus introiret.* Quin & copiarum ductores fuerunt. [e] Anaſtaſius: *eodem tempore miſit Imperator Juſtinianus Narſetem eunuchum, & cubicularium ſuum in Italiam* &c. Quo fit, ut minime ſit mirandum, apud Reges [f] Anglorum, cubicularium, qui & camerarius dicebatur, ęs regium adſervaſſe. Item apud [g] Francos cubicularijs Regijs honorem aliquando maximum delatum fuiſſe. Et ab hac interiore cuſtodia cubicularij noſtri, ut dominicorum facinorum conſcij, in caput quandoque dominorum torquebantur, velut etiam alij promiſcuè ſervi. ut [h] Apuleius, & [i] Ammianus teſtantur. Habebat autem & cubiculum ſuos Lares. [a] Svetonius: *puer qui curæ Larium cubiculi ex conſuetudine aſſiſtens, interfuit cædi, hoc amplius narrabat* &c. Neque enim hęc de Laribus

[a] Actor. Apoſtolic. cap. 12.
[b] Philo de Legat.
[c] Serm. 141.
[d] Lib. 27.
[e] in Vigilio.
[f] Ealredus in vita S. Eduardi, apud Surium Tomo 1.
[g] Maßonius in Ludovico Balbo.
[h] lib. 10 metam.
[i] Lib. 28.
[a] Domitiano cap. 17.

communibus accipio, ſed Larario ut vocat [b] Lampridius: *uſus vivendi* (inquit) *eidem hic fuit, primum ut ſi facultas eſſet, id eſt ſi non cum uxore cubuiſſet, matutinis horis in Larario ſuo, in quo & divos Principes, ſed optimos & lectos, & animas ſanctiores, in queis & Apollonium, & quantum ſcriptor ſuorum temporum dicit, Chriſtum, Abraham, & Orpheum, & huiuſcemodi Deos habebat*. Idem ſecundi Lararij meminit, & Lararii maioris. Quod autem apud [c] Svetonium de Auguſto legimus; (*Thurinum cognominatum, ſatis certa probatione tradiderim, nactus puerilem imagunculam eius æream veterem, ferreis ac penè jam exoleſcentibus literis, hoc nomine inſcriptam; quæ dono à me Principi data inter cubiculares colitur*;) hoc ſanè ad cubicularios Lares referendum eſt. Nec alibi, quàm in hoc ſecreto Larario L. [d] Vitellius A. Imperatoris pater, imagines videtur coluiſſe aureas Narciſſi, & Pallantis Libertorum. Et quia ſanctos & beatos viros dormire in Domino uſurpat eccleſiaſtica loquendi conſuetudo, unde cœmeteria, & decantata ſeptem dormientium memoria; ideò [e] Leonem I. ſanctiſſimum Pontificem legimus, ſepulchris Apoſtolorum cuſtodes adhibuiſſe, qui dicuntur cubicularij, ex Clero Romano. Collegam cubiculario adſignabimus illum, cuius meminit [f] Ovidius;

*Fac plebem (mihi crede) tuam: ſit ſemper in illa*
*Janitor, & thalami qui iacet ante fores.*

à qua conſuetudine narrat [g] Dionyſius Halicarnaſſeus, Tarquinium, clam Janitoribus, qui ad cubiculi ianuam dormiebant, ſtricto gladio cubiculum Lucretiæ ingreſſum fuiſſe. Et hi erant CVSTODES cubiculares. [a] Iuvenalis,

[b] in Alexandro Severo.
[c] cap. 7.
[d] cap. 2.
[e] Anaſtaſius Bibliothec.
[f] lib. 2. de arte am.
[g] lib. 4. de his Fabius minor multa, Declam. 1. &
[a] Sat. 5.

*Pone*

*Pone ſeram, cohibe. ſed quis cuſtodiet ipſos*
*Cuſtodes?* ——

b Appuleius: *Barbarus iſte, cum neceſſariam profectionem pararet, pudicitiamque caro coniugio conſervare ſumma diligentia cuperet, ſervulum ſuum Myrmecen, fidelitate præcipua cognitum, ſecretum commonet, ſuæque dominæ* CVSTODIAM *omnem permittit*. Briſeis apud c Ovidium, b lib. 9. met. c Epiſt. 3. Hero.

*Sæpè ego decepto volui cuſtode reverti,*
*Sed me qui timidam prenderet hoſtis erat.*

d Ovidius ipſe: d lib. 2. amor El. 2.

*Quem penes eſt dominam ſervandi cura Bagoe.*

e &, e El. 3.

*Heu mihi quod dominam, nec vir, nec fœmina, ſervas.*

In hæc ædium intima conijciemus exoletos, imitatos fœminas pueros, in deliciis habitos, quos præterimus lubentes, ne turpi recenſendo miniſterio, honeſti lectoris, qualem nobis contingere cupimus, modeſtiæ incommodemus. Neque verò huic noſtrę cubiculi collocationi adverſantur dicta CHRISTI domini Lucę XI. Quod enim ibi paterfamilias lectum & cubiculum ianuę videtur applicuiſſe, id extra ordinem fuit, & magno cum myſterio. *O quàm dare vult* (exclamat f Chryſologus) *qui ſe inquietari taliter, taliter patitur ſuſcitari! O quàm neceſſitatis eſſe ſuæ, quod ſuæ poteſtatis eſt, vult videri! O quàm pulſanti iſte geſtivit occurrere, qui ſic ſecreti ſui cubile ipſam collocavit ad ianuam!* f Serm. 39.

## CAPUT XXII.

### *De Diætarijs.*

DIAETARIIS ſeu ZAETARIIS diæta nomen impoſuit. Diæta autem fuit vel cœnatio, vel cubi-

culum; vel cubiculum & triclinij appendix. [a] Abdias: *iam enim regnum paratum vobis, & ex coruſcantibus gemmis Zætas inſtructas, plenas gaudij, plenas epulis, plenas delicijs, plenas denique vita perpetua, & lumine æterno, parvo tempore amiſiſtis.* D. [b] Sebaſtianus: *quanto magis illarum vos debet pulchritudo invitare domorum, ubi ſunt triclinia auro puro radiantia, quæ ex gemmis & margaritis habent Zætas inſtructas?* Meminit autem non ſemel [c] Plinius iunior. Has, quia multæ erant in unica domo, diſcernebant appoſito nomine numinis alicuius, vel alterius cuiuſpiam rei. Exemplo ſit celebris apud Lucullum Apollinis diæta, & illa altera eidem cognominis, cuius in veteri lapide adhuc extat mentio;

a lib. 5. hiſtor eccl.

b apud Sur. Tom. 1.

c lib. 2. ep 17 lib. 5. ep. 6.

GESTATIO
CIRCINI. EXTERIOR
A DIAETA. APOLLINIS
AD. DIAETA. EANDEM
IN. CIRCVITV. P. ∞. CÇ
LXXVII.

Item in Palatio Hermæum, in quod receſſerat [d] Claudius, excluſus ab inſidiatoribus Caij Cæſaris. In eodem Palatio fuit cœnatio nomine Iovis, cuius meminit in Pertinace Capitolinus. Mica Domitiani, & Timonion Antonij, indice non egent, cum per ſe nota ſint ſatis. Verba etiam Dominica apud [e] Matthæum Evangeliſtam; εἴσελθε εἰς τὴν χαρὰν τοῦ κυρίου σου, *intra in gaudium Domini tui;* vix aliter Grammaticè, quàm de diæta, ſeu cœnaculo poſſunt intelligi, quod Dominus χαρὰν vel apellaſſet vel inſcripſiſſet. Et verò hæc ſeu inſcriptio, ſeu appellatio, non decebat locum, in quo (ut parcè dicam) gaudium, & hilaritas debacchabantur. Ad hæc,

d Suetonius Claudio, cap 10.

e cap 25.

ver-

verbum εἴσελθε, quod Latinè eſt intra, vel ſubi, eò nos ducit etiam invitos, uti etiam ſentit V. cl. IOH. GEORGIVS HERVVARTVS, Sereniſſimi BAVARIAE DVCIS intimus Conſiliarius, abſtruſarum antiquitatum promus & condus. Vox quoque ipſa χαρὰ de epulis ſumitur, ut animadvertit nobiliſſimus idē vir, in libro [a] Eſther; ἦγον αὐτὴν ἡμέραν μετὰ χαρᾶς, καὶ εὐφροσύνης. [a cap 9.] Servo autem id quod erat exuere cupienti, nihil fermè iucundius obtingere poterat, quàm cœnæ, & convictus dominici participem fieri. Et quidem [b] I. Cti. recenſuerunt ſpeciem manumiſſionis per accubitum ſervi à domino invitati, deſumpto forſan more è Saturnalibus feriis, quibus libertate Decembri, ut ille ait, ſervi dominabantur, domini ſerviebant. [b Caius inſtitutionum lib. 1. cap. 1.] Quod autem verba CHIRSTI Domini de convivio, & diæta accipienda ſint, confirmatur ex illis, quæ leguuntur apud eundem [c] Matthæum, καὶ τὸν ἀχρεῖον δοῦλον ἐκβάλλετε εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον. [c eod. cap. 25.] tenebræ enim exteriores ut animadvertit acutiſſimus MALDONATVS, opponuntur copioſo tædarum, lampadarum, lychnorum lumini, quo cœnaculum illuſtrabatur. Neque non huc pertinent ὁ κλαυθμὸς, καὶ ὁ βρυγμὸς τῶν ὀδόντων. Excluſum enim & eiectum, amictum ſindone ſuper nudo, ut ab Evangelio non abeamus, agentem ſub dio in tenebris, & metuentem ſibi, reputantemque ignominiam ſuam, ecquid aliud manebat quàm fletus & ſtridor dentium? Quæ ſi libero capiti contingebant, cur negemus eadem accidere potuiſſe infelici ſervulo, quem vili tunicula indutum, torqueret mala conſcientia perperam factorum, & domini præceps ira, ad flagella & cruces properantis? illa verò eiuſdem Matthæi; ἐπὶ πολλῶν σε καταστήσω, videant

cru-

eruditiores, an ad aptari poſſint ad triclinium C. Pompeij Trimalcionis, in cuius prima parte, ut ait Petronius, Procurator rationes accipiebat. Diætarios legimus, tum Philodeſpotum illum ex Hermæo, cuius [a] meminimus, tum hoſpitem Sanctorum martyrem, Caſtulum, qui Zætarius Palatii inſcribitur in [b] martyrologio. Zæta autem & Zætarius Diæta ſunt & Diætarius, ea formatione, qua [c] Zarrhytum pro Diarrhyto, pro Diabolo [d] Zabulum, pro Dianio Zanium & pronunciari, & ſcribi, alij obſervaverunt. Neque adeo mirum videri hoc ſinunt voces non paucæ, Latinæ ortu & notione, in quibus efferendis nos D in Z vertimus, ex communi tum Italicarum dialectorum, tum [e] nationum ferè omnium conſenſu. Nomen DEI ipſius apud Latinos ſunt qui derivent à voce Græca ΖΕΥΣ, ſolerti profectò & valdè probanda coniectura. Lapicidinæ ſeu Lautumiæ in agro Vicentino ſunt, indigenis & peregrinis ob novitatem ſpectaculi celeberrimæ, in quibus naturæ & artis pugna maior ſit an concordia, meritò ambigimus. Eas patria voce appellamus Coſtoza, antiquo nomine ſenſim & per licentiam, quam diximus, immutato; maioribus enim noſtris procul dubio re & nomine cuſtodia fuit. Et hæc in gratiam hominum noſtrorum dicta ſint. Ad Diætarios porrò ut revertamur, Diætis præfuit DIAETARCHVS. Romæ;

DIS. MANIBVS. DEXTRI
CÆSARIS. SERVO. DI
ÆTARCHO DOMVS
AVG. TREBONIA. LAV
DICE &c.

[a] Vet. inſcrip.
[b] 16 Mart.
[c] Surita ad itiner. Anton.
[d] Lipſi. de pronunc. cap. 16. Iſidor. lib. 20. orig. cap. 9.
[e] Mitalerius ad Val. Max.

Quod

Quod verò habent gloſſaria. *Atrienſis* Διαιτάριος, Διαιτάρχης, ex eo capite non improbamus, quod in Atrio ut diximus cœnabant veteres, & Diæta ut vidimus, cœnatio fuit, & cœnaculum.

## CAPUT XXIII.

### *De Ortulanis, & Aquarijs.*

OBlectamenta domus, Silvæ Ambulationes, Viridaria, licet [a] penſilia eſſent aliquando, in ſuperficiario tamen habitationis ſolo ut plurimum conſtituta erant. [b] Horatius.

*Nempe inter varias nutritur Silva columnas,*
*Laudaturque domus, longos quæ proſpicit agros.*

[c] Tibullus;

*Et nemora in domibus ſacros imitantia lucos,*
*Aurat æque trabes, marmoreumque ſolum.*

[d] Iuvenalis;

*Quid refert igitur quantis iumenta fatiget*
*Porticibus, quanta nemorum vectetur in umbra,*
*Iugera quot vicina foro, quas emerit ædes?*

[e] Martialis:

*Daphnonas, Platanonas, aerias cypariſſos;*
*Et non unius balnea ſolus habes.*

[f] Plinius: *Iam quidam Hortorum nomine in ipſa urbe delicias, agros, villaſque poſſident.* [g] Iuvenalis, cum dixiſſet,

*Tandem pro multis vix iugera bina dabantur*
*Vulneribus* ——

ſubdit;

*Nunc modus hic agri noſtro non ſufficit horto.*

His peculiares homines è ſervitio curam impendiſſe nemo negabit. Et Romæ olim profectò in muſæo

Car-

a Til. Seneca Ep. 122. Pastor lib. 5. controu.
b lib. 1. epiſt. 10.
c lib. 3. El. 3.
d Sat. 4.
e lib. 12. 50.
f lib. 19. cap.
g Sat. 14.

Carpenſi legebatur;

SEX. POMPEIO SALVIO SEX. POM. SER. A'. PEN

DICE. CEDRI. ITEM. AB. HORT. CVLT. H. S. E. &c.

En ſervum A' PENDICE CEDRI, & AB HORTORVM CVLTVRA. Et hic ſanè adnotanda eſt Pendicis vox, quæ à noſtris civitate donata, neſcio an alibi apud auctores Latinos legatur. Hanc frequentem apud Poetas noſtros, inepti profectò ſunt, qui ab appendice derivant. Ab horti cultura fuit genero Vandalorum Regis in Africa [a] Paulinus Nolanus Epiſcopus, ſanctiſſimus vir, qui ſeipſum pro redimendo viduæ filio, in ſervitutem dedit. At in familia Cæſarum VILLICI ſeu PROCVRATORES HORTORVM fuerunt, tam urbanorum, quàm ſuburbanorum, pro dignitate videlicet, ne dicam ſuperbia, divinæ domus;

a Gregor. lib. 3. Dial. cap. 1

D M
FELICI. CAES. SER
VILLICO. HORTORVM
MAIANORVM &c.

&:

GENIO
COETI. HERODIAN
PRAEGVSTATOR
DIVI. AVGVSTI
IDEM. POSTEA. VILLICVS. IN
HORTIS. SALVSTIANIS &c.

item;

LOCVM ADSIGNATVM. A. MOSCHO. PROC
HORTORVM. MAIANORVM. ET LAMIANOR

Reſpexit ad hoc hortenſe Cæſarum patrimonium iunior [b] Plinius: *circumfertur ſub nomine Cæſaris, tabula*

b Panegyr.

*bula ingens rerum venalium, quod ſit deteſtanda avaritia illius, qui tam multa concupiſcebat, cum haberet ſupervacua tam multa. tunc exitialis erat apud Principem huic laxior domus, illi amœnior villa. nunc Princeps in hæc eadem dominos quærit, ipſe inducit ipſos. illos magni aliquando Imperatoris hortos, illud numquam niſi Cæſaris ſuburbanum, licemur, emimus, implemus.* Et de his demum illud maioris [a] Senecæ iure dici poterat, *latiuſque nunc Villici, quàm Reges imperant.* SVBVILLICVS huius ordinis fuit, ut indicat titulus antiquus, [a lib. 5. contrau.]

HERMEROTI. VICARIO. SVO
LVPERCVS. SVBVILLICVS
HORTORVM. ANTONIANOR
BENEMERENTI. FECIT

Hoc autem muneris tetigit fortè [b] Seneca: *quo inquam te iſti efferunt? ad oſtium alicuius oſtiarij, ad hortos alicuius ne* ORDINARIVM *quidem habentis* OFFICIVM. Viridiaria ſeu viridaria inſtructa fuiſſe hominibus qui colerent & ornarent, probat ſepulcralis inſcriptio, [b lib. 3. de beneſ. cap. 28.]

L. CORNELII. L L. SASAE
MAGNII. VIRIDIARII
MONVMENTVM & rel.

AQVARII, præter illos publicos, etiam privati fuerunt, qui ſalientes curarent, pro familiarum quâ uſu, quâ voluptate. Aquæ ſanè in eam copiam immiſſæ ſunt in domos privatas, ut [c] Seneca Rhetor, in ſummis culminibus ædium, navigabilium piſcinarum freta haberi, alicubi teſtatus ſit. Horti adhæc, Cubicula, Cenacula, Balnea, & corruptelæ denique omnes (ut conqueritur Frontinus) perpetuis ſalientibus inſtructæ fuerunt. [d] Julius Paulus: *domo cum omni iure ſuo, ſicut inſtructa eſt, legata, ur-* [c lib. 5. controu.] [d lib. 3. Sent. tit. 7.]

*bana familia, item Artifices & Veſtiarij, & Zatarij, & Aquarij eidem domui ſervientes legato cedunt.* De publicis Aquarijs ſuperius ſatis dictum eſt. Hoc unum erit appendiculæ loco, M. Cœlium Rufum cum Tabernarijs, & Aquarijs pugnaſse, & quidem non cum hiſce noſtris, ſed cum illis qui ex familia publica erant.
a de aquæd. a Frontinus; *ac de vitijs huiuſmodi nec plura, nec meliora dici poſſunt, quàm à Cælio Ruſo dicta ſunt in ea concione, cui titulus eſt de Aquis.* Fuerunt & Aquarij Cæſariani, ut indicat antiquus titulus dedicationis, quem nos Romæ exſcripſimus.

NYMP. SANC. SAC EPICTETVS
AQVARIVS, AVG. N.

b Lib. 4. Aquariorum artes [b] Manilius recenſuit.

*Ille quoque inflexa, frontem qui proijcit urna,*
*Cognatas tribuit iuvenilis Aquarius artes.*
*Cernere ſub terris, undas inducere terris,*
*Ipſaque converſis aſpergere fluctibus aſtra,*
*Littoribuſque novis per luxum ludere ponto;*
*Et varios ſabricare lacus, & flumina ficta:*
*Et peregrinantes domibus ſuſpendere rivos;*
*Mille ſub hoc habitant artes, quas temperat unda.*

Neque verò lectori noſtro iniucundum fore arbitramur, ſi ad levandum tædium diuturnæ lectionis, ad amœnos illum fonticulos de duxerimus, ut aſſideat tantiſper, & parvâ interiectâ morâ vegetior exurgat. [c] Martialis;
c Lib. 7. 49.

*Fons dominæ, regina loci quo gaudet Hiantis,*
*Gloria conſpicuæ, deliciumque domus:*
*Cum tua tot niveis ornetur ripa miniſtris,*
*Et Ganymedæo luceat unda choro:*

*Quid*

*Quid facit Alcides ſylva ſacratus in iſta?* &c.

[a] idem alibi: [a] Lib. 7. 14.

*Quis puer hic nitidis adſiſtit Hiantidos undis,*
*Et fugit ad dominam Naida? numquid Hylas?*
*O benè quod ſylva colitur Tyrinthius iſta,*
*Et quod amatrices tam propè ſervat aquas?*
*Securus licet hos fontes Argive miniſtres.* &c.

En miniſtros FONTANOS, annumerandos gregi non magis Aquariorum, quam Pocillatorum turbæ Juriſconſulti autem noſtri vaſa hæc recenſent ſalientibus aquis accommodata; plumbeum Caſtellum, Fiſtulas ſub terra miſſas, Ahenum lateribus circumſtructum, Fiſtulas fictiles, Epiſtomia, Canales, Automata, Cantharos, Perſonas, Crateres, Vaſa ænea. Expreſſiones porrò aquarum Silani vocabantur. Earumdem moduli aut ad unciarum, aut ad digitorum rationem inſtituti erant. unde fit, ut apud [b] Paulum in epiſtola neſcio cuius legamus, ὕδατος τοῦ ῥέοντος δάκτυλον, *aquæ fluentis digitum*, appoſitè ad veterem inſcriptionem Sueſſanam, in qua ordo Decurionum Colonię Sueſſę, C. Titio cuidam Chreſimo permittit

[b] L. penult. de ſeruii. ruſt. præd.

VT. AQVAE. DIGITVS
IN. DOMO. EIVS. FLVERET

Aquariorum privatorum munera ex eorumdem familia publica ſatis patebunt. TOPIARII hortos exornabant, uti & nunc faciunt, & id quidem Hedera, Myrto, Lauru, Buxo, Chamædaphne, Adiantho, Acantho, & eiuſdem generis alijs. [c] Plinius de cupreſſo loquens: *trahiturque etiam in picturas opere hiſtoriali, venatus, claſſeſve, & imagines rerum tenui folio, brevique & virente ſuperveſtiens*. iunior [d] Plinius; *alibi ipſa buxus intervenit, in formas mille deſcripta*

[c] lib. 16. cap. 33.

[d] lib. 5. ep. 6.

*litteris interdum quæ nomen domini, dicunt modo artificis. Et: poſt has Acanthus hinc inde lubricus & flexuoſus, deinde plures figuræ pluraque nomina.* legebatur olim Neapoli,

LVCRIO AVG.
TOPIARIO. EX HORTIS &c.

## CAPUT XXIV.

### *De Inſularijs.*

[a] *Feſtus.*

INSVLARII Inſulas cuſtodiebant. erant autem [a] Inſulæ ædes grandiores, quæ non iungebantur communibus parietibus cum domibus vicinis. quales Sex. Rufus, & P. Victor olim Romæ non paucas recenſuerunt. Veteres autem, domos vel portus, vel inſulas dixerunt, ut notant [b] Donatus & Feſtus. His videtur præfuiſſe nonnumquam PROCVRATOR. Petronius: *cum Procurator Inſulæ Bargates, à cœna excitatus, à duobus Lecticarijs in mediam rixam perfertur.* Tetigit hæc [c] Plinius in Domitianum invehens: *ergo in veſtigia ſedeſque nobilium immigrant pares domini, nec iam clariſſimorum virorum receptacula habitatore ſervo teruntur, aut fœda vaſtitate procumbunt. datur intueri pulcherrimas ædes, deterſo ſitu auctas ac vigentes. magnum hoc tuum, non erga homines modò, ſed erga tecta ipſa meritum, ſiſtere ruinas, ſolitudinem pellere, ingentia opera eodem, quo extructa ſunt animo ab interitu vendicare. muta quidem illa & anima carentia, ſentire tamen & lætari videntur, quod niteant, quod frequententur, quod aliquando cœperint eſſe domini non ſervientis.* Et quia in Horreis & Inſulis precioſiſſimam plerumque partem fortunarum ſuarum homines opulenti reponebant, ideò ſervi CVSTODES

[b] *Adelph. act. 4. Sc. 2.*

[c] *Panegyr. Traiani.*

appo-

appoſiti ſunt, ut præter [a] Pomponium J. Ctum indicavit [e] Juvenalis, [a L. 2. de ff. Præf. vigil.] [e Sat. 14.]

*— miſera eſt magni cuſtodia cenſus.*
*Diſpoſitis prædives Amis vigilare cohortem*
*Servorum noctu Licinus iubet, attonitus pro*
*Electro, ſigniſque ſuis, Phrygiaque columna,*
*Atque ebore, & lata teſtudine —*

ubi antiquus interpres; *per translationem*, inquit, *diſciplinæ Sparteolorum Romæ, quorum cohortes in tutelam Urbis cum amis, & cum Aqua vigilias curare conſueverunt vicinis.* [a] Paulus: *erat autem familia publica circa portas & muros diſpoſita, unde ſi opus eſſet evocabatur. fuerunt & privatæ familiæ, quæ incendia vel mercede vel gratia extinguerent.* Neque verò fruſtra circa portas & muros diſpoſita fuit familia publica: ut enim notat Donatus ad illa Terentij in [b] Adelphis, [a L. 1. de off. Præf. vig.] [b Loco cit.]

*— priuſquam ad portam venias, apud ipſum lacum.*
*Varro docet, ſemper lacum portis additum: ſcilicet ob uſum iumentorum exeuntium & introeuntium: præterea ut adverſum hoſtilem ignem portis de proximo ſubveniretur.* idem [c] Paulus: *ſciendum eſt autem Præfectum vigilum per totam noctem vigilare debere, & coerrare calceatum cum amis & dolabris.* Ad quem locum legendus eſt magnus [d] CVIACIVS, cuius obſervationem poſſunt non nihil locupletare verba [e] Petri Chryſologi in Serm. cui lemma eſt de ſervo vigili: *ſint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris. nil de veſtitu, nil de ipſius occurſus apparatu ſervi vigiles admonentur, ſed tota in præcingendis lumbis mandatur cura.* De privatis noſtris [f] Appuleius: *nec ſecius Thraſileon, examuſſim capto noctis latrocinali momento, prorepit cavea: ſtatimque cuſtodes, qui propè ſopiti quieſcebant, mox ad unum omnes, etiam ianitorem ipſum gla-* [c Tit. cit. L. 3] [d lib. 13. obſervat. cap. 30.] [e Serm. 24.] [f lib. 4 metam.]

dio

*dio conficit.* [g] Juvencus etiam;

g lib. 4 hiſtor.

*Si ſciret certum furis inſiſtere tempus,*
*Quiſque domus cuſtos vigilaret, & obvia ferret*
*Arma procul, ruptas ne quis penetraret in ædes.*

a Serm. de duplici Tentat. ſpecie.

nec non & D. [a] Zeno: *tu ad hæc ſine dubio reſpondebis, omnia ſimul repoſita, ac recondita clauſtris validiſſimis, & ſignaculis tutiſſimis communivi. nulli quidquam tribui: quinimò & ad cuſtodienda ea vigilias addidi: meas curas impendi: ſolicitudines tribui.*

## CAPUT ULTIMUM.

### *De Familia Ruſtica.*

HUc uſque urbanum hunc gregem calamo luſtravimus; ſi non totum, ſumma ſaltem eius capita. Supereſt autem, ut & ruſticam plebem in unum locum ante oculos philologi ſpectatoris cogamus. Qui convenerunt ſpectatum, dent operam, & æquo animo adſint. auferent enim ſecum Exodiarij noſtri quidquid faſtidij non ferendi, ſuperbiſſima urbana mancipia, in hanc temporariam ſcenam invexerunt.

Ruſtica familia non fuit illa quidem (quod ad immenſitatem attinet) urbanæ par; numeroſa tamen & ipſa, dignaque ob miniſteriorum aptam inter ſe rationem, quæ à nobis ſeorſum recenſeatur. Et ſanè de numero teſtis nobis eſſe poterit Cæcilius is, qui teſtamento ſuo apud [b] Plinium edixit, *relinquere ſe iuga boum tria millia ſexcenta, reliqui pecoris ducenta, quinquaginta millia.* Quot enim hominum capita tot bobus, tot pecoribus prępoſita fuiſſe arbitrabimur? diligenti ſanè ratiocinatori, illa quattuor millia ſervorum, quæ ipſe expreſſit, vix huic ſummæ videantur

b lib. 33. c. 10.

tur

tur ſufficere. [c] Valerianus Imperator aluit in villa privata vaccarum duo millia, ovium decem millia, caprarum quindecim millia, equas mille: ad quas ſanè copias quingenti ſervi ruſtici, quos notat Vopiſcus, pauci & infrequentes omninò ſunt. Jam verò arationes illas & latifundia, quæ provincias occupabant, & maria (ut inquit [a] Seneca) cingebant; num credimus vaſtitatem & inanitatem fuiſſe? minimè verò. Unius Siciliæ ergaſtula, bello ſervili, centum & amplius millia fugitivorum effuderunt. [b] Probus ille præfectus Prætorio, qui per univerſum orbem Romanum patrimonia ſparſa poſſedit, eam multitudinem ruſticorum mancipiorum poſſederit neceſſe eſt, ut illam pro dignitate rei, diuturna vix poſſit aſſequi cogitatio. Age Senecam advocemus, qui definivit; [c] *Unum putas videri ventrem, cui tot conſulum regionumque vina conduntur? aſpice quot locis vertatur terra, quot millia colonarum arent, fodiant. unum putas videri ventrem, cui & in Sicilia & in Africa ſeritur?* [d] idem alibi. *Quamdiu ſationibus implebimus magnarum urbium campos? quamdiu nobis populus metet? quamdiu unius menſæ frumentum multa navigia, & quidem non ex uno mari ſubvehent.* Huius familiæ recenſionem illa nobis expedient, quæ ſcripta ſunt à [e] Vitruvio & [f] Columella, deſcribentibus villæ poſitionem. Et quidem huius alterius topographiam ſequi placet. Villa igitur erit aut urbana, aut ruſtica, aut fructuaria. Rurſus urbana aut hyberna erit, aut æſtiva. In hyiberna paterfamilias per hyemem erat: in æſtiva per æſtatem. Huius membra erant, cubicula, cœnationes, balnearia, ambulationes, & reliqua, ut in habitatione legitimè urbana; quibus non immorabimur, quoniam inſtruc-

c Vopiſcus.
a Epiſt 89.
b Ammianus lib. 27.
c epiſt. 114.
d Epiſt. 60.
e lib. 6. cap. 9.
f lib. 1. cap. 6.

inſtruebantur miniſterijs eò translatis, quouſque dominus ibi permanſiſſet. Atrienſibus exempli cauſa, Balneatoribus, Fornacatoribus Diætarijs, Oſtiarijs, Full onibus, Mediaſtinis, Scoparijs, Suppellecticarijs, Tonſoribus, & reliquis alijs ad domini uſum, & delicias. Atrienſi autem ruſtico illud iniungit [a] Columella, ut ſuppelleſtilem exponat, ut curet ferramenta nitidari, & liberari rubigine quod utique apud parcos & attentos patresfamilias obtinuiſſe arbitramur, qui nollent ſupervacuum ſuppellecticariorum mininiſterium domi habere. Et hoc non rure modò, ſed etiam in urbe aliquando placuit, cum [b] Cicero Atrienſi comparet illum, qui Matellionem Corinthium cupidè tractabat. Villæ ruſticæ primas Columella aſſignat culinæ, quam in chorte conſtituit Vitruvius. Nos de Piſtrino primum agemus, quod utique oportunum fuit. Præcipit autem [c] Palladius, *ut ſi aquæ copia patiatur, ſuſuram balnearum ſuſcipiant piſtrina, ut ibi formatis aquarijs molis, ſine animalium, vel hominum labore, frumenta frangantur*. Quæ ſanè verba indicant, non ita recentem eſſe uſum aquariarum molarum, ut quidam arbitrantur. Alioqui viros & mulieres in piſtrinũ coniectos fuiſſe perſpicuum eſt, ubi nimirum non aderat aquæ vis. D. [d] Lucas in Evang. δύο ἔσονται ἀληθουσαι ἐπὶ τὸ αὐτὸ, μία παραληφθήσεται &c. meminit etiam [e] Theophraſtus. Et hę quidem mulieres. de viris diximus alibi: & patet ex ijs, quæ narrat [f] auctor hiſtoriæ miſcellę, de piſtrino quod Imperator Theodoſius Romę ſuſtulit, mancipibus ſupplici affectis. Culinæ adſcribemus mulieres, quæ [g] PVLMENTARIA ruſticis coquunt, item [h] eos qui CIBVM familiæ conficiunt. his adſignabimus; patinas & cacabos, ſine quibus coqui non

[a] lib. 11. c. 3.
[b] Paradox. 5.
[c] lib. 1. c p. ult.
[d] cap. 17.
[e] in charactc. rib.
[f] lib. 13. tãgit & Cedrenus.
[g] L. quaſitum de fund. inſtr.
[h] Colum. lib. 11. cap. 3.
[i] L. 18. de fundo inſtr.

non poterat pulmentarium. Expreſſit autem [k] Cato quid veniret nomine pulmentarij, at parcè (ni fallor) & crudum tantum reſpiciens, non coctum. Sunt huius loci FOCARIAE, quarum meminerunt [a] Pomponius, [b] Ulpianus, & Paulus. Focus enim fuit in coquinis. [d] Arnobius: *& quid quaſo ut faciat præſidatum focorum Deus iſte ſortitus eſt? per humani generis coquinas currit, inſpiciens & explorans, quibuſnam lignorum generibus ardor in foculis excitetur* &c. [e] Sunt qui focarias concubinas interpretentur; & profectò non malè, poſſumus ſiquidem ex [f] Varrone coniecturam confirmare, is enim de paſtoritia concubina ſcribens: *ſed eas* (inquit) *mulieres eſſe oportet firmas, non turpes, quæ in opere, ut in multis regionibus, non cedant viris: ut in Illyrico paſſim videre licet, quod vel paſcere pecus, vel ad* FOCUM *afferre ligna, ac cibum* [g] *coquere, vel ad caſas inſtrumentum ſervare poſſunt*. Et ſanè FOCARII, quos vocat [h] Ulpianus, ad culinam pertinuerunt, cum eos ATRIARIIS adiungat. CELLARII vel CELLERARII à cella nominati, curabant aliquando ut eſſent ſalvæ rationes, inquit [i] Ulpianus. Ceterum [k] præbebant familiæ potionem, & cibum; eorumque diligentiam præceptionibus inſtruxerunt [l] M. Ambivius, Mænas Licinius, & C. Matius. Et hos [m] Varro PROMOS videtur appellare, ut & [n] Columella. Culinæ proximum ſtatuemus [o] VALETUDINARIUM primò, tum [p] Cellas ſervorum ſolutorum, quos in univerſum OPERARIOS vocabimus, ut appellat & [q] Varro; AGRICOLAS nimirum, & qui OPUS ruri faciebant inquit Terentianus [r] Geta. Hic eſt [ſ] MEDIASTINI locus, [t] SARRITORIS ſeu [u] SARTORIS, [x] OCCATORIS, [y] RUNCATORIS, [z] MESSORIS, & aliorum huiuſmodi, quos [a] OPERAS vocat Horatius, ut & ruſtici no-

k Tit. 58.
a L. 15 de fūd. in ſtr.
b L. 12. eod.
c lib. 3. Sent. tit. 7.
d lib. 4. advers. Gent.
e Gul. Furner. ex L. 2. c. de don. int. vir. & uxor.
f lib. 2. de R. R. cap. 10.
g Turnebus li. 8. cap. 9.
h L. 1. Nautæ Caup. Stabul.
i L. 12 de fūd. inſtr.
k Colum. lib. 11. cap. 1.
l Colum lib. 12 cap. 4.
m lib. 1. de R. R cap 16.
n lib. 12. cap. 3.
o Colum. lib. 11. cap. 1. lib. 12 cap. 3.
p lib. 1. cap. 6.
q lib. 1. de R. R cap. 17.
r Phorm. act. 2. Sc. 1.
ſ Colum. lib. 1. cap ult.
t lib. 2. cap. 13
Colum. Varro lib. 1. cap 29.
u Plautus Captivis.
x Colum. lib. 2. cap. 13.
y z Colum. loco prox. cit.
a Lib. 2 Sat. 6

ci noſtrates. Meſſores corbe inſignes erant. [b] Ovidius;

b Lib. 13. Metam.

*O quoties habitu duri meſſoris ariſtas*
*Corbe tulit, verique fuit meſſoris imago.*

a lib. 4. El. 2.

[a] Propertius,

*Arma tuli quondam, & memini laudabar in illis:*
*Corbis at impoſito pondere meſſor eram.*

b L. 24. de fund. inſtr.

COLONI ex hoc numero ſunt, & recenſuit [b] Julius Paulus, à quibus videntur profluxiſſe coloni originarij, & adſcriptitij glebales, quorum extat apud Juris tum Pontificij, tum Cæſarei conditores celeberrima mentio. D. [c] Auguſtinus: *non ſicut appellantur Coloni, qui conditionem debent genitali ſolo, propter agriculturam ſub dominio poſſeſſorum, ſed ſicut ait quidam latini eloquij magnus auctor* &c. Adſcriptitij ſunt, glebæ quam incolunt adſignati, devoti aratris & raſtris, ut loquitur [d] Claudianus. Et horum contubernales mulieres nos utique non vexabimus, divellendo & aliò transferendo. Jmò & inibimus gratiam ab ipſis opinor, ſi [e] LANIFICAS & [f] LANIAS cohabitare permiſerimus. Et in hunc fortè uſum habiti ſunt aliquando in fundo TEXTORES, & inſtituti Hyſtones inquit [g] Varro. Et ſanè curam veſtis conditæ uni villicæ præſcribit [h] Columella. & inſuper ut præparatas & pectitas lanas habeat, ex quibus ſibi, actoribus, & alijs in honore, ſervilis veſtis domi conficiatur. monet præterea ut ad telam accedat, ac ſi quid melius ſciat, doceat. Textrinum & Textricem ob oculos ponit [i] Ovidius;

c lib. 10 de ciuit. Dei cap 1.
d lib. 1. in Eutrop.
e f L. 12. & 16. de fund. inſtr.
g lib. 1. de re R cap 2.
h lib. 12. c. 3.
i lib. 6. met.

*Haud mora, conſiſtunt diverſis partibus ambæ,*
*Et gracili geminas intendunt ſtamine telas.*
*Tela iugo iuncta eſt, ſtamen ſecernit arundo:*

*Inſe-*

*Inſeritur medium radijs ſubtemen acutis,*
*Quod digiti expediunt, atque inter ſtamina ductum*
*Percuſſos feriunt inſerto pectine dentes.*
*Utraque feſtinat, cinctæque ad pectora veſtes,*
*Brachia docta movent, ſtudio fallente laborem.*

de textrino ruſtico hæc cecinit [a] Sidonius; [a] in Burgo Pont. Leont.

*Continuata dehinc videas, quę conditor auſus*
*Æmula Palladijs textrina ducere templis.*
*Hac celſi quondam coniux veneranda Leonti*
*(Qua non ulla magis nurus umquam Pontia gaudet*
*Illuſtris pro ſorte viri) celebrabitur æde*
*Vel Syrias vacuaſſe colus, vel Serica fila*
*Per cannas torſiſſe leves, vel ſtamine fulvo*
*Prægnantis fuſi mollitum noſſe metallum.*

Nunc pergamus ad Ergaſtulum cum Columella. Fuit autem domicilium FOSSORVM, qui compediti erant. [b] Iuvenalis: [b] Sat. 11.

*Ipſe focis brevibus ponebat oluſcula, quę nunc*
*Squallidus in magna faſtidit compede Foſſor.*

[c] idem alibi; [c] Sat. 14.

*Quid ſuadet iuveni lętus ſtridore catenę,*
*Quem mirè afficiunt inſcripta Ergaſtula, carcer*
*Ruſticus? —*

[d] Seneca pater: *arata quondam populis rura, ſingulorum nunc Ergaſtulorum ſunt, latiuſque nunc villici, Quàm Reges imperant.* Ergaſtulorum eſſe rura dixit Seneca ea ratione, qua [e] Plinius ſcripſit, *cōli rura Ergaſtulis peſſimum eſt*, id eſt mancipijs Ergaſtulorum. At quindecim vincti Ergaſtulum conſtituebant, ſi [f] Appuleio credimus. His præerat ERGASTVLVS ut appellat [g] Nonius, quem ERGASTVLARIVM vocat [h] Columella. Eunus ſanè dux ille nobilis fu-

[d] lib. 5. controu.
[e] lib. 18. ca. 6.
[f] Apologia (ut vo. āt) prima.
[g] in Ergaſtulam.
[h] lib. 1. ca. 8.

gitivorum in Sicilia, Ergaſtularius ſervus fuit, teſte [a] Ammiano; licet [b] Florus videatur diſſentire. Horum opus erat fodere, unde dicti ſunt FOSSORES. Ideoque inviſam terram Foſſori canit [c] Horatius; ubi Porphyrio. Huiuſmodi [d] Eutyches, Victorinus, & Maro martyres. Nerei & Achillei (ni fallor) conſervi, quos Aurelianus à Nerva Cæſare ſibi donatos, tamquam ſervos ſuos, per ſua prædia diviſit, *iuſſitque eos tota die terram fodere, & cantabrum edere ad veſperam*. Cantabrum porrò, ut olim docuit vir magni nominis [e] HADR. TVRNEBVS, furfur eſt Apicio & Cœlio. Et quidem Apicius lib. VII. cap. I. & VII. cantabri meminit: at nuſquam quid illud rei eſſet (quod ego quid animadverterim) explicavit. [f] Cælius Aurelianus de acutis morbis ad Hippocratem de pleuriticis iuvandis; *utendum* (inquit) *etiam hordeo, vel orobo in aceto miti, & calefacto, & celeriter ſaccello incluſo, tunc appoſito, ſive cantabro, eodem liquore fervefacto* &c. Apud quem notandum eſt, quod ubi in Hippocrate lib. II. de victu in morbis acutis, non longè à principio, furfur eſt, in translatione apud Aurelianum ad eumdem Hippocratis locum, eſt cantabrum. Idem auctor meminit cantabri etiam [g] alibi. Accedunt Turnebo medici omnes, Barbari præſertim, apud quos nihil eſt tritius. Galenus ipſe in Dynamidijs, & Vegetius in veterinaria, ſucci cantabri mentionem faciunt, cremorem furfuris intelligentes, qui ut diſſerebat PHILIPPVS MENZELIVS medicus Ingolſtadienſis, cuius eruditioni hanc diſquiſitionem univerſam debet philologus lector, ita exprimi ſolet: In pugillos aliquot furfuris, ſeu cantabri, infunditur aqua, poſt horas aliquot refuſa ſuperflua aqua, furfures exprimuntur: furfuris ſuc-

a lib. 14. in fi.
b Lib. 3. cap. 19.
c lib. 3. carm. Ode 18.
d Sur. To. 3.
e Adverſar. lib. 15. cap. 16.
f lib. 2. cap. 19
g Lib. de acutis morb. cap. 3. 8. & 17.

cus albidus ſeu cremor ſic eſt uſui. In furfure enim, præſertim triticeo aut farreo, multum eſt farinæ, vel farinaceæ materię, quę partim maceratione illa, partim expreſſione, cremorem conficit. Confirmantur hæc ex catholico F. Johannis de Balbis, edito Auguſtæ anno MCDLXIX. in quo diſertè legitur: *cantabrum purgamentum eſt frumenti vel farinæ, vel cibus caninus, quo canes paſcuntur*. Jtaque cantabrum ad veſperam edere, non erit herba cantabrica veſci, ut opinatus eſt Surius, ſed furfuraceo iſthoc pane, & canino more tractari, nedum ſervili. Voci verò originatio duplex affertur; altera à furfuraceo & contemptibili pane, captivis & ſervilibus dato cantabris, ex odio maiore gentis, quæ duritie ſua tot annos Romanos exercitus fatigarit; altera ab elementaria ſubtractione, quod videlicet cantabrum dictum ſit quaſi canabrum, à caninis pultibus, quæ ferè fiunt è furfuribus, & frumenti varijs purgamentis. Hęc omnia quæ nos in epitomen redegimus, diſertè & copioſè dominus MENZELIVS, in gratiam M. VELSERI cl. viri, cuius laudes ſupra omnem laudationem ſunt. Ego verò (ſi lucernam licet mero meridie accendere) addo illa *a* Juvenalis. *a Sat. 5.*

*—— cum poſſis boneſtius illic*
*Et tremere, & ſordes farris mordere canini?*

Cantabrum deſignare, ut etiam cenſuit antiquus gloſſator, qui adiecit, panem ſordidum, canum eſſe. Nec aliud ſibi voluit *b* Phædrus; *b lib. 4. fabular.*

*Canes legatos olim miſere ad Iovem,*
*Melioris vitę tempus oratum ſuę,*
*Uti ſeſe abriperet hominum contumelijs,*
*Furfuribus ſibi conſparſum quod panem darent.* &c.

Nec

a cap. 19. Nec aliò forſan reſpexit a Svetonius Nerone; *panem quidem ſordidum oblatum aſpernatus eſt*. Imò & quoad etymon, videndum eſt, an huic pani dederit nomen



Can-

Cantaber, cuius hoc elogium expreſſit [a] Silius Italicus; [a] Lib. 3.

*Cantaber ante omnes hyemiſque æſtuſque famiſque*
*Invictus, palmamque ex omni ferre labore.*

Nimirum bellicoſum & aſperum populum, non alia videtur decuiſſe panis ratio, quàm expedita hæc & parvo parabilis. Foſſoris imago cernitur in antiqua ærea icuncula, cuius hoc exemplar eſt.



Caput

Caput cetera glabrum, niſi qua à vertice in occiput, capilli in geminum nodum conſtricti dependere videntur, in memoriam revocat illa D. [a] Cypriani ad martyres in metallo conſtitutos: *ſemitonſi capitis capillus horreſcit, ſed cum ſit caput Chriſtus, qualecumque illud caput deceat neceſſe eſt, quod ob Domini inſigne eſt*. Jam verò [b] cuculli ſagati forma quæ hic cernitur, habitum indicat operariorum ruſticorum, qui alioqui [c] tunica induebantur. Et hi quidem ſemiraſi fuerant, velut etiam [d] uſtores, & [e] piſtrinarij. At fugitivi omninò raſi. Et quia reditus agrorum non rarò lapidicinis, cretifodinis, arenarijs, auri, argenti, ſulphuris venis conſtabat, ideò adhibebantur huic operæ homines vincti, qui cæderent, foderent eruerent. [g] Plautus;

*a Epiſt 77. item Artemidor. onirocr. cap. 22. lib. 1*
*b Colum. lib. 11. cap 1.*
*c Cat. Tit. 59. Interpres D. Matthæi cap. 24. 18.*
*d Catullus.*
*e Appuleius.*
*f Petronius & Æneas in Tacticis.*
*g Captivis.*

*Abducite iſtum actutum ad Hyppolitum fabrum:*
*Jubete huic craſſas compedes impingier.*
*Inde extra portam ad meum Libertum Cordalum*
*In lapidicinas facite deductus ſiet.*

Et quidem [h] Athenæus narrat, Niciam Nicerati mille ſervos locaſſe ad fodinas argentarias. Cæſares certè, ad quos vectigalia, & portoria lapidicinarum [i] pertinebant, conſtituerant peculiares miniſtros, qui hæc procurarent. Ideò in elogijs ſepulcralibus leguntur, M. VLPIVS. MARTIALIS. AVG. LIB. A MARMORIBVS & T. FLAVIVS. FELIX. SVCCESSVS AVG. LIB. TABVLARIVS MARMORVM LVNENSIVM. item HYMENAEVS CAES. N. SER. THAMYRIANVS A LAPIDICINIS CARYSTIIS. Et quidem metalla habitacula piorum erant. Clemens enim Pontifex & martyr Cherſonam deportatus, duo millia

*h Lib. 6.*
*i toto tit. de publican & vectig.*

Chri-

Chriſtianorum & amplius ( ut in eiuſdem [k] actis legitur ) ibi reperit, damnatorum ad ſecanda marmora. Et hæc fuit familiaris & frequens noſtrorum damnatio; in metallum videlicet, quæ & libertatem [a] adimebat: cuius non ſemel acta martyrum meminerunt. Huius pœnæ appendix fuit ferri candentis inuſtio, vel in [b] pede, vel in [c] faſcie, vel in alia parte corporis. At quoniam plerumque Ergaſtulorum domini liberos & ſervos promiſcuè ſupprimebant, ideò conſueverunt Principes Ergaſtula recognoſcere, ut fecit [d] Auguſtus: repurgare ut [e] Tiberius, tollerre ut [f] Hadrianus horũ, qui in ergaſtulis vel detinebantur, vel ſupprimebantur, ſolemnis & legitima nota fuit inſcriptio illa, quæ in fronte per inuſtionem imprimebatur. [g] Scribonius Largus Scriboniæ gentis Libertus, Claudianorum temporum ſcriptor hoc prodit, verbis tamen corruptiſſimis, quæ nos emendare conabimur. *Quatenus* ( inquit ) *acrium, & exulcerantium medicamentorum habita eſt mentio, ponemus qua ſtigmata tolluntur indignis & in multis. hæc calamitas ex tranſverſo accidit, ut diſpenſatori Sabini Calvi naufragio in ergaſtulo deprehenſo, quem Tryphon multis deluſum, & ne caſu quidem litteras confuſas ullo medicamento habentem liberavit*. Stigmoſa hæc, & quæ Tryphonis alicuius manus requirant. Tentemus igitur, & legamus: *quatenus acrium & exulcerantium medicamentorum habita eſt mentio, ponemus quo ſtigmata tolluntur indignis. etenim multis hæc calamitas ex tranſverſo accidit, ut diſpenſatori Sabini Calviſii naufrago in ergaſtulo deprehenſo, quem Tryphon à multis deluſum, & ne caſu quidem litteras confuſas ullo medicamento habentem, liberavit*. Dicit autem, calamitatem ex tranſverſo accidere, ut multò ante [h] Cice-

k *Breviar. Rom.*

a *L. 7. de pœnis L. 17. & 16. eod.*

b *martyrol. Rom. 5. Maii.*

c *L. 2. ca. Th. de pœnis.*

d *Sveton. c. 32*

e *cap. 8.*

f *Spartianus.*

g *Tit. 231.*

h *in Bruto.*

Cicero; *ſed in te intuens Brute doleo, cuius, in adoleſcentiam per medias laudes quaſi Quadrigis vehentem, transverſa incurrit miſera fortuna Reipublicæ*. Ita [a] auctor ad Herennium; *deinde ubi viſum eſt ut in alveum deſcenderet, ecce tibi iſte de tranſverſo heus, inquit, adoleſcens, pueri tui modò me pulſarunt, ſatisfacias oportet*. Jta Petronius: *quod non expectas ex tranſverſo fit*. Quod autem Scribonius auxilio eſſe velit illis tantum, quibus iniuriam inuſta fuiſſet frons, id verò ſummam rationem habet: Inſcripti enim ob perverſitatem ingenij contumacis, ob noxam, digni utique videbantur illa oris contumelia. Sabini autem Calviſij [b] Tacitus & [c] Seneca meminerunt. Hunc ritum inſpiciens [d] Iuvenalis cecinit;

*Quem mirè afficiunt inſcripta ergaſtula* —

Petronius etiam, ſive apud Petronium Triphæna, decepta ſpecie ſtigmatum atramentariorum, *ſciſcitari ſubmiſſius cœpit, quod ergaſtulum intercepiſſet errantes*. Lepidium autem, allium, cantharides Alexandrinæ, ſulphur vivum, & alia quædam è Scribonio adhibebantur inducendis cauteriorum ſignis in fronte extantibus. in quo artificio Cynnamus quidam, illene tonſor, an alius quiſpiam incertum eſt, videtur excelluiſſe. [e] Martialis;

*An ſi quid noſtræ tibi bilis inuſſerit ardor*
*Vivet & hærebit, totoque legetur in orbe.*
*Stigmata nec vafra delebit Cynnamus arte:*

Cretam effoſam tractabant [f] FIGVLI, è corpore ſervorum; in uſum videlicet fundi vaſa parantes, quibus exportarentur fructus, velut amphoras, & dolia, & in villæ ædificationem, tegulas; mercis

etiam

a Lib. 4.
b li. 6. Annal.
c Epiſt. 27
d Sat. 14.
e lib. 6. 64.
f L. 35. de fundo inſtr. L. 16. de inſtr.

etiam gratia, ut vaſa venirent. Figlinas autem in agro quomodo exterceri oporteret, Hoſtilij Saſernę pater & filius libris editis monſtraverunt, ut teſtatur [a] Varro; qui etiam [b] affirmat, ſe in Gallia tranſalpina, intus ad Rhenum, regiones aliquot acceſſiſſe, ubi agros ſtercorarent candida foſſicia creta. Huius loci fonax eſt, cuius [c] Cato meminit, & ſervus FORNACARIVS, quem nominat [d] Ulpianus. Ergaſtulo ſuccedunt pecudum ſtabula, Bubilia, Ovilia, Caprilia, Equilia; quæ omnia Columella inunum coegit, licet Vitruuius alio ordine collocaverit. Bubilia inſtruuntur homine [e] ARATORE ſive IVGARIO. Et illum quidem vetuit Imperator [f] Conſtantinus pignoris cauſa de poſſeſſionibus abſtrahi, ne tributorum illatio retardaretur. Jugarij meminit Columella; qui & eiuſdem operam recenſet. Non alius ab his [g] BVBVLCVS ſeu BVBSEQVA, quorum munera apud rei ruſticæ ſcriptores latè extant. Bubulci imago extat apud [h] Ovidium,

*Sæpè manu ſtimulos rigida portabat, ut illum*
*Juraſſes feſſos modò diſiunxiſſe iuvencos.*

Ovilium mancipia invenimus [i] TONSORES OVIUM, [k] OPILIONES ſeu [l] OVILIONES, ut appellat I. Cs. Hi oves [m] curabant, ut & [n] CAPRARII caprilia, [o] VIRVICARII verveces, [p] EQVISIONES armentaria equilia, quos equorum [q] MAGISTROS appellavit Appuleius. AGASONES Græcis ſunt ἱπποκόμοι, ſeu [r] CVSTODES equorum, qui & [ſ] EQVITII & [t] GREGARII, cum equorum grex dicatur [u] Equitium. Adſtipulatur [x] Feſtus, licet uſurpet latius Acron ad illud [y] Horatianum,

— *ſi patinam pede lapſus frangat Agaſo.*

*Agaſo propriè dicitur ſervus, qui iumenta curat. hic au-*

a lib. I. de re R cap. 2.
b cap. 7.
c Tit. 38.
d L. 27. ad L. Aquili.
e Columel. lib. I. cap 6.
f L 1. ca. Th. de pignor.
g L. 8. de fūd. inſtr. Cato tit. 5 Colum. li 2 cap 2. & 3.
h lib. 14 met.
i Varro de re R. lib. 2. c. 2.
k Virgil. Ecl. 10.
l L 25. de fūd. inſtr.
m L 68. de Leg. 3.
n Colum lib. 3 cap. 10. lib. 7 c. 9.
o Papinianus Tit. 4.
p Appul. 7. Metam
q lib 8. metā.
r Lucianus in Gallo.
ſ Epitome antiqua Iur. ciu.
t Appul. eod. lib. 7.
u Epitome cit.
x in agaſones.
y lib. 2. Sat. 8.

*tem Satyricè eſcarum miniſtrum Agaſonem appellavit, quem vulgò dicunt inſertorem.* Cum Feſto tamen ſtat Servius ad illa [a] Virgilij,

*Impendunt curas denſo diſtendere pingui,*

[b] &,

*Circumſtant properi aurigæ, manibuſq; laceſſunt.*

ubi aurigas impropriè pro agaſonibus dici notat, & eorumdem fraudes recenſet. Quamquam & equos iumentorum nomine venire non eſt uſquequaque novum. SVPERIVMENTARII mentionem facit [c] Svetonius, ſeu apud Svetonium Claudius Cæſar, qui & conqueritur huiuſmodi ſibi pædagogum obtigiſſe: concinnè ſanè ad ſententiam Ariſtidis, cuius verba iam exſcripſimus. Ab aſinis dicti ſunt ſervi ASINARII, vel quod agerent, vel quod curarent. & meminerunt [d] Cato & [e] Varro. Servius in 1. Georg.

*Sæpè oleo tardi coſtas agitator aſelli,*

AGITATOR *verberator dictus ab agendo, ac per hoc aſinarius dicitur.* [f] Appuleius autem agaſonem & aſinarium promiſcuè vocavit. Mulos regebant, curabant, agebant [g] MVLIONES, quos [h] Lucianus ὀψονόμους appellat. [i] SVBVLCI, ſues. [k] Martialis;

*Præſta de grege ſordidaque villa*
*Tonſos, horridulos, rudes, puſillos*
*Hircoſi mihi filios ſubulci.*

PORCVLATORIS & ſubulci diverſa fuit profeſſio, ſcribit [l] Columella. [m] ille namque obſervabat lactentes, hic paſcebat adultos, ut & [n] PORCARIVS. Porculatio enim nutricatus eſt ex Varronis ſententia. At quos βόσκοντες habet Græca verſio [p] Matthæi Evangeliſtæ,

a 3. Georg.
b 12. Aen.
c Claudio ca. 2.
d Tit 11.
e lib 1. cap. 18 & lib. 3. cap. ult.
f lib. 6. & 8. Meta
g L. 97. de le[illegible]
h in convivio.
i Varro de re R lib 2. c. 4.
k lib. 10. 98.
l in præfat. lib. 1.
m lib. 7 Colum. cap. 9.
n Varro lib 2. cap 4.
o Papin[illegible] 4. Leg. [illegible] 8. ex [illegible]. Baſ[illegible]
p cap 8. n. 33.

geliſtæ, paſtores reddidit vetus Latinus interpres. Et hi ferè omnes [a] PASTORES dicebantur, quibus præfuit is, quem pecori [b] PRAEFECTVM, & pecoris [c] MAGISTRVM dicebant. Servius ad XII. Æn.

*— pavidi ceſſere magiſtri,*

*propriè magiſtri ſunt militum, paſtores pecorum. ſed reciprocæ ſunt iſtæ translationes. nam & ductor militum paſtor vocatur, ut diximus ſupra, & magiſtros pecorum dicimus. Cicero; quem magiſtrum pecoris eſſe dicebant.* hactenus Servius. Ad hanc regulam, quem armenti CVSTODEM vocat [d] Ovidius, Luctatius Grammaticus paſtorem vocat armentorum. Paſtor fuit [e] Athenio, Cilix ille, qui in Sicilia, interfecto domino, familiam ergaſtulo liberatam, ſub ſignis ordinavit; & veſte purpurea baculoque argenteo & diademate mimicum Regem aliquandiu egit. Iuxta ianuam præcipiunt rei ruſticæ [f] ſcriptores VILLICO habitationem fieri; quod huic familiæ tutelam, inquit [g] Appuleius, dominus permitteret, quod rationes & pecuniam dominicam cuſtodiret. Hic Latinis Græciſsantibus [h] EPITROPOS eſt. Hinc [i] Varro agriculturæ principem villicum appellat, ut & [k] Plautus villicationem, præfecturam. hinc villicari notavit Nonius villæ præeſſe. Succeſſit enim villicus in domini locum, ut notat [l] Columella. Ideoque vice dominus dictus aliquando eſt, ut in actis SS. Nerei & Achillei. Victorinus loci vicedominum, triennium ex paralyſi decumbentem, precibus ſanavit. At hic quandoque diſtrahendis mercibus [m] præponebatur, ut Auſonianus ille Philon. Eiuſdem munera videre eſt apud [n] Catonem, [o] Varronem, [p] Columellam, [q] Florentinum. Et hoc miniſterij nomen tranſtulit [r] Cicero eleganter ad magiſtratus; inquiens,

a Varro lib. 2. ca. 10. L. 8. 18. 25. de fund. inſt.
b Cic. pro Plãcio.
c Varro lib. 2. cap. 10. Colũ. lib. 1. cap. ult.
d lib. 11. meta.
e Florus lib. 3. cap. 19.
f Varro lib. 1. de re R. cap. 13. Colum. lib. 1. cap. 6.
g lib. 8. meta.
h Auſo. epi. 8.
i lib. 1. de re R. cap. 2.
k in Caſina.
l lib. 12. in princ.
m L. 16. de inſtitor. act.
n T. 5 & 142
o lib. 1. de re R. cap. 36.
p lib. 11. in princ. Lib. 1. cap. 8.
q apud Conſtant. lib. 2. c. 42. & 43.
r in oratione pro Plancio.

quiens, *ſic Populus Romanus diligit magiſtratus, quaſi Reipublicæ villicos*. Quem imitatus [a] Iuvenalis,

*Pegaſus attonitæ poſitus modò villicus urbi.*

[b] &,

*— nam ſic labentibus obſtat*
*Villicus, & veteris Romæ contexit hiatum.*

Accepit autem [c] Arnobius propriè & ſignanter; *Cæſius & ipſe aſſequens, Fortunam arbitratur & Cererem, Genium Jovialem ac Palem, ſed non illam fœminam, quam vulgaritas accipit, ſed maſculini neſcio quem generis miniſtrum Jovis, ac villicum.* Villici contubernalis fuit [d] VILLICA, cuius miniſterium exequuntur ſupraſcripti ruſtici præceptores. Et ſanè cum [e] matronæ olim ruris & inſtrumentorum agreſtium curam ſedulam haberent, non erat villicæ magna admodum opera, quod ipſi domini ſua quotidie inviſerent. At cum luxus & inertia peſſum laudatos mores dediſſent, neceſſaria viſa eſt villica, quæ matronæ officia tueretur. Curabat autem villica [f] pecora & ſalgama, præſertim ubi non aderant horum peculiares miniſtri. ideò [g] Juvenalis cum villicam nominaſſet;

*— & montani*
*Aſparagi, poſito quos legit villica fuſo.*

ſtatim ſubdit:

*Grandia præterea, tortoque calentia fœno*
*Ova adſunt, ipſis cum matribus, & ſervatæ*
*Parte anni quales fuerant in vitibus uvæ:*
*Signinum, Syriumque pyrum, de corbibus iiſdem,*
*Æmula Ticenis & odoris mala recentis,*
*Nec metuenda tibi, ſiccatum frigore poſtquam*
*Autumnum, & crudi poſuere pericula ſucci.*

Imò

[a] Sat. 4.
[b] Sat. 3.
[c] Lib. 3. adv. gent.
[d] L. 41. de fideicom. Lib.
[e] Colum. lib. 12. in princ.
[f] Colum. lib. 12 cap. 4.
[g] Sat. 11.

Imò & non ſemel occupabat coqui partes apud tenuiores [a] Martialis; *a lib. 12. 18.*

*— e cathedra*
*Surgentem focus excipit ſuperba*
*Vicini ſtrue cultus iliceti,*
*Multa villica quem coronat olla.*

[b] ibidem; *b lib. 1. 23.*

*Pinguis inæquales onerat cui villica menſas,*
*Et ſua non emptus præparat oua cinis.*

Et imitatus hæc elegantiſſimus [c] MVRETVS. *c Od. ad Petrum Gerard.*

*O menſa, nec luxu affluens, nec ſordida,*
*Dapibus parata ruſticis!*
*Quas non, heri languentem ut irritet gulam,*
*Doctus ſaporavit coquus;*
*Sed filijs iuvenibus & ſeni viro,*
*Severa coxit villica.*

Non multum abfuit à villico [d] MONITOR, qui operarijs verbo & exemplo præibat. Item DISPENSATOR & PROCVRATOR. [e] Pomponius: *poteſt enim aliquis diſpenſator non eſſe urbanorum ſervorum numero: veluti is qui ruſticarum rerum rationes diſpenſet, ibique habitet, non multum abeſt à villico.* [f] Plinius minor; *poſſe utraque eadem opera, eodem viatico inviſere; ſub eodem procuratore, ac penè ijſdem actoribus habere, unam villam colore & ornare, alteram tantum tueri.* Procuratoris cellam ſupra ianuam conſtituit [g] Columella, ut villicum obſervet ex vicino, & intrantium exeuntiumque conſpectum habeat. Quam miniſterij coniunctionem agnovit & [h] Cicero. *cum Piliæ noſtræ villam ad Lucrinum, villicoſque procuratores tradidiſſem.* ubi tamen videtur legendum, *villicoſque & procuratores.*

*d Colum Lib. 1. cap. ult.*
*e L. 166. de verbor ſignific*
*f lib. 3. Epiſt 19.*
*g lib. 1. cap 6*
*h Lib. 14. ad Atticum. ep. 16.*

Ulpia-


[a] Ulpianus; *Senatus ſenſuit, ne fugitivi admittantur in ſaltus, neve protegantur à vilicis, vel procuratoribus poſſeſſionum.* Idem [b] Cicero; *num igitur ſi cui fundus inſpiciendus, aut ſi mandandum aliquid procuratori de agricultura, aut imperandum villico ſit, Magonis Carthaginenſis ſunt libri perdiſcendi?* Cum Procuratore ijdem fuiſſe videntur, qui MERCEDES præſtare conſueverant; & meminit Julius [c] Paulus. Procurator enim, ſive ἐπίτροπος apud [d] Matthæum Evangeliſtam mercedem operarijs reddit. Habuit & rus [e] ACTORES ſuos, de quibus nihil amplius hic dicemus, cum ſatis ſuperque in urbana familia eorum expreſſa ſit opera. Illud unum non videtur omittendum, in honore etiam ruri fuiſſe, ut ſcribit Columella. Præfecti enim & Præpoſiti, dominis non abnuentibus, nacti erant umbram honoris, ceteri pœnam, ſupplicium, ignominiam. Ignominioſum enim fuit & pœnale rure quempiam habitare iubere. Minitantur id paſſim domini apud Comicos: & Pomponius Tr. Pl. apud [f] Livium, obijcit L. Manlio Imperioſo, *quod filium iuvenem, nullius probri compertum, extorrem urbe, domo, penatibus, foro, luce, congreſſu equalium prohibitum, in opus ſervile, prope in carcerem, atque in ergaſtulum dederit.* Quæ omnia [g] Val. Maximus ruſtici operis appellatione complexus eſt. Nimirum fuit publicè concepta, & iam confirmata vulgaris exiſtimatio (inquit [h] Columella) rem ruſticam ſordidum opus eſſe. Pœnam & ignominiam ſimul videtur animo agitaſſe Julianus Apoſtata, qui [i] *Marinam uxorem Gordiani vicarij & martyris, in pago quodam, quem Aquas Salvias vocant, ruſticarum ſervituti addici præcepit, ut ea ſervitute oprimeretur.* EXACTORES ruſtici, quo-

[a] L. 1. de ſervo fugit.
[b] Lib. 1. de Orat.
[c] lib. 3. Sent. Tit. 7.
[d] cap. 20.
[e] L. quæſitum de fund. inſtr. L. 20. eod. Tit. Colum. lib. 12 cap. 3.
[f] Lib. 7.
[g] lib. 5. cap. 4.
[h] Lib. 1.
[i] Sur. Tomo 3. notat & Anton Gallon. de cruciat. Sc. martyr cap. 9. ex Victore Vtic.

quorum extat mentio in veteribus marmoribus, hic omninò collocandi ſunt. horum fuit varium & multiplex agmen in domo Cæſarum, ut diximus, pro modo videlicet fundorum, hortorum, patrimonij, prædiorumque. Et in veteri elogio legitur neſcio quis exactor OPERVM dominicorum, qui huius fortè loci ſit. Huc uſque de villa ruſtica, quod erat alterum caput inſtitutæ narrationis. Reliquum eſt tertium, villæ ſcilicet fructuariæ, in qua idem ipſe Columella cellas locat, oleariam, torculariam, vinariam, defrutariam & ceteras. Priorem illam exactè delineavit [a] Vitruvius, [b] Columella, [c] Palladius. Inſtruunt eamdem [d] Cato, [e] Columella, & [f] Neratius apud Ulpianum. Eſt huiſce ſtationis [g] OLIVITOR, nec non & [h] CAPVLATOR, qui concha ferrea in labrum fictile oleum expreſſum transfundebat. LEGVLI verò, STRICTORES, FACTORES, mercede conducebantur, ut indicant leges oleæ legendæ, faciundæ, & pendentis apud [i] Catonem. CVSTOS torcularium ſervabat, qui tamen non ſemper in numero ſervorum fuit. De torculari latè Columella & Palladius, & ante hos Vitruvius; cuius itidem hæc ſunt: *Sucularumque, & Prælorum & Vectium, ſi non fuiſſet torcularis præparatio, neque olei nitorem, neque vitium fructum habere potuiſſemus ad iucunditatem*. A Prælo autem formavit [l] Ennodius PRAELATORES. Cellæ vinariæ meminerunt ijdem quos ſupra indicavimus. Et hanc [m] Ulpianus inſtruxit dolijs etiam defoſſis, Serijs, Cupis, Cadis, Amphoris. Servus DOLEARIS, ſive DOLIARIVS hic eſt reponendus ex veteri marmore,

A. TERENTIVS. M. L. CHRYSOGONVS
SER. DOLEAR
H : S. E

*a Lib. 6. ca. 9.*
*b lib. 12. c. 50.*
*c Lib. 1. Tit. 20.*
*d Tit. 13.*
*e lib. & cap. citatis.*
*f L. 21. locati ex cond.*
*g Sidonius li. 2 ep. 9.*
*h Cato. Tit. 66. Columel. lib. 12. cap. 50*
*i Tit. 144. & ſeq.*
*k Lib. 10. c. 1.*
*l Lib. 9. ep. 2*
*m L. 18. de uſufr.*



Huiuſmodi ſervos cum cellę vinarię typo exhibet antiquum marmor, quod anno MDCI effoſſum eſt Auguſtæ Vindelicorum. Eius mihi delineatio M. VELSELI beneficio obtigit, qui & ad monuit loci [a] Pliniani; *circa alpes ligneis vaſis condunt, circuliſque cingunt.*

a lib. 14. cap. 21.

His addemus nos VINITORES, ſine quibus nullus procul dubio eſſet cellę vinariæ uſus. [b] Columella; *nam ut ampliſſimas impenſas vineæ poſcant, non tamen excedunt ſeptem iugera unius operam vinitoris, quē vulgus quidem parvi æris, vel de lapide noxium*

b lib. 3. ca. 3.

*poſſe*

*poſſe comparari putat, ſed ego plurimorum opinioni diſſentiens, pretioſum vincitorem in primis eſſe cenſeo*. Servius ad [a] illa, [a Virgil. Bucol. Ecl. 10.]

— *aut maturæ vinitor uvæ*,

*Vinitor autem* (inquit) *vel cuſtos vel cultor vinearum*. Huius ordinis ſunt VINDEMIATOR, ſive is VINDEMITOR ſit; nec non & PVTATOR. [b] Columella: *ſi verò interiectibus capere cuiuſque generis fructum aveat, primùm neceſſe eſt, ut vindemiatorum aleam ſubeat: neque enim ſingulis totidem antiſtites dare poteſt, qui obſervent, quique præcipiant, ne acerba una cum maturis demetantur*. Idem [c] auctor; [b lib. 3. c. 4. al.] [c lib. 10.]

*Quæ canat inter opus Muſa modulante putator*
*Pendulus arbuſtis* —

FRONDATORI *cum putatore non minimum conveniebat*, [d] Ovidius; [d lib. 14. met.]

*Falce data frondator erat, vitiſque putator.*
*Induerat ſcalas, lecturum poma putares.*

Itaque LEGVLIS conveniebant ſcalæ. Frondatoris autem operam frondationes appellat [e] Columella. At quoniam ſalices principatum obtinent inter eas arbores quæ vinearum cauſa ſeruntur, inquit [f] Plinius, & noſtrates agricolæ ipſis arbuſtant agros, quod & [g] Plinij, ætate factum eſt. ideò [h] SALICTARIVM his aſſociabimus [i] Defrutaria vaſa ænea ſeu plumbea fuerunt, in quibus defrutum, carœnum, ſapa coquebantur. Fœnilia, palearia, apothecas & horrea Vitruvius extra villam conſultò reiecit, ut ab ignis periculo tuta eſſent, quod & legibus [k] locationum conſueverat aliquando exprimi. [a] FOENISECAE & FOMENISECAE non aliò ablegandi ſunt. Et horum inſigne fuit corona è fœno. [b] Ovidius; [e lib. 5. cap. 6.] [f lib. 17. c. 20.] [g Lib. cit. c. 23] [h Cato Tit. 11.] [i Colum. lib. 12. cap. 20. L. 12. d. fund. instr. Palladius lib. 11. Tit. 18.] [k L. 12. in fine Loca i & cond.] [a Colum. lib. 12. cap. 1. lib. 2. cap. 18] [b lib. 14. met.]

*Tempora ſæpè gerens fœno religata recenti,*
*Deſectum poterat gramen verſare videri.*

c lib. 4. El. 2. c Propertius;

*Da falcem, & torto frontem mihi comprime fœno:*
*Iurabis noſtra gramina ſecta manu.*

Sequuntur tabulata, & granaria penſilia, ſublimiaque, vt vocat d Varro, quod & e Iaboleno placuit, quæ Vitruvius appellat ſublimata. Percenſendæ nunc nobis ſunt appendices quædam villæ, hortus, fornax, furnus, piſcinæ, ſterquilina, cohortes, aviaria, leporaria. Horti mancipium OLITOR eſt. f Cicero *Tarhedrum excita, ut hortum ipſe conducat: ſic olitorem ipſum commovebis. Helico nequiſſimus* HSS CC *dabat, nullo aprico horto, nullo emiſſario, nulla maceria, nulla caſa.* g Columella; *facturus mox ſi collibuiſſet, qnod nunc aggredior, ut olitoris curam ſubtexerem villici officijs.* Hic aſino ſeu caballo utebatur, quod etiam nunc Romæ fit. h Horatius,

d lib. 1. de re R. cap. 57. e L. 19 de action. empt. f Lib. 16. ep. 18. & 20. g lib. 11 c. 3. h lib. 1. ep. 18

*— ad imum*
*Thrax erit, aut olitoris aget mercede caballum.*

i lib. 9. Metã i Appuleius; *me denique ipſum pauperculus quidam hortulanus comparat quinquaginta nummis, ſed magno, ut aiebat.* Et: *matutino me multis oleribus onuſtum, proximam civitatem deducere conſueverat dominus* &c. Ad fornacem pertinet FORNACARIVS k ſervus, cuius partes fuerunt ignem tueri ne evagaretur. A furno MVLIERES, quæ l PANEM coquebant (PANICOCTARIAS appellat m Chryſologus) non abiungemus. n PISCATORES & piſcatui præpoſiti huius ſanè ordinis ſunt, quando togati illi Xerxæ montium perfoſſores, & populatores marium, magiſtris & nomenclatoribus in piſcium gratiam carere noluerunt. o Martialis;

k L. 27. ad L. Aquill. l L. 12 de fund. inſtr. m Serm 99. n L. 17. de fund. inſtr. L. 63. de Leg. 3. Varro lib 3. de re R. cap. ult. o Lib. 10. 30.

Natat

*Natat ad magiſtrum delicata muræna,*
*Nomenculator mugilem citat notum,*
*Et adeſſe iuſſi, prodeunt ſenes mulli.*

[b] Piſcatores autem illi IV. & XXC. quos Paphnutius martyr præmiſit ad CHRISTVM, videntur fuiſſe conditione ſervi; urbani tamen, quod ut notat Metaphraſtes, cibos menſæ Præſidis compararent. [c] Valerianus Imperator ad Zoſimionem Procuratorem Syriæ, inter cetera quæ vult dari Claudio tunc Tribuno, *venatores qui obſequantur duos carpentarium unum, curam Prætorij unum, aquarium unum, piſcatorem unum, dulciarium unum.* Sterquilinia & latrinas, ut ex his in agros egererent fimum, curabant illi quos alicubi tangit [d] Ulpianus: licet è [e] Catonis ſententia hoc muneris villico præſcribatur. Cohors quæ eſſet declarat [f] Varro; *Cohors, quod ut in villa ex pluribus tectis coniungitur, ac quiddam ſit unum, ſic hæc ex manipulis copulatur cohors: quæ in villa dicta, quod circa eum locum pecus coercetur.* Receptum autem uſu eſt, ut frequentius cohorte coercerentur [g] gallinæ villaticæ, ruſticæ, Africanæ, galli & capi, quorum curatorem GALLINARIVM recenſuit [h] Varro. Et hinc [i] Martialis pullos gallinaceos cortis aves appellat Aviaria cohibebant turdos, pavones, columbas, turtures, luſcinias, merulas, anſeres, anates, phaſianos. Horum omnium cuſtos [k] AVIARIVS dicitur: ſingulorum, CVRATORES & PASTORES. Et quoniam his abuti conſueverant deliciæ popinarum, exſcribemus hic veterem Romanam inſcriptionem, quæ docebit nos, ganeonum improbitate expugnatas concidiſſe olim, ut & ſæculo noſtro, laudatiſſimas legum ſumptuariarum ſanctiones;

b Metaphr. apud Sur. To. 1. lege Senec. Na. Q. lib. 3. cap. 17.
c apud Trebel. Poll.
d L. 18. de uſufr.
e Tit. 5.
f lib. 4. de L. L.
g Colum. lib. 8. cap. 3. & 2
h lib. 3. de re R. cap. 9.
i lib. 13. 45.
k Colum. lib 8. cap. 3. 8. 12

D. M. OLOPLUTIO
SVCCESSO. PRISCVS
L. VARI. AMBIBOLI
AVI ARIUS. ALTI
LIARIVS &c.

inde eſt gallina altilis, cuius meminit Poeta [a] Coquus. altile apud [b] Apicium, boves altiles ad publica ſacrificia ſaginati, apud [c] Varronem. Inde altilia apud [d] Matthæum Evangeliſtam: *ecce prandium meum paravi, tauri mei, & altilia occiſa ſunt*. Inde vitulus ſaginatus & altilis apud [e] Lucam. Qui autem in marmore legitur AVIARIVS ALTILIARIVS, ab [f] Horatio FARTOR appellatur, cuius officium erat aves opimare & obeſare in gratiam lautarum epularum. Romæ itidem,

a Martialis lib. 13. 62.
b lib. 6 cap. 3.
c lib. 2. de re R. cap. 1.
d cap. 22. 4.
e cap. 15 23.
f lib. 2. Sat. 3.

ANTIGONVS DRVSI CAES
AVIVM. FARTOR
PRIMILLA. FECIT
CONIVGI B. M.

Et hinc arripuit occaſionem apud [g] Prudentium Romanus martyr, deridendi Præfectum Aſclepiadem;

*Quum conſulatum initis, ut vernæ ſolent,*
*(Pudet fateri) farre pullos paſcitis.*

AVCVPES enumerat [h] Paulus; & refert urbanos fuiſſe & ruſticos, domini arbitratu: Fundorum enim redditus, ut innuit [i] Celſus, aucupio plerumque, venatione & piſcatu conſtabat. Narrat Julius Capitolinus, Antoninum Pium curaſſe, ut menſa eius *per proprios ſervos, aucupes, piſcatores & venatores inſtrueretur*. Qui tamen hîc urbani videntur fuiſſe ideò, quia inſtruendarum quotidianarum epularum gratia habebantur, ut loquitur [a] Paulus. Aucupis teſſera apud [b] Propertium arundo eſt,

g Periſteph.
h L. 97. de le. 3.
i L. 20. de uſufr.
a lib. 3. Sent. Tit. 7.
b Lib. 3. El. 2.

*Caſ-*

*Caſſibus impoſitis venor, ſed arundine ſumpta,*
*Faunus plumoſo ſum Deus aucupio.*

Piſcatoris apud [c] Ovidium; c lib. 14. meta

*Miles erat gladio, piſcator arundine ſumpta*

Leporarium lepores tantum olim [d] capiebat. Sed d Varro lib 3. cap. 3. & 12. proceſsu temporis cervi, capreæ, oves feræ, apri cœperunt includi. Quare non mirum ſi obvios habebimus VENATORES. [e] Horatius; e Lib. 1. Epi. 6

*Si benè qui cœnat benè vivit, lucet: eamus,*
*Quo ducit gula: piſcemur, venemur, ut olim*
*Gargilius, qui manè plagas venabula, ſervos*
*Differtum tranſire forum, populumque iubebat.*

[f] Seneca: *nullis animalibus niſi ex faſtidio pax eſt: quantulum enim ex iſtis epulis, quas per tot comparatis manus, feſſo voluptatibus ore libatis? quantulum ex iſta fera periculoſe capta dominus crudus ac nauſeans guſtat?* f Epiſt. 89. [g] Ammianus Marcellinus: *pars eorum, ſi agros viſuri proceſſerunt longius, aut alienis laboribus venaturi, Alexandri magni itinera ſe putant æquiparaſſe vel Cæſaris.* g Lib. 28. alienos labores vocat operam ſervorum. [h] Salluſtius; h Catilin. *non fuit conſilium ſocordia atque deſidia bonum ocium conterere, neque verò agrum colendo aut venando, ſervilibus officijs intentum ætatem agere.* Inter venatores LVPARII fuerunt non obſcuri nominis, qui carnibus veneno tinctis lupos necarent. Servius meminit ad illud [i] carmen, i 1. Georg.

*Tum laqueis captare feras & fallere viſco.*

[a] MANSVETARII magiſtri & cuſtodes; & qui callerent, a Lamprid. in Elagab. ut cum [b] Manilio dicam, b Lib 4.

*Quadrupedum omne genus poſitis domitare magiſtris,*
*Exorare Tigres, rabiemque auferre Leoni,*
*Cumque Elephante loqui, tantamque aptare loquendo*
*Artibus humanis varia ad ſpectacula molem.*

Sene-

[c] Seneca hunc imitatus: *certi ſunt domitores ferarum, qui ſæviſſima animalia, & ad occurſum exterrentia hominem, docent pati iugum: nec aſperitatem excuſſiſſe contenti, uſque in contubernium mitigant. Leonibus magiſter manum inſertat, oſculatur Tigrim ſuus cuſtos, Elephantem autem mimus Æthiops iubet ſubſidere in genua, & ambulare per funem.* Vrſi porrò & Leones placidi domi [d] alebantur, uti etiam nunc fit animi cauſa. Pars huius agminis VRSARII ſunt, quorum meminit Edinerus in vita D. [e] Anſelmi. Neque verò intra leporarium & vivaria tantum exercita venatio eſt, ſed & in ſaltibus fundorum montibuſque cum [f] venatio ipſa erat in redditu: Ad hæc [g] VESTIGATORE opus fuit, qui ferarum cubilia, per veſtigia indagaret. Servius ad illa in IV. Æn.

— *ſaltuſque indagine cingunt,*

INDAGINE, *inquit, ferarum inquiſitione, & quidam cum veſtigatoribus* ALATORVM *mentionem inductam accipiunt. nam indaginem veſtigatorem ipſum tradunt. Alas verò alatores, qui dextra & ſiniſtra plagarum, ſublata voce probibent foras exire.* Idem Servius ad II. Georg.

*Non abſunt illic ſaltus* —

*Venationes, quæ penitus in urbibus non ſunt.* At [h] Columella VESTIGATOREM & INDAGATOREM ad apes tranſtulit. Illius miniſter fuit canis qui veſtigia odoratur, ut habent leges [a] Baioariorum; cuius pretium ſolertia naris eſt, & induſtria. nare mereri inquit Gratius. Verum quia villæ ædificia ſtare perpetuò non poterant, ideò [b] FABRI inter copias ruſticas fuerunt, qui villam ſartam tectam præſtarent. ARCHITECTI etiam: è quorum numeris in veteri marmore extat SEX. POMPEIVS. AGASIVS. ARCHITECTVS. A. VILLA. SEXTIANA. Craſſus verò Fabros & Architectos

[c] *Epiſt. 85, in fin.*

[d] *lib. 2. de ira, cap. 31.*

[e] *Lib. 1.*

[f] *Lib. 16. de uſufr.*

[g] *L. 12. de fund. inſtr.*

[h] *lib. 9. cap. 8*

[a] *ex editione Ioh Sichardi. legendus & Artemidorus lib. 2. oneirocr. c. 2.*

[b] *L. 26. mandati.*

ctos ad quingentos domi habuit, quorum operas mercede locabat civibus Romæ ædificare volentibus, inquit [c] Plutarchus. Architectum autem fuerunt quidam qui STRVCTOREM vocarent, ſeu potius Architecti miniſtrum. [d] Abdias: *à domino* (inquit) *meo Rege Indiæ miſſus ſum, requirens artificem ſtructorem, qui ei Palatia poſſit ædificare.* D. [e] Zeno: *Architectus es? attende tibi, ut fundamentum fidei, quę eſt Chriſtus* IESVS, *cum omni diligentia iacias & cautela. Structor es? vide quomodo ędifices: ne ligna & fœnum, ne ſtipulam vel paleas, ſed argentum & aurum, & lapides extruas precioſos.* Hos arte fabrica peritos vocat [f] Paulus I. Cs. & [g] diſtinguit in FERRARIOS, & TIGNARIOS. Fabros CARPENTARIOS nominat [h] Papinianus, uti & lex Salica; cuius hæc ſunt ex editione Baſilienſi; *ſi quis Maiorem, Infertorem, Scantionem, Mariſcalcum, Stratorem, Fabrum ferrarium, Aurificem ſive Carpentarium, Vinitorem vel Porcarium* &c. ubi quid aurifici commune ſit cum carpentario ego ſanè non video. niſi dicamus carpenta & vehicula auro & argento conſueviſſe exornari ut [i] Plinius luculento teſtimonio confirmavit. Carpenta enim [k] Auguſtarum primo fœminarum, [l] Judicum deinceps & [m] Magiſtratuum vehicula fuerunt; & ideò in magno precio habita. Qui & QVALVM & CALCEM portabant huius loci ſunt;& quidem illorum meminit [a] Ulpianus. Qualus autem ſeu Qualum fuit nomen multi uſus; nam & Quala ſatoria, & Qualum panis, Qualos vindemiatorios, exceptorioſque legimus. vimineos pręterea & ſalignos. Sunt qui olitori, qui agricolæ, qui lanificis tribuant. Noſtri illum fabrorum, concham appellant, reliquos *panieri*, totum à parte, *corbette e ceſtelle*. Villam ipſam ſervabant & [b] CVSTODIEBANT

c in Craſſo.
d Hiſtor. Apoſtol. lib. 9.
e de precepto ATTENDE TIBI.
f L. 19. de fund. inſtr.
g lib. 3. Sent. Tit. 17.
h Tit. 4.
i lib 34. c. 17
k nummi vet.
l Vopiſcus in Aureliano
m Caſſiodorus lib. 6. 4 & 15
a L. 18. de uſufru.
b L. 12. L. 15 de fund. inſtr.

mulieres, ne quid vicini rerum quæ villa continebantur, occuparent. Adhibiti etiam ſunt muti [c] CVSTODES canes, quos interdiu præcipit Cato clauſos eſſe, ut noctu ſint acriores ac vigilantiores. Servorum enim vigilum vices & in urbe & rure implebant. [d] Petrus Chryſologus; *canis dormientibus dominis, nocte & cuſtos & pervigil, prodit extraneum, turbat furem, occurrit latroni, ut curam relevet & ſollicitudinem ſervulorum.* Fundum univerſum tuebatur [e] SALTVARIVS, Græci ἀγροφύλαξ. fructus conſervabat, fines [f] cuſtodiebat. Nomen etiam hodie retinent ruſtici noſtrates. Huiuſmodi munere functus eſt Aſaph cuſtos ſaltus Regis apud [g] Nehemiam, & Tirrhus ille [h] Virgilianus,

*—— Tirrhuſque pater, cui regia parent*
*Armenta, & latè cuſtodia credita campi.*

ubi notat Servius, deſcribi magiſtrum pecoris & ſaltuarium. Saltus autem [i] quatuor centurijs conſtabat vel [k] quinque; & fuit fundi pars ex [l] Ælio Gallo & [m] Varrone, in qua ſilvæ & paſtiones ſunt, & harum cauſa caſæ quoque, ubi dominus aliquando habitaret. Huius ordinis videntur fuiſſe, qui IANVAS ad tranſmittendum populum per villas obſervabant, ut notat Siculus Flaccus. non enim unus tantum IANITOR in tota villa fuit. Ovilia ſuos habuerunt, ut elicitur ex verbis CHRISTI domini apud [n] Johannem: τούτῳ ὁ θυρωρὸς ἀνοίγει, καὶ τὰ πρόβατα τῆς φωνῆς αὐτοῦ ἀκούει. Et videntur Bubilia, Equilia, Caprilia itidem habuiſſe. Hos autem omnes, quos à capite villæ ruſticæ recenſuimus, [o] Ulpianus vocat mancipia prædiorum, operarios ruſticos [p] Alfenus, ruſtica mancipia [q] Paulus, alij aliter.

*[c] Colum. lib. 7. cap. 18.*
*[d] ſerm. C.*
*[e] L. 58. de Leg. 3.*
*[f] L. 12. de fund. inſtr.*
*[g] cap. 11.*
*[h] 7. Æne.*
*[i] Varro lib. 1. de re R. ca. 10.*
*[k] Siculus Flaccus.*
*[l] apud Feſtum*
*[m] Lib. 4. de L. L.*
*[n] ca. 10. & 3. meminit & Ianitoris ruſtici Sen. ep. 12.*
*[o] L. 46. de Legatis 3.*
*[p] L. 203. de verbor. ſign.*
*[q] L. 18. de fund. inſtr.*

ANTO-

# ANTONIJ VELSERI
## AD HIERONYMVM FABRVM
## *MEDICVM,*
# DE ZETA ET ZETARIO;
## SIVE
## DIÆTA ET DIÆTARIO;
## EPISTOLA.

*Cui S. Caſtuli hiſtoria occaſionem prębuit.*

INter alios complures honores, quos nuper Landishutę Sereniſs. Principes in me immerentem contulerunt, non minimus is fuit, quando in prandio, exorto ſermone de nomine Zetarij, quæ illi propriè notio ſubiecta eſſet, cum dixiſſet quæ volebat Reveren. D. Præpoſitus, Sereniſs. Princeps Maximilianus meam quoq; ſententiam intelligere voluit, miſitque ad me D. T. quæſitum, ecquid ſuper ea re mihi compertum eſſet. Atque ibi ego, teſtatus ante omnia, nihil me de iſta quæſtione ante cogitaſſe, dicturumq; non alia quàm quæ ſubitò in mentem veniſſent: reſpondi 1. idem mihi videri eſſe zetam, vel rectius zætam, quanquam promiſcuè ſcripſerunt veteres, quod diætam. 2. Sic enim ſolitum antiquis duas illas litteras, D, I, in

unam Z. contrahere, cui rei firmandæ, teſtimonium tunc attuli ex notiſſimo carmine eccleſiaſtico; *Michaelem in virtute conterentem Zabolum*, hoc eſt, quod nemo negare poteſt, diabolum. 3. Proindeque eundem etiam eſſe Zetarium & Diætarium 4. Porrò Diętam ſive Zætam, antiquitus fuiſſe cœnationem, ſeu id quod Germanica lingua vocamus Tafelſtuben, Italica *Tinello*. 5. Ex omni hac ratione eam ſummam redire, ut Zætarius vel Diætarius is ſit, cui zætæ, diætæ, cœnationis cura commiſſa eſt. 6. Ad extremum, arbitrari me hoc munus fuiſſe ſervorum, aut ſummum libertorum. Quæſiviſti, num iſta omnia ſtatim idoneis auctoribus aſtruere ac propare poſſem. Negavi, quippe imparatus, & deprehenſus, Poſtea domum reuerſus, cepi conſiderare ſingula diligentius & attentius, lubuitque experiri. an obſequentiores & minus ſuperbos libros haberem, quàm D. Prępoſitus, qui ſuos à ſe conſultos aiebat nihil reſpondiſſe. Et eſt ſanè, cur veteribus amicis meis libris inquam, habeam gratiam ita liberaliter & benignè reſponderunt ad omnia, neq; paſſi ſunt exiſtimationem meam, hoc ſaltem nomine, apud Sereniſſimum Principem in diſcrimen venire Vnicum eſt, quod nunc primum ab illis didici, diætæ quidem nomen non rarò pro cœnatione accipi, eſſe tamen cum huius vocis ſignificatio latius tendatur. Iſta quomodo ſe habeant, paucis, ſi vacat, accipe. 1. dixi, non aliud eſſe zetam quàm diætam. Plinius indicat epiſtola 17. libri ſecundi, ubi aliquoties diætam nominat, monetq; interpres eius Io. Catanæus, alios libros zetam habere. Eandem lectionis varietatem notavit in editione ſua Henr. Stephanus Iam libro 5. ep. 6. Diætulam quoque legere eſt, ubi alij codices, eo-

dem

dem teſte, zeteculam præferunt. Turnebus itidem, vir magnus, & veluti Sol quidam philologiæ, ita ſentit, & eſt qui primum hoc eum docuiſſe aſſeveret. 2. Contractionis illius exempla, præter hymnum eccleſiaſticum, permulta ſunt apud alios. Ita Cyprianus ad Demetrianum. *Quid in ruinam Zabuli per ipſum & cum ipſo cadis?* quam lectionem teſte Pamelio agnoſcunt aliquot manuſcripti codices: Ambroſius de Fide ad Gratianum lib. 5. c. 1. *Zabulus enim verum Dei filium fatebatur, Arrius negat.* Hilarius in Matth. can. 26. *Furem enim eſſe oſtendit Zabulum ad detrahenda ex nobis ſpolia pervigilem* Paulinus ep. 4. de Iuda preditore ſic loquitur. *verè ut zabolus, ignarus gratiæ Dei, in qua illi non eſſet portio.* Ita Græci ζάκορος pro Διάκορος, ζαβάλλειν pro Διαβάλλειν teſte Plutarcho. Et in Antonini itinerario, Zarrhytum pro Diarrhyto. Et apud Iſidorum Zanium pro Dianio; Sic enim legit vir doctiſſimus Hieron. Surita: nam in vulgatis libris eam lectionem non reperias. Sed deſino, ne ineptus fiam, & fortaſſe iam ſum 3. Zetarium eundem eſſe qui Diætarius, ſpero homini non nimis pertinaci ex ijs quæ ſupra allata ſunt, ſatis probatum: quid enim poteſt afferri cum ulla probabilitatis ſpecie, cur ſi zeta idem eſt quod diæta, non etiam Zetarius idem ſit qui Diætarius? 4. Quid igitur fuit tandem vel zeta vel diæta? Reſpondi cœnationem fuiſſe, taleque aliquid; quale Germani Tafelſtuben oder Turnitz Itali *Tinello* appellant. Probo. Sidonius Apollinaris lib. 2. ep. 2. *Ex hoc triclinio fit in diætam, ſive in cœnatiunculam tranſitus.* Lexicon Græcol. vetus δίαιτα τὸ ὑπερῷον *cœnaculum.* Tametſi huic loco non nimis nitor, ſcio enim cœnaculum aliud etiam ſignificare, & verò, opinor, hîc aliud ſignificat, ſicut &
apud

apud Iuvenalem Sat. 10, *rarus venit in cœnacula miles*. Varro diætam inde dici vult, quod in ea per diem edatur. Non quæro quàm rectè: hoc eſt enim palam ineptum, quod pace doctiſs. Romanorum dicere liceat; mihi ſatis eſt firmandæ ſententiæ meæ eſſe. Athenæus lib. 5. in deſcriptione nauis Hieronis Regis, *ad utrumque parietem aditus medij diætæ fuerunt numero xxx viriles, quatuor lectis ſtratæ*. Vbi eruditus interpres Dalechampius diætas interpretatur cœnacula, cœnationes. Fuluius Vrſinus in appendice ad librum P. Ciacconij de triclinio Romano *uſurpatur autem* ait *diæta pro ipſa cœnatione & triclinio tum ab alijs, tum à Sidonio*. Oſtenſum eſt diætam pro cœnatione accipi, oſtendamus hoc non eſſe perpetuum. Plutarchus μίαν παλλακίδων δίαιταν à Domitiano extructam, cum ipſius Capitolii magnificentia confert; qui locus certè, ſi quid ègo ſentio, non de cœnatione muliebri, ſed de loco ubi concubinæ Imperatoris degebant, accipiendus eſt. L. Codicillis ff. de uſu & uſufr. *Pactiæ & Trophimæ Diætas omnes quibus uti conſuevit, habitet quam domum poſt mortem eorum ad Rempublicam pertinere volo*. Quis hic non videt aliud eſſe Diætam à cœnatione. Plura ſunt alia loca in ff. ex quibus idem apparet, quæ hic adſcribere longum; & placet Iure conſultis, diætam in hortis ſignificare habitationem voluptatis & amœnitatis cauſa extructam. Non aliter capio verba Ælij Lampridij in Heliogabalo; *Dicitur & balneas feciſſe multis in locis, ac ſemel laviſſe, atque ſtatim deſtruxiſſe, ne ex uſu balneas haberet. Hoc idem de domibus, de prætorijs, de zetis feciſti erant*. Adrianus Turnebus Zetam vel Diætam ædificium dicit eſſe, vel membrum domus, cœnationem cubiculum habens. Strabo libro XIII. κατεσκεύασε δίαιταν βασιλικὴν, ἣν τιμώνιον προσηγόρευσε. Interpres

pres Xylander vertit; *Regiam domum conſtruxit, quam Timonium appellavit*. Rectè, nam Plutarchus de eadem re loquens, οἴκησιν, ait, κατεσκεύασε αὐτῷ. Poſſunt alia quantumvis multa in eandem ſententiam afferri, ſed ego brevitatem conſector. Cæterum Molani & Baronij interpretatio ſtare non poteſt. Apparet autem eos, vel illos potius qui primi eam commenti ſunt, in fraudem inductos iſtis Plinij verbis ep. 17. lib. 2. *Diæta per quam eleganter recedit, quæ ſpecularibus & velis obductis reductiſve, modò adijcitur cubiculo, modò aufertur: lectum & duas cathedras capit*. Non eſt, viri magni, hæc notionis vocis *zeta* explicatio, ſed unius non magnæ zetę deſcriptio. Nec conſequens eſt, ut ſi Plinius talem zetam habuit, omnis omninò talis fuerit. Dices ipſe, ſi totum locum attentius perlegeris. 5. Cuiuſmodi ergo Zetarij vel Diætarij munus officiumq; fuerit, iam liquet homini non nimis iniquo, nempe Zetæ vel Diætæ curatio, ſcilicet ut munda eſset ac nitida, tum ipſa tum ſuppellex, & inſtrumentũ omne ad eam pertinens. Clareſcet hoc magis paulo poſt. *6*. Porrò functionem eam ſervilem fuiſſe, non eſt difficile demonſtrare. Romæ lapis vetuſtus.

DIS. MANIBVS. DEXTRI
CAESARIS SERVO. DI
AETARCHO. DOMVS
AVG. TREBON A. LAV
DICE. FEC. CONIVG B M.
CVM DVABVS. FILIS. FOR
TVNATA ET FELICE

Vetus Lexicon Διαιτάρχης, *Atrienſis*. Neque verò dubium eſse poteſt, quin Διαιτάρχης Diætarius ſit, aut, ſi fortè, nihil enim affirmo, Princeps Zetariorum. Sicut Marſilius Cagnatus etiam de veſtris ἀρχιάτροις diſputat, ita dictos, non quaſi Principis medicos, ſed

medi-

medicorum, quavis de cauſa Principes. Et eodẽ vocare videtur nomen Atrienſis, quod honeſtioris ſervitij fuiſſe nemo ignorat. Omnino διαιτάρχην, utcunque ſervum eximium aliquid ſupra ceteros Diætarios habuiſse, nomen ipſum haud obſcurè demonſtrat. Sed alterius iſta loci. *L. Quæſitum eſt* §. 41. ff. de inſtr. leg. *Idem reſpondit, domo, ita ut inſtructa eſt, cum omni iure ſuo legata* &c. & infra: *hoſtiarij autem, inquit, vel topiarij, diætarij, aquarij, domui tantum deſervientes, continebuntur.* Jul. Paulus lib. 3. ſent. tit. 7. de legatis. *Domo cum omni iure ſuo, ſicut inſtructa eſt, legata, urbana familia, item artifices, & veſtiarij, & zetarij, & aquarij, & eidem domui ſervientes, legato cedunt.* Vel hic locus planũ facit nihil Diætarium à Zetario differre, quam dictionem, Zetarij puta, totidem litteris ſcriptam, extra hiſtoriam S. Caſtuli, hîc tantum reperi. Habes de ſervis. De libertis nullum teſtimonium poſsũ adducere: nam ſuperius illud de Pactia & Trophima, nõ auſim certò aſseverare huc pertinere, quod ſi cui tamẽ placet eò trahere, non admodum repugnabo. Sanè plus aliquid fuiſse quàm ſervum S. Caſtulum, præter alia id mihi perſuadet, quod ter auditus fuiſse dicitur, quæ cautio & moderatio in ſervum, vile caput, vix congruit. Hæc ſunt, clariſs. Domine, quæ de Zeta & Zetarijs in mentẽ venerunt, ſed & alia complura, quæ non eſt operæ, & nimis ambitioſum ſit perſequi, Scripſi autem in gratiam Sanctiſs. mart. Caſtuli, cuius precibus me ſupplex commendo, & Ser. Principis, cui tu, ſi tanti eſſe putabis, referes. Dominus quoq; Præpoſitus, ſi aliquando hanc epiſtolam legerit, ſatisfactum ſibi eſſe fortaſſe ſentiet, intelligetque, nihil opus eſſe Illuſtriſſimo Baronio ſuper hac re negotium faceſſere, inventum quippe cis Alpes qui voculam obſcuram ſatis perſpicuè expoſuerit. Benè vale vir clariſs. Friſingæ Maij, 1604.

FINIS.

# INDEX AUCTORUM

Qui laudantur, corriguntur, aut illuſtrantur.


*A*

ABdias. 209. 236. 273.
Acron. 194. 259.
lapſus. 121
Acta Apoſtolorum. 49. 175. 183. 233.
illuſtrantur. 220
Adagiographus. 32. 65
Benedictus Aegius. 16
Aelianus. 25. 206
Aeneas in Tacticis. 256
Afranius apud Priſcianum. 131
elucidatur. 216
Africanus. 60. 170
Alboinus. 120
Hieronymus Aleander. 17
Alfenus. 61. 162. 213. 274
Clemens Alexandrinus. 25. 32. 57. 60. 64.
Althelmus. 111. 112
D. Ambroſius. 179. 276
Anſelmus. 51
Anaſtaſius Bibliothecarius. 229. 233. 234.
Antonini Itinerarium. 277
Coel. Apicius. 252. 270
Apocalypſis. 167
Apoſt. Hiſtoria. 81
Anianus. 37
Apuleius. 7. 8. 9. 23. 25. 40. 44. 46. 53. 56. 58. 62. 75. 84. 91. 108. 127. 128. 132. 140. 141. 174. 175. 178. 187. 188. 195. 196. 197. 208. 213. 216. 222. 228. 233. 235. 245. 251. 256. 259. 261. 268.
declaratus. 47. 193. 207. 260
Ariſtophanes. 8
Eius Scholiaſtes. 8. 81
Ariſtoteles. 3
Arnobius. 59. 84. 138. 218. 249. 262
Artemidorus. 54. 107. 256. 272
Arator. 49. 183
Areta. 167
Ariſtide Rhetor. 145. 218. 260
illuſtratus. 116
Arrianus apud Epictetum. 177
Athenæus. 14. 25. 47. 51. 54. 57. 62. 64. 91. 124. 144. 256. 277.
Auctor Cœnæ. 49
D. Auguſtinus. 1. 2. 46. 87. 88. 92. 113. 117. 130. 144. 164. 229. 250.
Antonius Auguſtinus 88. 166
Alcimus Avitus. 1. 43. 96. 231
Cælius Aurelianus. 136. 252
declaratur. 152
Auſonius. 13. 14. 87. 175. 229. 261
Autor ad Herennium. 258
Autor Lib. de cauſ. corruptæ eloquentiæ. 130

*B*

BAlduinus. 52
Bernardinus Baldus. 225
Baronius. 16. 17. 24. 230. notatur 278
Bartolus I. C. 189
D. Bernardus. 98

*Breviarium Romanum.* 50.161.232 256.
*F. Ioannes de Balbis.* 253
*D. Bernardus.* 214.215
illuſtratus. 98

*C*

C*Æcilius* apud Plinium. 246
*Marſilius Cagnatus.* 279
*Caius.* 4.6.18.203.237
*Ioannes Campenſis.* 65
*Marcianus Capella.* 23.130.134.147 188.207. emendatus. 130
*Iul. Capitolinus.* 8.48.89.164.213.232 236.270.
*Ivo Carnotenſis.* 49
*Vincentius Cartarius.* 90
*Iul. Capitolinus.* 17.20.218
*Ioh. Caſſianus.* 46.50.137.142.161. 213.
*Caſſiodorus.* 3.22.110.136.151.159. 169.226.227.273.
*Ioannes Catanæus.* 276
*Cato.* 22.136.137.153.248.256.259. 260.261.265.267.269.274.
*Catullus.* 22.32.36.83.86.87.96.116. 134.179.256.
*Iſacus Caſaubonus.* 131.222
*Georgius Cedrenus.* 248
*Cornelius Celſus.* 75.136
*Celſus I.C.* 270
*Iulius Cenſorinus.* 28
*Petrus Ciacconius.* 142.166.277
*Dion Chryſoſtomus.* 3
*Petrus Chryſologus.* 5.26.37.48.68. 78.83.88.91.97.108.133.151.154. 159.170.187.217.229.233.235. 245.268.274.
*Cicero.* 3 4 9.20.21.22.23.26.30.32. 47.51.66.73.81.108.109.111.114. 115.133.137.145.146.151.160. 210.215.221.231.243.257.263. 264.268. apud Servium. 261
exponitur. 5.44.65.74.130.174 261.
emendatus. 263
*Claudianus.* 14.26.28.154.178.182. 196.205.250.
illuſtratus. 142.157.182
*Clearchus* apud Athenæum. 25.45
*Clemens Romanus.* 8.52.193
*Georgius Codinus* 186
*M. Cælius* apud Ciceronem illuſtratus. 174
*Columella.* 13.22.112.137.193.247. 248.249.250.251.256.259.260. 261.262.263.264.265.266.267. 268.269.274.
*Vincentius Contarenus* 115
*Corippus.* 144.178.216.217.226.227
*Aloyſius Coradinus.* 68.93.111
*Meſſala Corvinus* apud Svetonium. 116
*Conſtantinus Imperator.* 3.228
*Vicentius Contarenus.* 8.115
*Cornificius.* 144.207
*Cornutus.* 130.187
*Iacobus Cuiacius.* 37.108 185.199. 213.245.
*Curapalata.* 120.213
*Q. Curtius.* 181.183
*Cyprianus.* 194 198.199.201.256. 276.

*D*

D*Amoxenus Comicus*, apud Athenæum. 44
*David Propheta.* 88. illuſtratus 64
eius verſio emendata. 65

Dio

*Diodorus.* 36.161
*Dioſcorides.* 83
*Diphilus* apud Athenæum declaratus. 216.
*Ioannes Diaconus.* 230
*Paulus Diaconus.* 23.37.91.120 203.
illuſtratur. 227
*Aelius Donatus.* 5.8.20.47.57.59.60 99.126.127.185.244.245.
illuſtratus. 148.149

E

*Ealredus* apud Surium. 233
*Edinerus.* 272
*Ennius.* 20
*Ennodius.* 137.165
*Epictetus* apud Arrianum. 41
*Epigrammatarius antiquus* 209
*Epitome Iuris Civilis.* 1.2.114.259
*Eſther.* 237
*Euſebius.* 114.223
*Euſtachius.* 81
*Expoſitor Romani ordinis.* 50

F

*Faber.* 167
*Favorinus* apud Gellium. 185
*Felix.* 23
*S. Ferrandus.* 120
*Feſtus.* 20.21.30.45.54.56.81.120. 121.169.192.195.201.209.216. 244.259.260.274.
*Albinus Flaccus.* 50
*Valerius Flaccus.* 74
*Calpurnius Flaccus.* 117
*Siculus Flaccus.* 274
*Florentinus.* 261
*Lucius Florus.* 6.9.252.261.
*Amalarius Fortunatus.* 49.85
*Curius Fortunatianus.* 10
*Marcus Freherus.* 119
*Frontinus.* 29.31.241.242
*Cornelius Fronto.* 169.170
*Gal. Furnerius.* 249

G

*Galenus.* 9.114.252
*Aelius Gallus* apud Feſtum. 274.
*Antonius Gallorius.* 24.264
*Aeneas Gazæus.* 224.
*Gellius.* 7.13.17.19.25.29.47.73.79. 126.133.140.149.
illuſtratus. 157
*Genebrardus.* 65
*Geneſis.* 1.36.182
explicatur. 2
*Geneſis interpres.* 23
*Gloſſarium vetus.* 115.138.186.239
*C. Gracchus* apud Gellium. 133
*Gratius.* 272
*D. Gregorius.* 36.52.110.137.240

H

*Dionyſius Halicarnaſſeus.* 3.29 218.234.
*Hegeſippus* apud Euſebium. 223
*Hermogenianus.* 7
*Herodotus.* 14.36
*Ioannes Georgius Hernartus.* 237
*D. Hieronymus.* 26.50.102.110.113. 117.185.186.187.188.204.205. 207.209.
illuſtratus. 146.229
emendatus. 205

*Hilarius*, 277
*Hiſtoriæ miſcellæ autor*. 248
*Homerus*. 140
*Horatius*. 12.27.38.39.40.41 46.55. 56.59.61.79.75.95.97.121.132.133. 138.140.147.152.154.164.171. 175.177.210.219.226.239.249. 252.259.268.270.271.
*Hyginus*. 74

I

*Jabolenus*. 175.274
*D Ignatius Martyr* explicatus. 49.
*Inſcriptio Vetus*. 238
*D. Ioannes*. 52.127.160.213.220.
illuſtratus. 274
*Iſidorus*.29.41.49.50.79.81.83.86.88. 110.113.121.128.154.164.182. 195.209.238.277.
*D. Iſidorus* emendatus. 120
*Iulianus*. 10
*Iuriſconſultus*. 118.135
*Iuriſconſulti*. 75.97.154.157.161.162. 175.177.183.210.214.243.248. 249.250.257.258.259.261.262. 264.267 268 272.273.274.279.
declarantur. 98.116.149
*Iuvenalis*. 6.7.13.17.20.28.30.32.38 40.42.45.54.57.58.59.61.63 73. 75.88.90.91 93.95.97.99.100.104 114.118.124.125.127.131.133. 135 140 145.151 152.158.159. 172.174 175.185.186 188.190.191 192.193.195.196.198.200.208. 211.212.214.219.224.235.239. 244.251.258.262.277.
reſtitutus, 137
enarratus. 68.137.178.199.253.
*Iuvenalis Scholiaſtes*. 7.18.28.33.38. 45.55 68.76.91.104.147.151.152. 181.182.185.192.195.196.221. 245.253.
refellitur. 114
emendatur. 201
*Iuſtinianus*. 2.34.183.184.186
*Iuſtinus*. 2
*Iuvencus* 54.121.127.162.245
explicatus. 149

L

*Labeo*. 14.30.174
apud Gellium. 160
apud Vlpianum. 207
*Lænius* apud Gellium. 214
*Dionyſius Lambinus*. 54
*Lactantius*. 18.186
*Lampridius*. 39.46.74.95.120.131. 163.180.225.227 231.233.234. 271.132. *M.S.*
*Portius Latro* apud Senecam. 204
*Scribonius Largus* emendatus. 257
illuſtratus. 258
*Lex* XII, *Tabularum*. 19
*Leges Longobardorum*. 30
*Salicæ*. 62.273
*Baioariorum*. 272
*Lexicon Græco Latinū vocatus* 277.279
*Lipomanus*. 161
*Iuſtus Lipſius*. 123.216.238
*Livius* 13.29 30.65.81.92.208
illuſtratus. 254
*Velius Longus* 64
*D. Lucas*. 52.54.101.127.133.213. 217.220.222.270
illuſtratus. 235
*D. Lucæ Interpres*. 46
*Lucanus*. 48.100
emendatus. 142
*Lucianus*. 10 14.26.28.32.62.73.94 190.207.259.260.

Lucil-

*Lucillius.* 15.140
emendatus. 148
*Lucretius.* 20.56.88
*Luctatius.* 261
*Luitprandus,* 184

*M*

*Macrobius.* 20.57.90.159.191.207.220.225
elucidatus. 91
*Marcianus.* 4.24.25
*Ioannes Maldonatus.* 206.237
*Manilius.* 110.117.191.193.242.271
*Aldus Manutius.* 156
*Pauli Manutii* lapſus. 145
*Marcellus Burdegalenſis.* 113
*D. Marcus.* 101.220
illuſtratus. 217
*Marcelli Papæ Geſta.* 51
*Ammianus Marcellinus.* 6.23.33.43.53.56.75.91.101.110.124.132.136.176.178.179.180.181.184.202.204.225.227.231.233.247.252.
enarratus 271
*Marcianus.* 167.175.176.
*Nonius Marcellus.* 15.20.124.170.186.202.203.251.
illuſtratus. 261
correctus. 126
*Marcilius.* 24
*Marmora Priſca.* 147.265
*Martialis.* 14.19.23.28.32.36.37.42.43.45.46.49.52.54.56.62.63.65.66.74.78.85.93.94.96.101.113.118.120.121.124.126.130.131.134.136.137.141.142.148.150.154.162.174.177.186.192.207.209.210.211.215.223.229.239.242.258.260.263.269.
explicatur. 26.27.39.64.100.102.106.122.130.156.269.270
expenditur. 101
*Adamantius Martyrius.* 22
*Martyrologium.* 136.179.238.257.264
*Maſſonius.* 233
*D. Matthæus.* 54.151.160.162.206.213.218.220.222.230.237.270
illuſtratus. 35.236.238.264
*D. Matthæi interpres.* 256.260
*Valerius Maximus.* 12.14.18.30.44.121.127.129.139.264.
emendatus. 44
enarratus. 117.224
*Cyriacus Mattheſius.* 188
*Menaumus.* 78.120.145
*Philippus Menzelius.* 252
*Metaphraſtes actorum martyrum.* 16
*Voluſius Metianus.* 165
*Mitalerius.* 238
*Modeſtinus.* 164
*Molanus* notatur. 278
*Antonius Muretus.* 263

*N*

*Nehemias.* 274
*Nemeſianus.* 142
*Cornelius Nepos.* 11.73.110.116.124.133.214.
*Neratius* apud Vlpianum. 265
*Cæſar Nichesola.* 29
*Notitia Imperii* illuſtratur. 62
*Novellæ.* 3
*Rutilius Numatianus.* 215

O

*Paulus Oroſius.* 2.34.48.116
*Ovidius* 24.43.83.84.85.86.111.127.147.175.185.195.197.198.203.207.

207.234.235.249.250 259. 261. 267. 268. 271.
dilucidatur. 196.205.206.218 222.
tantatus. 175

P

*Papinianus*. 19.149.174.177.259 260. 273.
*Rutilius Pamelius*. 194.276
*Palladius*. 209.248.265.267
*Iul. Paulus I.C.* 4.6.12.18.19 21.33. 39.46.105.118.119.149.170.171. 175.188.241.245.249.250.264.270. 273. 274. 279.
*Pandectæ Florentini*. 212
*Guidus Pancirolus*. 77
*Panegyriſta* declaratur. 74
*Onuphrius Panvinius*. 50.159
*Papinianus*. 19.149.174.177.259 260.273.
*Lælius Paſchalius*. 15.41.199
*Velleius Paterculus*. 213
*D. Paulus*. 51.84.159.230
*D. Paulinus*. 209.277
*Pauſanias*. 220
*Benedictus Pererius*. 2
*Aſconius Pedianus*. 12.71.119.134. 145.160.174.
reſtitutus. 21
*Aulus Perſius*. 37.116.223
illuſtratus. 158
*Eius Interpres antiquus*. 115.116.150
*Petronius*. 10 14.20 29.32.42.54.56 57.58 62.64.66.83.90.98.137. 141. 144.145.154.161. 162. 170.181. 192.193.204.213.218. 214. 238. 244.256.
illuſtratus. 59.134.216.219.258
*Phædrus*. 20.86.131.133.177.210
explicatur. 222.253
*Iunius Philargyrius*. 88
*Philaſtrius*. 177
*Philo*. 50.67.173.232.233.
*Philoſtratus*. 144. 191.
*Phocylides*. 14.
*P. Pithœus*. 89.92.
*Luctatius Placidus*. 2
*Fabius Planciades*. 47
*Plato*. 117
*Plautus*. 7.12.18.46.47.54.55.56. 80 98.116.127.131.160.185.202. 204.205.207.217.219.221.249.
declaratur. 122.261
*Plinius maior*. 10.21.24.25.30.34. 41.44.45.46.49.53 60.81.83.86. 109 110.115.116.119.127.129.145 155.160. 171. 175. 183. 199. 206. 219.224.225.239. 243. 246.251. 266 267.273.278.
emendatus. 10
declaratus. 139.251
*Plinius minor*. 3.92.94.95. 121.124. 135.138.148. 211. 212.236. 243. 263.276.
explicatur. 4.11.52.244
*Plinius Valerianus*. 42
*Porta vetus* 192
*Trebellius Pollio*. 208
*Plutarchus*. 5.18.44.94.95.117.135 219.220.273.277.278.
correctus. 166
*Trebellius Pollio*. 78.269
*Pomponius*. 13.34.103.105.133.204 244.249.263.
*Porphyrion*. 12.38.253
*Porphyrius*. 88.175
*Priſcianus*. 21.38
*Theodorus Priſcianus*. 46

repre-

reprehenſus. 92
*Procopius.* 181
*Propertius.* 10.81.128.170.172.194.
204.210.250.268.270.
*Proſper.* 52
*Prudentius.* 17.78.79.96.111.112.
113.119.175.190.195.198.201.
230.
illuſtratus. 198.301.230.270

Q

*Q Vintilianus.* 4.19.20.24.32.91.
113.159.161.171.173.204.232
enarratus. 130

R

*R Abanus Maurus.* 49.148
*Cunradus Rittershuſius.* 2
*Sextus Rufus.* 244

S

*S Alvianus.* 8.155.181
*Criſpus Salluſtius.* 92.125.271
*Ioannes Saresberienſis.* 2.83
*D. Sebaſtianus* apud Surium. 236
*Scribonius Largus.* 35.41.83
*Scæuola.* 149.159.160.163
*Ioſephus Scaliger.* 30.182
refellitur. 137
*Sedulius.* 56.219.230
*Seneca Philoſ.* 4.5.20.21.26.28.31.
32.34.35.38.39.40.42.43.46.49.
53.54.56.62.63.64.65.67.73.75.
90.94.96.102.104.106.108.110.121.
125.126.129.130.132.133.137.
138.141.142.148.150.154.155.170
171.174.181.194.202.211.214.217
222.231.238.258.269.231.238.
exponitur. 37.100.151.181.211.
226.241.247.
*Seneca Rethor.* 99.238.241.251
*Servius.* 4.28.32.41.47.48.50.57.71.
128.175.193.194.209.221.227.260
261.267.271.272.274.
notatur. 88
*Sulpitius Severus.* 52.228
*Sidonius Apollinaris.* 48.54.73.88.
89.96.101.114.120.136.228.251.
265.277.
*Silius Italicus.* 48.75.96.97.215.255
*B. Silueſter.* 50
*Aelius Spartianus.* 6.18.20.131.144
146.
declaratur. 115
*Statius.* 2.17.95.103.175.215
*Henricus Stephanus.* 276
*Strabo* 32.33.278.
*Svetonius.* 3.17.22.24.31.34.47.62.
65.73.87.94.105.109.113.116.118
125.132.136.144.145.164.170.174
176.180.181.193.205.213.217.220
216.232.236.260.
explicatur. 23.141.216.254
ſollicitatus. 34.141
reſtitutus. 216
illuſtratus. 234
*Suidas* 2
*Servius Sulpicius*, apud Ciceronem
133.
*Hieronymus Surita.* 238.277
*Surius.* 132.144.161.178.179.180.
183.187.220.232.252.264.269
refellitur. 253
*Symmachus.* 157
*Sympoſius.* 111
illuſtratur. 112
*Synodus Rhemenſis* 23

Cor-

# INDEX

Cornelius Tacitus. 6.23.53.59. 138.141.173.178.180.185.215. 258.
declaratur. 63.232.
P. Terentius. 5.8.31.148 171.182 183.205.245.249.
Tertullianus. 22.23.47.191 194.198. 224.
aſſeritur 192. explicatur. 193
Theodoretus. 144.248
apud D. Hieronymum. 185
Tibullus. 11.24.64.116.205.239.
Titinnius apud Nonium Marcellum. 176.
Adrianus Turnebus. 42.159.182.249 252.276.
Gregorius Turonenſis. 46.47.64.112 113 229.231.
Maximus Tyrius. 97

V

Varro. 13.21.26.31.32.33.137. 175.176.194.197.202.210.221. 245.249.250.259.260.268.269. 270.274.
notatur. 277. expoſitus. 131 261
apud Gellium. 45
Vatinius. 109
P. Vegetius. 78. expoſitis. 252
Fl. Vegetius. 121
Marcus Velſerus. 166.266
laudatus 253
Venuleius 24
Antonius Velſerus. 215
Petrus Paulus Vergerius Senior M S. 189.
P. Victor. 135.244
Sextus Victor. 39
Petrus Victorius. 213
Virgilius. 28.32.41.48.60.75.83.119. 126.176.193.194.215.216.221.222. 259.260.261.271.274
declaratur. 57.88
Hugo de S. Victore. 50
Victor Vticenſis. 264
M. Vitruvius. 89.96.98.104.175.222 224.225.247.259.265.267.268.
declaratur. 137
Io. Ludovicus Vives. 140
Domitius Vlpianus. 7.11.19.20.21.24. 25.32.36.46.94.98.116.118.133.160 164.169.171.172.174.176.177.191. 203.204.207.209.231.249.259.264 265.269.273.274.
declaratur. 4.6.12.183.18.
Flavius Vopiſcus. 144.183.208.246. 273.
Flavius Vrſinus. 58.97.166.218. 277.
Bonaventura Vulcanius. 186

X

Ioh. Xiphilinus. 31.158 161
Gulielmus Xylander. 278

Z

D Zeno. 38.49.55.159.193 198 201.246.273.
reſtitutus 152

Rerum

# RERUM;

## ET VERBORVM MEMORABILIVM

### *INDEX.*


A

ABacus Romanus. 165
Accerſitores. 127
Acroaticę Ariſtotel. commentationes. 73
Actor. 148. 149. 264. à frumento. 153
Actoris adiutor. 149
Ædium apud veteres laxitas. 214
Acus 195. crinalis. ibid. 199
Adiutores tabulariorum. 147
Admiſſionalium munus. 126. 225
Admiſſionum magiſter. 226
    proximus. ibid.
    adiutor. 227
Adſtetrix. 185
Aduerſitores. 127
Ædificio emendo præpoſitus. 172
ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ. 26
Agitator. 174. 260
Agris colendis præfecti. 172
Agaſones 256
Ἀγοραστὴς. 53
Ἀγροφύλαξ. 274
Albæ. 50
Alipilus. 42
Altile. 270
Alumnus. 188
Alumna. ibid.
Ancillæ. 179
Aliptæ. 38. 39
    eorum inſtrumenta. 40
Amnuenſes. A manibus. 209
Amicorum greges. 211
A cura amicorum. 212
Anagnoſtes. 109
Anteambulones 121
Antorcha. 128
Ancillæ matronis in balneis operam dabant. 42
    negociationi præpoſitæ. 214
Ancillulæ ex Æthiopia. 205
Anteambulatrices. 206
Antinoia imago. 223
Antiquarii. 113
Apparitores. 29
Aquarii. 31 241. Ceſariani. 242
    eorum artes ibid. vaſa. 243
Arca diſpenſatoris. 158
Arcarij. 151
Arcarius Rom. Pontificis. 159
    Præfectorum. ibid.
Arca ſtataria. ibid.
Archiater. 27. 279
Archimagirus. 45
Architectus. 272
Architriclinius. 54
Archivum. 147
Arenarij. 173
Argento præpoſitus. 60
Argentum eſcarium. ibid.
    potorium. 61
    ſcænicum. ibid.
    viatorium. ibid.
    balneare. ibid.
Arator, 259


Oo Ar-

Armenti cuſtos. 261
Armaria imaginum in atrio. 224
Armiger. 119
A' cuſtodia armorum. 120
Armillæ veteris icon. 143
Artifices. 173
Aſinarii. 260
Aſylum quid. 11
Atrienſes. 216. 221. 279
Atriarii. 221. 249. cirrati. 224
Atrienſis ruſtici munus. 248
Aucupes. 46. 270
Aucupis teſſera. 270
Atrium. 222
Ab Atrio. Atri curandi. 224
Auro cicario præpoſitus. 60
item gemmato. 61
Auctoris ingenua confeſſio erroris. 151. modeſta excuſatio. 220
Auricolæ ornatrix. 199
Auriga. 260
Avium voces intelligens ſervus. 175
Aviarium. 269
Aviarius. ibid.

B

B. F. *bonum factum.* 26
Baiuli. 186
Baiulus magnus. ibid.
*Balio. Balia: Bailo, & Baila.* 186
Balneator. 38. 144
Baſternarii. 208
Baſternæ. 209
*Bela.* 186
*Beolare.* 186
Beſtiis obiecti. 17
Bibliothecarum frequentia. 224
Bibliothecis præfecti. 108
Bibliopola. 114
Boues altiles ad ſacrificia ſaginati. 270
Bubilia. 259
Bubſequa. ibid.
Buccinator nominum. 139
Burdones. 209

C

CÆlator. 104. 175
Caipor. 21
Camerarius. 235
Canon menſtruus. 152
diurnus. ibid.
Cantabrum. 252
Capillati ſerui. 28
Calatores. 30
Captiuitatis initium. 2
Caſtellarii. 31
Caſtrenſes ſerui. 29
A' Cura Caſellæ. 190
Cantabrum quid. 253
eius originatio. 254. 255
Capillorum præfectura. 197
Capararii. 256
Capulator. 265
Carpentum. 208. 210. 273
Carruca dormitoria 209
aurea. ibid.
Carrucarii. 208. 209
S. Caſtulus Martyr. 280
Cathedralicii pueri. 210
Catelli in deliciis tricliniaribus. 218
Caculæ. 120
Calamiſtrum. 195
Calator. 54
Calculatores. 147. 164
Calentones. Cautolones. 165
Calculus Veterum. 165
Calculi athletici. 167

Canis

Canis tabernarum. 172
poſt ianuam pictus. 218
veſtigatoris miniſter. 272
Canes cuſtodes. 274
Calones. 120
Calendarium. 154
Calendario præfectus, à Calendario. ibid.
Calendaria amicorum. 211
Calide miniſter. 63
Capſæ. 117
Capſarii. 119
Carptor. 57
Caſtratio vetita. 183
Cathedrarii Serui. 136
Cella quid. 137
Cellæ familiaticæ. ibid.
Cællulæ. ibid.
Cella meretricia. ibid.
Cellæ operariorum. 249
fructuariæ ſpecies. 263
Cella olearia. 263
vinaria. 265
Cellæ promæ 47
penariæ. ibid.
Cellarij. 46
Cellerarii. 249
Cellariolum. ibid.
Cellarium. 47
Cella. ibid.
Celeuma. 74
Cenſores vſi nomenclatoribus. 139
Cenſoria poteſtas in Cæſares tranſlata. 140
Cenſuales. 155
Ceræ, & cauteria. 175
Cerdo. 176
*Ceſtele.* 273
χαρά. 236.237
Charta. 115
Chirurgi. 34
Chorus. 75
Choraulos. ibid.
Chriſtus in larario Alexandri Severi. 234.
Circitores. 172
Circumpedes. 95
Cinerarii. 194
Cinifiones. 295
Ciſium. 210
Ciſiarii. 208.210
Citharœdus. 75
Citharæ ſpecies, & partes. 79
Claves antiquorum. 106
Clavicularii. 108
Clavatores. 121
Clauſtrituus. 214
Clinici. 35
Cœmeteria. 234
Cohors. 269
Collactaneus. 188
Collacteus. Collactius. ibid.
Collactanea, Collacta. ibid.
Collaria ſervorum. 15
Collaris inſcriptio. ibid.
Collaris ferrei geſtatio famoſa. 12
Collegia. 31
Colobium. 50
Coloni. 250
Adſcriptitii. ibid.
A Chorintis. Corinthiarius. 104
Comati ſervi. 28
Communes ſervi. 29
Comœdi. 92
Coci. 44.45
Condus promus. 46
Contubernales mulieres colonorum. 250.
*Corbette.* 273
Cornua libri. 115

Corpora. 31
Coſmetæ. 191
Coſtoza. q. Coſtodia. 238
Criniti ſervi. 28
Crotalum à ſiſtro diverſum. 83
  eius nomen. 81
Crotaliſtriæ. 81
Crumenam ſeruus geſtabat. 160
Cubicularii. 231
Cubiculo præfectus. 232
Cubicularum collega. 134
Cucullus ſagatus. 256
Culina villæ. 248
  eius miniſtræ. ibid.
Cultus. 191
Cunaria. 186
Cunarius. ibid.
Cunina Dea. ibid.
Curatores. 31
Curiæ. 31
Curſoris habitus. 141. 144. 145
  eorumq; munus.
  Auguſtales. 144
  Claſſiarii. 145
  Præpoſitus. ibid.
  Nomina. 146
Cuſtodes. 215
Cuſtodes cubiculares. 235
Ad cyathum. 62
Cymbala. 83
  Eorum Materia. 85
Cymbaliſtriæ. 84

## D

D In Z mutatum. 238
Δαίμονες. 208
Dalmatica veſtis. 50
Damiſtæ. 163
Decuriæ. 31
Defrutaria vota. 267
Deliciæ, Delicia. 95
Demenſum. 152
  Servorum. 153
Denarius vetus gentis Cæſiæ. 218
Deus à ZEYC. 238
Diæta cœnatio. 276
Διαιτάρχης. 279
Διάκονες. 49
Diaconis. ibid.
  officium. 51
Diaconiæ. ibid.
Diaconiſſæ. 52
Diæta. 235
Diæcula. 176
Diætarii. 16
Diætarchus. 238
Digitorum ſonus. 64
  geſticulatio. ibid.
Diribitores. 58
Diſcerniculum. 196. 197
Diſpenſator. 150. 153. 263
  eius officium. 161
  Arcarius, eiuſq; munus 159
Diurnum. 151. 154
Diurnarii. 154
Doliarius ſervus dolearis. 265
Dolia defoſſa. ibid.
Dominationis origo. 2
Dominatum ſervitia. 177
Dominicum ædes ſacra. 17
S ptem Dormientium memoria. 234
Do alcs ſervi. 29
Δέλοι Pegaſæi. 14
Δηλάρια. 206
Δρωπακιςὺς. 42
Dypticha. 157

## E

E Ducator. 186
Elagabali miniſteria. 95

Elen-

Elenchi. 199
Encauſtice. 175
Epiſcoporum cathedræ velatæ. 230.
Ab Ephemeride. 154
Epitropos. 261
Equiſones. 259
Equorum magiſtri. ibid.
cuſtodes. ibid.
Equitii. ibid.
Equitium. ibid.
Eros. 35
Eras. 44
Ergaſtulum. 251
Ergaſtulus. Ergaſtularius. ibid.
Eunuchi. 178. Martyres. 180
Prægustatores Cæſarum. 180
Pocillatores. Silentiarii. ibid.
rerum grauiſſimam curam gerunt. 181
etiam puerorum. 182
ac matronarum. ibid.
pretium. 183
Exactores. 263. Auri, Argenti, æris; Hereditatum, Legatorum, Peculiorum, operum Dominicorum. ibid.
Exactor operum. 265
Expoſitorum liberorum libertas. 3
Excepta Apuleii, Florida. 41
Excubię. 215. 232
Exoleti. 235

F

Faber à Corinthis. 105
Fabri. 272
Ferrarii, Tignarii, Carpentarii 273
Factores. 265
Familia quid. 20
Famulus. ibid.
Famulitium. ibid.
Fames filios vendere coegit. 3
Familia aquaria. 31
Ruſtica numeroſa 246
Fana. 31
Fartores. 138
Far pro pane. 152
Fibulæ. 76
Veſtiariæ. 78
Muſicorum. ib.
A' Fiblis præpoſitus. ib.
Figuli. 258
Figlinæ in agris. 259
Flabelliferæ ancillæ. 205
Fiſcus. 31
Fiſtulator. 80
Fiſtulæ figura. 82
Focarii. 46. 249
Focariæ etiam concubinæ. 249
*Focolare*. 219
Fœniſectores. Fœniſeæ. 267
eorum inſigne. 268
Fontani miniſtri. 242
Fornax. 259
Fornacarius. ibid. 268
Foſſores. 252
Foſſoris imago. 255
Fructuarii ſervi. 29
Ad funale. 128
Furfuris cremor. 252
Frondator. 267
Frondatio. ibid.
A frumento. 153
Frumento emendo præpoſitus. 172
Fullones. 176
Fullonica. ibid.
Funambulus. 174
Funirepus. ibid.
Fugitivi ſervi, Fugitivarii. 9

quæ

quæſiti præconio. 10
libello. 16
raſi. 256
Fugę cognitio penes magiſtratum. 11
De Furtis cognitio. 12

G

GAlearii. 121
Gallinarius. 269
Geruli ſportularum. 100
Gerula. 185
Geruli. 186
Geſtationes certæ. 135
earum modi. 136
Gladiatores. 173
Gladiatores in conviviis. 97
rude donati ſpectatores. 156
Globuli lignei veterum. 158
Glutinatores. 115
Grammatici. 116
eorum velum. 228
γραμμάτων. 10
Graphium. 113
aureum. ibid.
Graphiarium. ibid.
Gregarii. 259
Grex. 20
Guttus. 40

H

HEreditarii ſervi. 29
Hiſtriones. 92
Homo. 22
Ab hortorum cultura ſeruus. 240
Hortorum procuratores. ibid.
Hydraules. 89

I

AB Ianua puer. 214
Ianitoris arundo, & virga. 181
Iatraliptæ. 38
Ianitores. 216
Vigiles. 17
ignem larum familiarium ſervabant. 218
fores obſervabant. 220
ruſtici. 274
Ianitrices. 219
A' Iàno miniſter. 210
primo, medio, ab Atrio. ib.
Ignis larum familiarium in atrio. 218
Inauris. 199
Incendiis extinguendis deſtinati ſervi. 31
Induſium. 62
Indagator. 272
Infertores. 54
Vini, pani. 144
Infibulatio. 75
Ingrati in ſervitutem redacti. 3
Inopia ſervitutis cauſa. 3
quę reſtituta. ibid.
Inſtitor. 171
eius habitus. 172
Inſularium. 172
Inſulæ. 244
Inſularii. ibid.
Inſulæ Precurator. ibid.
*Intortitia*. 128
Internuncii miniſtri. 208
Invitator. 53
ἱπποκόμοι. 259
Iugarius. 259
Iunctores. 208. 213
Iuncturæ. 213
*Iungere*. ibid.
Iuſta. 155
Ivuenis. 127

K

Κολλητής. 119

L

A Lagena, & Laguna. 62
Lagenæ ſignatæ. 160
Lalla. 187
*Lallare*. ibid.
Lamella ænea ſervorum. 15
Lampadophori. 128
Lanipendiæ. 204
Lanificæ. ibid. 250. Laniæ. 250
Lapidicinæ. 256
Lar genius focorum. 218
Laribus compitalia, & ludi à ſervio Tullio inſtituti. 218. ignis accenſus. ibid.
Ad Laternam, 128
Larium cubiculum. 234
Lararium ſecundum. Maius. ib.
Latrinæ. 269
Lectularii. 36
Lectiſterniatores. 55
Lecticarius. 98. 130. 208
Lecticarii Cæſariani. 134
Leguli. 265. 267
Lenticula. 40
Leones domi alebantur. 272
Leporarium. 271
Liberi addicebantur. 19
Liberti Imperatorum à ſtudiis. 108
Liberti Cęſariani ſervorum loco. 132
Liberti annuli iure donati. ibid.
Librarii. 113
eorum adminiſtri. 115
Librariæ. 114
Lictores. 29
Ligula. 41
Limocincti. 29. 30
Limus. 30
Lintea. 40
Litterati; Litteratores. 116
Lixa. 121
Loculi. 159. clavibus firmati. 160
etiam ſervabant claves. ibid.
Logographi. 155
Lorarii ſervi. 7
D. Lucæ oſſa Patavii. 128
Luparii. 271
Ad Lychnum. 128

M

M Agiſtri. 116
Maior domus. 148
Malleatores. 115
Mammæ. 187
Mancipia. 1
novitia vectigalia. 24
veterana novitia. 25
Vrbana. 33
Prædiorum. 274 ruſtica. ibid.
Mancipanorum artes. 25
morbi explorati. ibid.
Manciparioruin Tituli. 170
Manſuetarii. 278
Martiales larinates miniſtri. 30
A' matella puer. 63
Machærophori. 145
Magici pueri. 174
Magiſter. 226
Mancipatii. 24
Mangones. 24
Mareipor. 21
Manipuli tricliniares. 99
Ab marmoribus magiſter. 225
Mazyces. 146
Medici. 34
Medicorum ſuperpoſitus. 37
Medicę. ibid.
Mediaſtini. 38. 97. 349
Menſarum deterſores. 56
Menſæ præpoſiti. 162
Mercaturis redempturiſq; præpoſiti. 172

Mercedem præſtabat Procurator. 264
Meſſor. 249
Ad metalla damnati. 256
Miniculator. 116
Miniſteria publica. 30
Miniſtri convivii. 47
Miniſtra ab argento potorio. 190
Miniſteria. 48
Miniſtrator. 61
à frumento. 153
Miſſilia. 158
Molæ aquariæ veterum. 248
Monitores. 128 138. 263
Monitrix. 129
Monoclinium. 78
Moriones. 94
Mulieres muſicæ. 79
Muliones. 208. 260
carrucarii. 210

N

Nani, & Nanæ. 94
Navi præpoſiti. 170
Navis magiſter. ibid.
Naulia. 85
Necis ius in ſervos. 6
Negociatores diverſi. 169
Nomen vnde appellatum. 138
Nomenclatores. 54, 138. 224
Nomenclator à cenſibus. 140
Nominum ſervilium ſeges. 33
Notarii. 109. Principis. 110
Notarię. 110
Novitius. 25
Numerarii. 147
Nutrices. 185
Nutritor. Nutritius. 187
Nummi plumbei. 122

O

Obſonator. 55
Obſtetrix. 184
eius pretium. ibid.
Obſtetrix. 185
Occator. 249
Ocularii. 24
Oſſarii. 44
Officioſi. 126
Officinator à ſtatuis. 225
οἰνοχόος. 62
οἰκονόμος. 159
Olitor. 268
Olivitor. 265
Oleariæ merci præpoſitus, 173
Operarii. 249
Operæ. ibid.
eorum habitus 256
Operarii ruſtici. 274
Organum. 88
Organici. ibid.
Organa hydraulica etiam folles habebant. ibid.
Organarius. 89
Ornatrices. 191
Ordinarii ſervi. 29
ὀρχηστρίδες. 260
Orcini. 37
Ornatus. 191
Ornatores. 115
Ornatrices. 191
earum inſtrumenta. 192
Oſtiarius. 214
catenatus. 216
eius comes canis. 217
miniſterium. 219
Ovilium mancipia. 259
Opiliones. Oviliones. ibid.

Pæda-

P

PÆdagogia. 21
Pædagogi. 116.128
Palæſtrita. 174
Guidus Panticolus Pignorii præceptor. 77
Panicoctariæ. 268
Panis diſtributio. 58
*Panieri.* 273
Papas. 182
Paſtores. 261
*Pavero* 18
Pecoris magiſtri. Pecori præfecti. 261.
Pecten. 197
Peculiari ſervi. 29
Penuarius. 47
Peni procurator. ibid.
Penu quid. ibid.
Penuaria ancilla. ibid.
Pecuniis dandis, fœnerandis, exigendis præpoſiti. 162.172
Ad Pedes pueri. 65
A pedibus. 66
Pediſſequi. 124. 144
Pediſſequę. 206
à pendice Cedri. 240
Penula qualis. 130
Penula veſtis lecticariorum. ibid.
Penula Grammaticorum. ibid.
Peregrinantium miniſtri. 147
Phalera curſorum, & equorum. 141
Phrygio. 176
Pictorum error in hiſtoria Mariæ Magdalenæ. 66
Pilenta. 209
Piſcatores, & Piſcatui præpoſiti. 268
Piſcatoris teſſera. 271
Piſtor. 45. Pinſor. ibid.
Piſtores Dulciarii. Lactarii. 45
Pictura ſervis conceſſa. 175
Pictorum communis error notatus. 218.
Pigmentarius. 36
Pignoribus accipiendis præpoſiti. 162
Pileati. 37
Pinacothecæ. 215
Piſtrinum. 9.248
à Theodoſio ſublatum. ibid.
Piſtrinarii. 256
In Piſtrinum acti viri, & mulieres. ibid.
Placentarii. 46
Pocillatores. 57.62.180
Pocillatoris icones. 68
Pollinctor. 36
Pomarii. 46
Poppyſmata. 64
Potitii. 30
Porculator. Porcarius. 260
Porculatio. ibid.
Procurator. 161.163
Procurator Cæſaris. 163
Procuratores Cæſariani. 161
Procuratio ornamentorum, Bibliothecæ, Patrimonii, & heredit. xx. heredit Aurariarum, Balnei Formiis, Fundis, Cajetæ; Laureato ad Elephantos; à Rationibus; Villarum Tuſculanarum; Subprocurator viceſimæ. 162
Promptuarium. 46
à Potione. 62
Præceptores. 34.106
Præconis munus. 139.140
Prægustatores. 59.180
Prælatores. 265
Præpoſitus. 179

Primicerius. 179
Promus. 46. 249
Prorogatores. 151
Publici ſervi. 26
Puer, ſeruus. 21
Puerorum formoſorum frequens ſervitium. 65
Pugillarium forma. 110
A Pugione. 120
Pueli garruli. 144
Pulmentaria. 248
Pumicatores. 115
A Punctis. 32
Putator. 267

Q

Qualus. 273
Quaſilliariæ. 204
Quietis miniſtri. 181

R

Raſi. 256
Ratiocinator. 163
à rationibus libertus. ibid.
Rationalis. 163
Receptitii ſervi. 29
Redempturæ. 172
Rhedarii. 208
Ripuariorum leges. 6
Runcator. 249
Ruri habere, civitate relicta, ignominioſum. 249

S

Saltus. 274
Saltuarius. ibid.
Saltatores. 124
Salutandi hora. 125
Salutatio publica, privata. ib.
Salutigeruli pueri. 208
Sambucinæ. Sambuſtriæ. 81
Sambuca. ib.
Sandalia aurea. 206
Sandalarii. 177
Sandaligerulæ. 206
à Sandalio pueri, & ancillæ. ib.
Sarçinæ. 169
Sarcinatores, ib.
Sarcinatrices. ibid.
Sartor. Sarritor. 242
Scantio. 62
Scapha. 216
Schœnobates. 174
Sciſſor. 57
Scobe triclinia purgabantur. 99
Scopa. 98
Scoparius. 97
Scriptores. 106
Scribæ. 39. 110. 114
Scribendi ratio. 115
Scrutarius. 140
Semiraſi. 256
Segmenta circularia ex ebore. 158
Sella geſtatoria, fertoria. 136
tonſoria. ibid.
pertuſa. ib.
balnearis, familiarica. ib.
Arquata, arcuata. 138
Curulis, muliebris, ſolida ibid.
Sepulcra velata. 230
dealbata. ibid.
Servitii nomen vetus. 1
Servitium: ſervitia. 22
Servi Originatio. ibid.
Servi duorum generum. 2
non habent ius. 4
à militia retracti. 4
liberi facti in militiam adſcripti. 4
Pecudum numero habiti. 4
male tractati. 5
epitheta ſervi. 6
à fuga retracti ſtigmatibus notati. 13

fugi-

fugitivi cruci affixi. 18
pignori dati. 19
fiduciarii. ibid.
vrbe eiecti præter Medicos, & Preceptores. 116
qui animadvertebant in Servos. 12.
Servorum Nationes. 32
Nomina. 35
familia vrbana. 33
veſtis. 133
victus 153
Sigma vetus. 58
Silani. 243
Silentiarii. 180
Silicarii. 32
Siſtri figura. 82
Societates. 31
Soliarii. 177
Ad ſomnum. 181
Spadones. 178
Speculum. 196. 197
Sterquilinia. 269
Stalagmium. 199
Statua miſeris perfugium. 11
Structor. 273
Stylus ſive graphium. 111
Sublimia. Sublimata. 268
Subſcribendarii. 155
Subvillicus. 241
Subulcus. 259. 260
Supellecticarii. 103
Superiumentarius. 260
Stigmatum notæ. 14
ad metalla damnatis inuſtæ. 257
item ergaſtulis. ibid.
Structores. 45. 56
Strictores. 264
Strigilis. 40
Succollatores. 36
Sutor. 176. Caligarius. 177. Cæſarianus. ibid.
Symphoniaci. 73. remigum. 74

T

Tabellarii. 113. 141. 146
Tablinum in atrio. 224
Tabulata. 268
Tabernarum diverſæ ſpecies. 172
tituli. ibid.
Tabellio. 146
A Tabulis. 147
Tabularium. ibid.
Tabularii. 159
Tabularii Auguſtorum. 147
à Patrimonio, Hereditatum, Fiſci, Provinciarum, à Muneribus, rationis Veſtiariæ, à Vehiculis, ibid.
Tædigeri. 128
Ταμίαι. 47
Tatæ. 187
Teſtamenta ſervorum. 4
Tectores. 32
Teſſerarius. 155
Teſſera. ibid.
eius materia. ib. 156. Inſcriptio. Symbolum. ibid.
Teſſera honoriana. 158
frumentaria. ibid.
Teſſerulæ. ibid.
Textor. 176. 250
Textrices. 178. 203
Thalami velum. 229
Theodoſius Imperator triclinii nequitias ſuſtulit. 91
θρόνος. 138
Tibicinæ. 80
Tibiæ figura. 82

Tinel-

*Tinello*. 277
Topiarii. 243
Tormenta ſervilia. 8
*Torchie, Torchii*. 118
Torcularium cuſtos non ſemper ſeruus. 265
Tonſores ovium. 259
Tonſor. 43. Palatii. ibid.
eius inſtrumenta. ibid.
Tonſtrix. 44
*Tractatores, Tractatrices*. 37
Trapezitæ. 163
Triclinii ſpecies. 67
amplitudo. 102
Tricliniarchæ virga. 181
Tricliniariorum ſervorum partes. 54
cultus, frequentia. 67
Triumuiri non ſervorum modo, ſed & liberorum maleficia conquirebant. 13.
Tunica. 49. 131
Tutulus. 192. 201
Tympanum, eius forma. 87
Tympaniſtriæ. 88

V

Vaſa Samnitica. 25
Corinthia; Deliaca. 104
Vitrea, murrina, fictilia: eſcaria, potoria ibid.
Vaſcularii. 104
Velum. 227
Velaminum præfectura. ibid.
Vela templorum. 229
Tricliniaria. Amphitheatralia. 231
Venalitium. 170
Venalicii. 170
Venalitiarii. 24. 170
Venales. 171
Venatores. 46. 127
Vernulæ. 26
Vernilitas. 27
Verniliter. ibid.
Veſtiarii. 105. Ad veſtem. A veſte. ib.
Veſtiaria. 203
Veſtifici. Veſtiſpici. 105. 202
Veſtifici. 202
Veſtificæ. ibid.
Veſtigator. 272
Veſtiplicæ. 202
Veſtiſpicæ. ibid.
Veſtium colores. 05
Veterator. 25
Vice dominus. 261
Villici. 32
Vinitor. 266
Viriola. 199
Virvicarii. 259
Vigiles. 31
Vigilum Præfectus. ibid.
Villæ topographia. 247
Villici. 240. 261
Vilicatio. ibid.
Villicari. ibid.
Villica. 262
eius munus. ibid.
Ad vinum. 62
Vindemiator. Vindemitor. 267
Virga murmur famulorum compeſcebatur. 181
Vmbelliferæ ancillæ. 205
Vmbilicus libri. 115
Vnctores. 38. 39
Vnguentarius. 41
Vocator. 53
Volumina. 115
Vrſi domi alebantur. 272
Vrſarii. ibid.
Vltores. 35
Vtriculi figura. 82
Vulgares ſervi. 29

FINIS.

# LAVRENTII PIGNORII PATAVINI SYMBOLARVM EPISTOLICARVM LIBER

*In quo nonnulla Ex antiquitatis Iuris Civilis, & Hiſtoriæ penu depromuntur & Illuſtrantur, multaque Auctorum loca emendantur, & explicantur.*

PATAVIJ, M. DC. XCIIII.

Typis Petri Mariæ Frambotti. *Superiorum permiſſu.*

# LECTORIBUS BENEVOLIS.

EGo vos in hoc Epiſtolarum mearum limine Lectores admonitos volo eiuſce conſilij, quod me impulit ad Epiſtolarum mearum editionem. Cum Martinus Sandellius, qui cum mihi intercedit vetuſta neceſſitudo Litteraria, in Bibliotheca mea oculos conieciſſet in faſcem ſatis grandem, qui Epiſtolas meas continebat, explicato volumine (ut eſt ingenuè curioſus) & aliquibus non ſinè voluptate perlectis, quid tu inquit Pignori has tuas Epiſtolas venire in conſpectum hominum non permittis? Ego tenuitatem ſtyli excuſare ſivè potiùs accuſare, materiamque non omnino Epiſtolis convenientem: præterea pleroſq; illorum, ad quos ſcriptę fuerant, fato conceſſiſſe, & nonnullas Parérga Hiſtorica continere, Ille contra iubere de ſtylo ſollicitum me eſſe non debere, amaſſe enim magnos viros locutionem ſolutam & familiarem, nequè aliud requiri ab Epiſtola, quam ut ſit imago quædam ſermonis domeſtici, & quotidiani. fideiubere ſe præterea ſegetem rerum haud diſplicituram, aliorum exemplo, qui Critica, & Doctrinas Epiſtolis inſeruerint. gratam ad hæc futuram memoriam illuſtrium defunctorum hoc veluti ſcriptionis poſtliminio reſtituendam. nequè eſſe novum Hiſtoriam Epiſtolis tradi. Et ego ſanè qui memineram hæc omnia magnis Patronis non carere, dedi manus non gravatè, & ſum paſſus exire han-Quinquagenam, portionem aliquot Centuriarũ, quę & ipſe lucem aliquando, & fortè brevi, aſpicient; modo vos Lectores benevoli has aliqua favoris veſtri aura provehatis. & hoc profecto peculiariter a vobis exigitur, qui ſtudia noſtra ſtudijs veſtris illuſtraſtis, qui Pignoriũ pręconijs nõ translaticijs eſtis dignati. Per vos quod mihi obtigit, *viventi decus atque ſentienti* (ut canit vates Hiſpanus) id rari fortè poſt cineres habent Auctores. Hoc ego patrimonium, quod vos mihi honeſto veſtro rumore conflaſtis, numquam diſſipabo. Vos favete, ut conſuevistis linguiſquè animiſquè. Crabronum enim Veſparum & Fucorum aculeos nihil moror. Valete.

# INDICVLVS EORVM,
## ad quos Epiſtolæ ſcriptæ ſunt.


A

Albertino Bariſono Abbati. 61
Aloyſio Lollino Epiſcopo Belluni. 51
Aloyſio Corradino. 30
Andreæ Chiocco. 26. 35. 45
Andreæ Maurocceno Senatori Ven. 39
Angelo Rocchæ Epiſcopo Tagaſtenſi. 22
Annibali Campegio. 92
Auguſtino Fauſtino. 120

B

Balthaſari Bonifacio. 100

C

Cæſari Nicheſolæ. 20
Chriſtophoro Forſtnero. 74
Curtio Pichenæ. 34

D

E

Edmundo Brutzio. 9

F

Felici Oſio. 68
Flauio Quarengo. 98
Franciſco Polæ. 31
Franciſco à Sole. 111
Franciſco Viduæ. 7. 16

G

Gabrieli Capræ Comiti. 53
Gulielmo Sohiero. 80

H

Hieronymo Alcandro. 117
Hieronymo Boſſo. 113

I

Iacobo Cauacio. 18
Ioanni Bonifacio. 88
Io. Hieronymo Bronzerio. 64. 75
Ioanni Mangano. 15
Ioanni Vinc. Pinello. 13
Ioanni Rhodio. 79
Ioanni Thuilio. 71
Ioanni Z. Caſtellino. 121

L

M

Marco Antonio Romito. 56
Marco Velſero. 29
Martino Sandellio. 14. 90

N

Nicolao Craſſo. 57
Nicolao Fabricio Peireſchio Senatori Regio. 59

O

P

Paulo Aicardo. 1
Paulo Gualdo. 41
Proſpero Alpino. 19

Q

R

S

Scipioni Cobellutio S. R. E. Cardinali. 57. 49
Speroni de Comitibus Comiti, & Abbati. 95
Sigiſmundo Boldonio. 109

T

Thomæ Dempſtero. 38

V

Vincentio Contareno. 23


RE-

# RERVM ET VERBORVM INSIGNIVM

## INDEX.


A

ACcipiter Dei Symbolum. 46
Accipitris Alæ ibid.
Adolphus Occo. 81
Adraſtia. 87
Aeneas Vicus. 12
Aeſculapius. 26
Aeſculapius imberbis. 27
Aeſculapius capite velatus. ibid.
Agapius Medicus. 20
Aldinæ Catellæ proſopopoeia. 123
Alexander Farneſius Card. 72
Alexandriæ Serapeum. 20
Eiuſdem nummus ibid.
Alexandriæ Sol quotidiè viſus. ibid.
Formoſa vrbs. ibid.
Turbulenta ibid.
Alexandrina Civitas non temerè dibatur. ibid.
Alexandrinę ſcholę Medicorum. 19
Aloyſius Corradinus I.C. 101
Aloyſius Lollinus Epiſc. 121
Alpium deſcriptio. 107
Amiantus. 56
Ancyranus Lapis. 74
Andecabeo & Auricabeo. 120 121
Andigaverit & Arrigaverit. 120
Andigavum & Arrigavum quid. ibid.
Andreas Mantinea. 11
Andreas Scottus. 40
Andreæ Navageri ſchedia. 74
Anguis Aeſculapij. 28
Angues Sacri. 45
Annuli Articulorum. 4
Annuli æſtivi, & hiemales. 2
Annulorum Materia. 2
Annulorum Vſus. 4
Annulus Pronubus. 37
Antæi Parma. 10
Antenoris geſta. 112
Antiquarij ſtudij initia. 10
Antonius Auguſtinus. 114
Antonius Quærengus. 55
Apes Dianæ. 117
Eædem in nummis Epheſorum. ib.
Item in nummis Smyrnæorum. ib.
Etiam in nummis Neapolitanorum. ibid.
In nummis quoque Meſſanenſium Brattiorũ & Metapontinorũ. 118
Apri Calcidonij dentes. 10
Aponi ſolum penſile. 79
Ara cum Cruce. 51
Arbor felix. 7
Arcus Conſtantini Auguſti. 85
Arcus Scyticus. 23
Arethuſa. 25
Arra & ſponſio. 6
Aſſis partes. 7
Athletæ. 15
Auctores veteres de Pictura. 96
Auctores Veteres vbi reperti. 33
Augurium boni Fati. 114
Aulæa textilia. 96
Aurem vellere. 87
Aures memoriæ ſacræ. ibid.
Auris Minervæ ſacra. ibid.
Aurita libatio. 86
Aurium præſtantia. ibid.
Aurum inciſum loco Gemmæ. 1
Aurum proſtrena. 115
Auſpicium artium. ibid.


Ba-

B

BAculus Aeſculapij. 27
Balineum. 69
Barba Aeſculapij. 26
Bartholomæus Fuſcus Leonicus M.S. 74
Bellum Babrariei. 85
Benedictio Annuli & Coronæ. 37
Beſſarion Cardi. 39
Beſſarionis liber lattinus. 40
Bibliotheca Ticini. 32
*Bon capo d'anno.* 116
*Bone Feſte.* ibid.
Britanias Idola. 46
Brixia direpta a Gallis. 32
Brumæ. 114. 116
Burgundius Iudex Piſanus. 88

C

CAlendarum Feſta. 117
Calendæ Ianuarij. ibid.
Calices dedicati. 69
Calpurni Bucolica. 31
Capita humi mandata abiuncta reliquo corpore. 16
Capita in fundamentis urbium. ib.
Capitulare Caroli Magni interpolatum. 120
Calori Audacis cædes. 83
Carolus Anibal Fabrottus. 94
Caſſiodori Cronicon. 74
Caſus ingenium. 99
Cauda Serpentis emento. 47
Cæcilia. 67
Cæſaris nummi. 10
Cebetis Pinax. 96
Cenſus Claudianus. 74
Cephali piſces. 29
Ceræ proprietates. 109
Charitoblepharos. 54
Chriſti nomen. 5
Chriſti nominis compendiaria nota. 49. 50. 51
Chriſtianorum Annuli. 2
Cilicium. 7. 18
Cincti. 34
Claudiani Epigrammata. 31
Coelum Cælum Celum. 17
Coloniæ tredecim Athenis in Aſiam miſſæ. 117
Coloſſei populatio. 85
Commemorare memoriam. 56
Compaginæ. 36
Compaginantes Agri. ibid.
Conciones Hiſtoricæ. 103
Confeſſio. 95
Conſtantinopolis quo anno captiva. 40
Cornelius Tacitus. ibid.
Eiuſdem codex M. S. ibid.
Corona nuptialis. 37. 38.
Corpora apud Iuris cons. 93
Cortinæ Apollinis. 76
Coſmus Pinellus. 44
Crater Sabellici. 55
Criſimon Caſſiodori. 50. 65
Criſtalus. 30
Cronicon ſeptem ætatum. 97
Crux Anſata. 48
Crux Sacra. 51
Cupidines. 14
Quot. ibid.
Cyane. 25

D

DAniel Heinſius. 99
Decades Livij. 104
Dedicare. 70
Dedicatio Agrorum. ibid.


De-

Dedicatio Hebreorum. 69
Dedicatio publicorum operum. 68
Dedicationes Eccleſiarum. ibid.
Dedicativæ qualitates. 71
Delmatius. 82
Delminium Dalmatiæ oppidum. ib.
Delubrum. 70
Demetrius phalereus. 53
Democritus Abderites. 109
Dextra fidei Sacra. 87
Dextræ. 37
Digiti Minervæ Sacri. 87
Dionyſius Alicarnaſſeus. 100
Eiuſdem conſilium. ibid.
Dioarius medicus apud Symmachum. 110
Dominicum. 70
Dominicus Molinus. 99
Domitius Vlpianus. ibid.
Dracones. 28
Dracunculi torquem figurant. 81
Duumviratus. ibid.

E

ECcleſiæ. 70
Ellicnia Lucernarum. 36
Epheſus. 117
Ericius Puteanus. 41
Equi caput. 25
Ethnici multa habebant communia cum Chriſtianis. 69
Europæ Figura. 23
Examen Apum. 118

F

Q. Fabij Maximi caput. 84
Falli hominis proprium. 38
Felix Felicianus. 11
Fidei Annulus. 37
Fortunius Licetus. 50
Franciſcus Floridus Sabinus. 105
Franciſcus Maria Grapaldus. 97
Franciſcus Petrarcha. 29.31
Fridericus Lindembrogius. 120
Frons Genio Sacra. 87
Funda. 22
Fundæ Brachia & fundes perforatus. ibid.
Funus cera conditum. 109

G

GAditanus Oceanus. 76
Gemmæ Vitreæ. 4
Genda Miſericordiæ Sacra. 87
Geoponicorum Schedia traslata in linguam latinam. 89
Georgius Vaſarius. 39
Gerardus Io. Voſſius. 103
Gorgon cui vſui. 19
Græcorum locorum in Pandectis interpretes. 89
Græcorum in Hiſtoria Romana nimia diligentia. 102
Guarini hexaſticon. 32
Guarinus Veronenſis. 39
Gulielmus de paſtrengo Veronenſis. 32

H

HAdrianus Pont. Max. 73
Haruſpicum Vanitas. 118
Henricus VII. Coronatus. 56
Hieronymus Vallenſis M. S. 74
Hippo-centaurus ex Ægypto. 110
Hippocrates de partu. 94
Homerus a latinis citatus. ibid.
Homerus Smyrnæus. 118

Iaco-

I


Iacobus Gruterus. 39
Iacobus Sirmundus. 67
Iano tatius. 113
Ianuariæ. 114
Ianus Pater. 80
Icones Sacræ. 47
Imagines illuſtrium in Annulis. 4
Ingenui Annulo diſtinguebatur. 5
Innodius pro Ennodio. 69
Inſcriptionum veter. collectores. 32. 33.
Io. Andreas Straneus. 84
Io. Baptiſta Nenna Barenſis. 121
Io. Bertrandus. 92
Io. Franciſcus Muſſatus. 43
Io. Marcanova. 11
Io. Palæologus Imp. 39
Io. Vincentij Pinelli Vita. 41
Iollus Pictor. 97
Iocundus Veronenſis. 12
Ion Xuthi Filius. 118. 119
Ioſeph Annulo Regio donatus. 1
Ipernefilus Bronzerij. 75
Iſis. 48
Iſis Terra. ibid.
Iuba Rex Manſuſiorum. 82
Iulia Mammæa Auguſta. 92
Iulij obſequentis liber. 102
Iulius Paulus. 92
Iuſtini locus controverſus. 58
Iuſtus Lipſius. 48


K

L


Lacus Solanæ. 29
Lacus Vulſinienſis. 73
Lagea Cataplus. 65
Lampeto amica Demetrij. 53
Laurentius Athenæi. 99
Laurentius Medices. 99
Leo Belgicus. 23
Leo X. Pont. Max. 72
Lex Cornelia nummaria. 85
Librorum Longobardorum emendata ſcriptura. 121
Lilius Gyraldus. 73
Limocincti. 34
T. Livij Laudes. 100. 103. 106. 108
T. Livius defenſus. 101
Loci corpus. 93
Longobardicarum legum editio a quo expectatur. 120


M


Macrobius fallitur. 5
Magi Perſarum ignem venerantes. 58
Magmentum quid. 63
Magnus Medicus. 20
Mamma Iſidis. 48
Manſiones. 56
Mappula orbis vetus. 22
Maraſſi. 66
Mare magnum & mortuum. 50
Marmora impreſſa genibus digitis, & pedibus. 21
Marmora litterata. 84
Marſi. 66
Marſilij Ficini Somnium. 60
Idem calumnia vindicatus. ibid.
Martini Smetij hallucinatio. 65
Matronales. 114
Maximus & Silueſter Valerij. 122
Mazochij lapis adulterinus. 75
Medicæi. 33
Metæ Murtiæ. 67
Mel pro conditura funeris. 109
Mellis proprietates. ibid.


Mem-

Membranæ cui uſui deſtinatæ. 84
Memoria uxor Iovis, Mater Muſarum ubi culta. 88
Menſa Iſiaca. 45. 45
Minerva Medica. 87
Minervale Munuſ. 114
Mortarium ex antiquis nummis. 83
Munuſcula pro Perena. 115
Muſæ in curru Phœbi. 76
Muſæ ſub Apum ſpecie. 117
Mutationes. 56
Mixtum Lucernæ. 56

N

NAtales Vrbium. 69
Neæra Athenienſis. 51
Nemeſis. 53
Neomenia. 113
Nummi Ptolemeorum. 50
Nummi pro Gemmis. 8
Nummus Conſtantini. 50
Nux pinea. 22

O

OCtavianus Bonus. 123
OI Græcum eſſe OE latinorum. 16. 17
Onuphrius Panvinius. 39
Orimanum admovere quid. 25
Oſculum Annuli. 9
Oſculum manus in veneratione. 23
Oſculari mentum ſtatuarum. ibid.
Veſtigia Iſidis. ibid.
Oſiris. 47
Otacuſtæ Regij. 87

P

PAginæ. 35. 36
Papiria folia. 84
D. Pauli iter. 95
Paulus Benius. 100
Paulus Tyrius Rhetor. 95
Patavinitas apud Livium. 106. 107
Patris exemplum ſæpè magnum. 83
Pecunia legata in miſſionem monumenti. 91
Pedes Ægyptiorum numinum conſecrati. 48
Pedes Lectorum. 22
Penularum capita. ibid.
Perſonæ comitas. ibid.
Pœnigena Æſculapius. 28
Perſarum Deus ignis. 58
Perſeæ Pomum. 47
Petaſus. 23
Petrus Antoninus tollentinus. 71
Petrus Bembus Card. 45
Pharmacopola. 66
Philippus quid ſonet Hebraicè. 13
Quid Græcè. ibid.
Pictura vires. 95
Pictura in pretio apud veteres. 96
Pierius Vallerianus. 1
Pinacothecæ ſitus. 97
Piſanus Pictor Veronenſis. 39
Piurium in Ratia. 78
Platani folium. 23
Pomponius Atticus. 41
Præſentia inimica magnis nominibus. 86
Prodigiorum explicatio. 102
Prometheus ad Græcos annuli inventor. 1
Publius Auguſtus Gratianus M. S. 75.
Pudicitia. 52
Pyrrhi imago. 19
Pyrrhus Ligorius. 12
Pythagoras exercitor. 16
Pythagoræi carnium voratores. ibi.

Q

QVintilianus vocem confeſſionis uſurpavit. 94

Rha-

R

Rhamnuſia. 52
Rhombus. 23
Romani Græci barbari. 102
Rota Nemeſis. 53
Ruris ſuburbanis laude. 124

S

Salutationes facere in conſpectu. 21
Saturnalia. 12
Saturnalitia ſpurtula. 114
Schinella comes de Comitibus. 98.
Sæculum Græciſſans. 93
Senectutis incommoda carmine expreſſa. 123
Seps. 67
Septizonium Seueri. 85
Sergia Tribus. 81
Serpens Æſculapij. 27. 28
Servitutes corpora appellatæ. 93
Servitutes ruſticorum prædiorum incorporeæ. ibid.
Servus ad Auribus. 87
Sicæ. 23
Simulacra ad viventium veram effigiem expreſſa. 3
Simulacra dedicata. 68
Solis laudes. 111
Sothis Stella. 47
Sperenus Speronius. 98
Stationes itinerum. 56
Stephanus Magnus Patritius Venetus. 12
Stipes. 117
Strenæ Chriſtianis vertitæ. ibid.
Strenæ collatæ Cæſaribus. ibid.
Strenæ quam antiquæ. 113
Streniæ Lucus. ibid.
Strenua Dea. ibid.
Studioſi notio. 94
Sulla ambitioſus. 4
Suppedaneum. 52

T

Tabella Lapidea ægyptia. 45
Tablinum. 97
Tabulæ pictæ in templis. ibid.
Terra ſtabilis. 78
Terræmotus Apulus. ibid.
Terræmotus in die feſto converſionis Divi Pauli. 79
Terræmotus leves. 78
Theatrum Florentinum. 84
Thetydis cubilia. 76
Tomas Segetus. 43
Tuſcæ litteræ. 26
Ticinus Aurifer. 110
Torques. 81
Torques ex antiquis nummis. 84
Tranquillus Moloſſus. 72
Tribonianus. 95
Tripus muſis ſacer. 118
Tuentio. 91
Tuitio monumenti. ibid.

V

Vela Grammaticorum. 76
Verbena. 113
Veſtigia Salvatoris Hieroſolimis. 21
Vicetia. 53. 54. 55
Vitalia Carnæ Deæ ſacra. 88
Vlyſſes Aldrovandus. 119
Volens propitius. 64
Vpupæ caput. 48
Vrbani VIII. Carmen. 119
Vrbis Romæ maieſtas. 105
Vrna. 26

X

Xuthus Athenienſis. 117. 119

Y

Z

FINIS.

# L. P. PAVLO AICARDO

## Philoſopho, & Medico Viro doctiſſimo.

### Epist. I.

*Ruditio tua Vir Cl. & illicio mihi eſt & formidini. Hinc fit, vt communicare tecum omnia quæ mihi excidunt apprime cupiam, idemque ſummo ſtudio celem ea omnia mearum vigiliarum cœpta, quibus tu Doctrinæ Genium conciliaſti. Vicit tamen hac vice deſiderium diſcendi, perpulitque ut arbitratuĕ ſubijcerem tuo Annulos meos. ita enim appello Syntagma, in quod conieci varias de Annulis notas. neque vero hæ te dedecent, qui ut Antiquitatis univerſæ peritus es, Dactyliothecam habes precio, varietate, & artificio inſignem. Annulorum uſum in magna vetuſtate fuiſſe arguunt ſacræ, Litteræ Gen. Cap.* XLI. *in quibus Ioſeph, teſte etiam Ioſepho Lib.* II. *Annulo regio donatur, Prometheo ipſo vetuſtior, quem fabulæ huiſce rei conditorem prædicant. habeant ergo ſibi ſententiam ſuam Plinius, & qui ipſum ſecuti ſunt, Homericis temporibus inferiorem reputantes. Græci videntur ex Oriente devexiſſe; Itali a Græcis, verum vſu initio præparco, qui deinceps ad omnes promiſcuè pertigerit. argumento ſunt Gemmæ ſigillares, quæ copia ſui ipſam propemodum infinitam Nummorum veterum vim exæquant. Materies fuit Gemma, Aurum, Argentum, Aes. Gemmeos totos ſunt qui viderint. Aurei Argentei, Aerei, Ferrei paſſim eruuntur, ſed cum Gemmis incluſis. At fuit olim cum vicem Gemmarum obtineret*

 *Aurum*

*Aurum, & ego vidi apud Petrum Stephanonium non ſemel, quod ſane non omiſit diligentiſſimus auctor Plinius; Lib.* XXXIII. *Cap.* I. contra vero multi nullas admittunt Gemmas, Auroque ipſo ſignant: id Claudij Cæſaris principatu repertum. *Æſtivorum & hiemalium vſum retulit antiquus Interpres Iuvenalis Sat.* I.

Ventilet æſtivum digitis ſudantibus Aurum.

Nec ſufferre queat maioris pondera gemmæ.


*Natalitiorum meminit idem ad Perſium Sat.* I.

Et natalitia tandem cum Sardonyche albus,

quia quidam habent Annulos (*inquit vetus enarrator*,) quos die tantum natali gerunt. *Sardonix eſt apud me, in qua ſquilla cælo expreſſa eſt, nomine ſupranotato* Ρουφιλλα. *Et huiuſmodi Litteratos non paucos vidi, quos evulgabo aliquando cum bono Deo. frequenter autem Annuli præferuntur vultus Principum, & clarorum virorum. Plinius Iunior Lib.* X. *Epiſt.* XVI. *Gemmam commemorat habentem imaginem Pacori Parthorum Regis, & Svetonius Aug. Cap.* L. *Tiberioque Cap.*LVIII. *& Val. Max. Lib.*III. *Cap.*V. *rem ſatis confirmabunt. Ego ſanè Iulium Cæſarem, Neronem, & Fl. Claudium domi habeo totidem Gemmis inciſos, ut mittam aliquot fœminas celebrioris notæ. a vultibus ſi recedamus, nihil non eſt quod Annuli non oſtentent. Plinianus Quadrigam habebat, ut ipſe refert Epiſtola proximè citata. Amphitruonius ex Plauto, cum Quadrigis Solem exorientem, uti produnt veteres Nummi non pauci. Militis apud eundem Curculione, clypeatus Elephantum machæra diſſiciens. Neronis Svet. C.* XLVI. *Proſerpinæ raptum. repertus ex eodem Galb. C.* X. *in munitione oppidi, opere antiquo, Victoriam cum Trophæo ſatis frequentem notam. Sullanus ex Val. Max. Lib.* VIII. *C.* XV. *traditionem Iugurtæ a Boccho rege, cum eſſet C. Marij Quæſtor, ut inquit Plutarchus Politicis. qui Sullam ex eo uti ambitioſum improbat, quod ſibi rei gloriam Mario uni debitæ vindicaret. Neque vero uſum Annullorum repudiarunt Chriſtiani, adeo ut operæ pretium arbitratus ſit Plutarchus noſter Clemens Alexandrinus Pedag. lib.* III. *Cap.* XI. *præſcribere aliquem terminum, intra*

*quem*

*quem contineretur hæc licentia promiſcua quidlibet in Annulos inſculpendi. cenſet enim à noſtris rectè geri non quidem Idolorum facies, vel Enſem, vel Arcum, Poculave: multo minus Amaſios vel Amicas inveſtes; ſed Columbam, Piſcem, Navim, quæ celeri curſu à vento feratur, vel Lyram Muſicam, qua uſus eſt Polycrates, vel Ancoram nauticam Seleuci Regis, (cuiuſmodi ego, ut noſti, apoſphragiſmate utor, veluti tu, & tardigradam & domi portam Teſtudinem ad ſignadum non temerè adhibes;) vel Piſcantes. Et ſanè Idolorum facies in his frequentiſſimæ ſunt, Ægyptiorum præſertim item Gladiorum & Arcuum imagines cum Poculis viſuntur non raro: & in hiſce latus ille, & anſatus Bacchi Cantharus, qui & in Beotorum nummis argenteis viſitur, cum inſcriptione* BOI. *Catamytes, & meretriculas ſub argumento Venerum, & Cupidinum cœlatos fuiſſe arbitror. quorum in Annulis magna eſt copia. Et ſane non ita nuper monuit Arnobius Hermas Lib.* VI. *ad verſ. Gent. Athenis, Alcibiadis ad corporis ſimilitudinem fabricatos, Cratinam & Phrynen, nobilia ſcorta præbuiſſe acumen Venuſtatis, & floridæ formæ tum Veneri Cnidiæ, tum Theſpiacæ illi famoſiſſimæ. Per Columbam autem intellexit Clemens Spiritum Sanctum, per Piſcem prandium, quod apparavit Chriſtus Dominus diſcipulis, cum ſurrexiſſet a mortuis Joannis* XXI. *vel celebratum illud convivium quo millia virorum quinque pavit Luc.* IX. *per Navim, vel Eccleſiam, vel vitam humanam, per Lyram Concordiam, per Anchoram Conſtantiam, per piſcantes (ut ipſe quidem ſe explicat) Apoſtolos, vel Baptiſma puerorum. Mirum autem eſt non recenſuiſſe ipſum Symbola nominis Chriſti,*



*Et Crucis, quæ mihi in Gemmis Antiquorum non ſemel animad-*

*verſa ſunt: mirum item non meminiſſe Arcæ Noeticæ. quam exhibuit in ſua Dactyliotheca Abr. Gorlæus, Nu.* CXVIII. *Columba inſignem & Arcu fœderis ſtatuto in nubibus Cœli. Meas ſanè Arculas inſigniora cœlamina ſunt quæ ornent: Serapis Nemeſis, Cupido, Venus; Mercurius, Fortuna, & Roma ſchemate militari. Cythara item Eunomi Locrenſis, Flos cui inſidet Papilio, Muſca, Lupa gemellorum altrix, Ægyptiorum deliria, & Baſilidianorum aliquot portenta. Ipſi ſapientiæ ſectatores (vt tu optimè calles) hæreſum ſuarum magiſtros, in Annulis palam habebant, & de re ſatis nota, teſtatus eſt Cicero; Lib.* V. *de finibus in princ.* nec tamen Epicuri licet oblivifci ſi cupiam; cuius imaginem non modo in tabulis noſtri familiares, ſed etiam in poculis, & in anellis habent. *Socrates certè non raro comparet in antiquis Gemmis ſignatorijs; Antiſthenes, Plato, & alij aliquando. Plinius vero L.* XXXV. *Cap.* VI. *Artis & Naturæ Promus idem & Condus, Gemmas vitreas in vulgi Annulis notavit, cuiuſmodi ego duas penes me habeo, & quidem eleganter celatas. Cavit autem ex Diogene Laertio Solon prudenter, ne Annularius, Annuli quem vendidiſſet ſigillum ſervaret; ad vitandas nimirum fraudes, quarum ſeges vberrima e ſuppoſititijs Annulis enaſci poterat. hoc noſtri adeo non faciunt, vt & typos ſigillorum ſervent, & in propatulo habeant, magno periculo illorum qui hæc negligunt. Et habet Tacitus Annal. Lib.* XVI. *Caium Petronium coactæ morti proximum, fregiſſe Annulum, ne mox vſui eſſet ad facienda pericula. Et hęc quidem dicta ſint de materie, & forma Annulorum. nunc ad vſum veniamus, dicamuſque geſtatos fuiſſe & in articulis, & in digitis. Martialis Lib.* V. *Epig.* XI. *de Stella noſtrate.*

Sardonychas, Smaragdos, Adamantas, Jaſpidas uno
Portat in articulo Stella, Severe, meus.
Multas in digitis, plures in carmine Gemmas
Invenies: inde eſt hæc puto culta manus.

*Ideoque monuit Clemens Alexadrinus loco ſuperius citato, non eſſe a Viris Annulum in articulo ferendum, hoc enim mulieris eſſe, ſed in parvo digito, atquè adeo in ima eius parte collocandum. Miror*

*verò*

*verò ego Clementem non attendiſſe, morem Romanum, qui fuit geſtandi, ut prodit Gell. Lib.* x. *cap.*x. *Annulum in digito ſiniſtrę manus, qui eſt minimo proximus, cui & Annularis nomen ideo indidimus. Et ſanè apud Macrob. lib* VII. *cap.*XIII. *cum Annulus Avieno de breviſſimo dexterę manus digito repente decidiſſet, pręſentes quęſiverunt, cur eum alienę manui, & digito, & non huic geſtamini deputatis potius inſereret. Extant autem eiuſce geſtaminis rationes apud ipſum Macrobium Gellij compillatorem, quem memini non ſemel a V. Cl. Hieronymo Fabricio ab Aquapendente deriſui habitum, quod dicat in libris Anatomicorum extare, Nervum quendam de corde natum priorſum pergere uſque ad digitum manus ſiniſtrę minimo proximum. nihil enim huiuſmodi, inquiebat ille, in corpore humano comparere. Diſtinguebat autem Annulus Ingenuos ab hominibus ſervilis conditionis. Ideoque Pater apud Lucam Euangeliſtam Cap.* XV. *alloquitur ſervos ſuos,* cito proferte ſtolam primam, & induite illum, & date Annulum in manum eius. *Et hic aureum intelligo, ex Epiſt. D. Iacobi cap.* XI. *in princ. qui neque Libertis, neque Servis conueniebat. fuit tamen cum & his conveniret beneficio Principis. vt notat pręter cęteros Lipſius Lib.* XI. *Electorum. Annulorum ius Liberto tributum (vt ſenſit Ulpianus L.* x. §. ſed & ſi iuſ. *de in Ius Voc.) non eximit illum a reverentia, quam Patrono exhibere debet. Et hoc ea ratione quia* vſus aureorum Annulorum beneficio principali tributus Libertinis (*vulgo legitur male libertinitatis*) quoad vivunt imaginem non ſtatum ingenuitatis præſtat, *vt inquiunt Imperatores Diocletianus & Maximianus L.* II. *C. de iur. aur. Annul. Repoſui autem* Libertinis, *quia ſic loquuntur ijdem Impp. in L. vn. C. ad L. Viſcell. hunc Annuli honorem luxus in oſtentationem vertit, quam Satyrici & ipſi carpſerunt. Iuven. Sat.* VII.

— Ciceroni nemo ducentos
Nunc dederit nummos, niſi fulſerit Annulus ingens

*&*

— ideo conducta Paulus agebat
Sardonyche

*Adhi-*

*Adhibebant autem Annulum ad ſignandum quidquid lubebat, ut abditum eſſet ſecretumque lagenas, cellas, dolia, trabes, viliſſima utenſilium, epiſtolas, & teſtamenta. ideoque Pater, pluribus filijs heredibus inſtitutis, moriens, claves & Annulum, cuſtodię cauſa maiori natu filię tradidit.* L. LXXIX. §. pater pluribus *de le.* II. *Arra vero & Sponſio Annulo interveniente celebrabantur L.* V *de inſtitor. Act. L.* XI. *de act. empti. L.* XIX. §. *ult. de pręſcr. verb. ideoq; nugator neſcioquis, cuius extant Danielis nomine ſomniorum ſomnia, inquit;* Annulos accipere ſecuritatem ſignificat,& Annullos dare vel perdere dolorem ſignificat, *obſtringunt enim Arra & Sponſio iuxta illud,* ſponde noxa præſto eſt; *niſi velimus alluſiſſe illum ad grandium patrimoniorum decoctores, de quibus hęc Iuvenalis. Sat.* XI.

Talibus à Dominis poſt cuncta noviſſimus exit
Annulus, & digito mendicat Pollio nudo.

*Danielis autem illius, ne quis novitium putet, meminerunt Achmetis etiam Onirocritica, illa pari plauſu & ſibilo digna rerum anilium Cimelia. Et hæc de Viris. Ad mulieres quod attinet, certum eſt ſponſas Annulo donatas, ut notavit Galeotus Martius in Libro de Homine, & indicat, Iuvenalis. Sat.* VI.

— deinde Adamas notiſſimus: & Bernices
In digito factus precioſior: hunc dedit olim
Barbarus inceſtæ, dedit hunc Agrippa ſorori.

*clarius Martyr & Virgo Agnes apud D. Ambroſium,* Annulo ſuo ſubarravit me Dominus meus Ieſus Chriſtus: *nec aliud ſibi volunt illa verba Theoſebij, Apud Phot.* CCCLXXVIII. *ad uxorem,* olim tibi Annulum dedi coniunctionis filiorum procreandorum, nunc tibi do temperantiæ, qui tibi ad caſtam domus cuſtodiam adiumento futurus eſt. *Et vero cuſtodiæ quod ait non temere dictum eſt. Mater enim familias apud Plautum Caſſina, ita loquens inducitur.*

Obſignate cellas, referte Annulum ad me.
Ego huc tranſeo —

Et

*Et ſanè plerumque vtebantur & ipſæ illo eodem ſigno, quo Pater familias vtebatur; Cicero Lib.* XI. *ad Att. Epiſt.* IX. nam quod reſignatę ſunt, habet opinor eius ſinum Pomponia: *Interdum proprio, ut patet ex L.2. C. de reb. alien. non alienand. Et hæc apud caſtas & pudicas mulieres. apud impudicas fuit Annulus nequitiæ inſtrumentum. fragmentum Ennij apud doctiſſimum virum Hieron. Columnam.*

Alij dat Annulum ſpectandum a labris
Alium invocat: cum alio cantat

*Ideoque recte huc corrogat idem Columna e legibus exaratis inter adoleſcentem, amicam, & lænam apud Plautum Aſinar. illa.*

Spectandum ne cui Annulum det, neque roget

*hæc enim erant baſia clancularia. Et hæc eſt Dactyliotheca mea V. Cl. tota tota chartacea ut vides. ſi tu illam probaveris aurea, gemmea, & quantivis precij fiet. Vale: & Pignorium tuum ama. Domi Kal. Aprilis. MDXCV.*

## L. P. Franciſco Viduæ Juriſconſulto V. Excellentiſsimo. Epiſt. II.

*ASſis partes, quæ veſtra cognitio eſt amice, heri tractabamus. Aeris videlicet gravis (ut vocabant veteres) formas pleraſq; varijs notis inſignes. inter has eminebant dodrantes duo, quorum alter Ianum, Ianam alter preferebat, ille Puppi Navis in parte averſa, hic Mercurij Capite cum harpe pone occiput ſignati. erat ad manum & ſemis cum germana illa nota S, & quadrans cum tribus globulis & ſextans duobus, Veneria concha, & Mercurij Caduceo præclarus, Quibus dicebamus ſignificari Maris & Terræ commercia, quæ ſunt pecuniariæ baſes, & mercatorum inexhauſti Theſauri.*

*Adeo nihil quantumvis tritum, & commune, apud maiores illos noſtros, myſterio vacabat. inſpiciebamus præterea portiones alias qua maiores, qua minores, minuſculas etiam, pro varietate rei Nummariæ, diuturnis imminutionibus exagitatæ. At illud, quod*

tunc



*tunc ambobus nobis venit in mentem eximium fuit , & dignum animadverſione . Lactantius enim Firmianus Lib.* 1. *cap.* x. *ita ſcribit* hunc errantem atque inopem Janus excepit , cuius rei argumenta ſunt NVMMI VETERES. in quibus eſt cum duplici fronte Janus , & in altera parte Navis . *ut quid enim Nummos veteres appellat Lactantius , cum non niſi a poſteritate percuſſi ſint, ut canit Ovidius ? & cum inter Julium Cęſarem , Pompeiumque qui-*

*bus*

*bus vigentibus illud genus pecuniæ ſeriebatur, & Conſtantinum quo regnante ſcripſit Lactantius, vix anni* CCCLI. *interceſſerint? Ego ſanè arbitror non ita religioſè, uti nos quidem conſuevimus, dimenſos eſſe vetuſtatem qui ante nos ſcripſerunt, in re monetaria præſertim. Pomponius enim I. C. L.* XXXIV. *de Uſufr. Numiſmatum aureorum, vel argenteorum veterum, quibus pro Gemmis uti ſolent uſum fructum legari poſſe ſcribit, reſpiciens dubio procul ad veteres Aureos Regum Philippi & Alexandri, qui Pomponium quingentis paulo amplius annis præceſſerunt. Itaque rectè produnciavit quiſquis ille fuit, quem nomine Cornelij Frontonis hactenus oſtentaverunt Typographi, inter antiquum & vetus hoc intereſſe. quod* Antiquum eſt, quod exceſſit patrum memoriam Vetus quod annorum multorum ſenſit vtilitatem. *Præterquam quod, Lactantium veriſſimile eſt reſpexiſſe ad formas jam uſu deſitas ſuo tempore Aſſium illiuſmodi æreorum. Auguſti namque & Cæſares ſibi vendicaverant novitio invento Imaginum ſuarum, & rerum quas gerebant, quidquid uſpiam figurarum in antiquis Numiſmatibus comparebat, degeneraverat quippe Moneta ex ære quæ vivente Firmiano percutiebatur, & forma, & pondere, & ab illa antiquiſſima, & a minus antiqua haud multo veterum retro Principum. Hæc mea tibi probari V. Cl. & opto & adeo ſpero, moroſitates aliorum minimi facturus, aliorum inquam, qui invidentia, & malevolentia ut olim Phinei menſas Harpyæ, rem omnem litterariam inquinant. tu vale, & Pignorium tuum amare perge. Ex Muſeo noſtro Kal. Decembr. MDXCVI.*

## L. P. Edmundo Brutzio Viro Nobili. Epiſt. III.

Q*Uærebamus inter nos Amice heſterna die, inter deambulandum, quæ initia eſſent aſſignanda ſtudio, quo Tù, & ego ducimur & oblectamur, antiquitatis. multa fuerunt utrinque dicta, ut meminiſti multa tu acutè ſanè, & variè ex præteritorum temporum monumentis repetebas. dicebam ego, Octavianum* Augu-

*ſtum laudatiſſimum Principem, Prætoria ſua excoluiſſe rebus vetuſtate, ac raritate notabilibus, qualia erant Capreis immanium belluarum, ferarumque membra prægrandia, & quæ dicebantur Gigantum oſſa & arma Heroum; Svetonio Cap.* LXXII. *aſſerente. addebam Populos eximiè coluiſſe olim reliquias Vetuſtatis; ut de Parma Antæi Elephantino tergore exſecto ingenti, apud Tingitannos, & de Oſſibus immanibus marinæ belluæ, apud Iopen teſtatur Pomponius Mela Lib.* VII. *Quinimo Beneventi Procopij ætate, Apri Calidonij dentes ſuperfuiſſe ipſemet Procopius Lib.* I. *Bel. Got. teſtatur, pedum trium perimetrum (non pentimetrum) habentes. Hanc fuiſſe Italiæ laudem, cum Franciſcus Petrarcha Vir maximę doctrinæ, & elegantiſſimi (ut ſua tempora ferebant) ſtyli, has delicias quanti fecerit ipſemet prodit, in Epiſtola ad Lęlium ſuum quę eſt* III. *Lib.* X. ſumpta igitur ex verbis occaſione, aliquot ſibi aureas argenteaſque noſtrorum principum effigies minutiſſimis ac veteribus Litteris inſcriptas, quas in delicijs habebam dono dedi. *loquitur autem de Carolo* IV. *Aug. Henrici* VII. *Nepote, quem etiam alloquitur eiuſdem Libri Epiſt. ult. verbis non diſſimilis argumenti;* ſalutem mihi Lælius meus tuis verbis attulit, quæ mihi iaculum anceps, & lethale vulnus fuit, ſimulq; Cæſaream effigiem pervetuſti operis. *Ubi Nummum intelligo. Quod vero ad ętatem noſtram, aut paulo ſupra attineret, Alphonſum Regem laudatum illum, & omni laude maiorem, Numiſmata Imperatorum, ſed Cęſaris ante alios, per univerſam Italiam, ſummo ſtudio conquiſita, in eburnea arcula aſſeruaſſe penè religiosè, teſtis eſt Antonius Panormita. Quibus quoniam alia eorum ſimulacra, jam vetuſtate collapſa non extarent, mirum in modum ſe delectari, & quodammodo inflammari ad virtutem, & gloriam inquiebat. quę omnia repetita ſunt Hiſtorię Neapolitanę Lib.* VI. *Auctoribus Vernaculis. ſtudium Alphonſi ęmulata eſt domus Medicęa, illa Muſarum, domus an templum? cuius rei teſtem habemus oculatum Philippum Cominęum Lib.* VII. *cap.* IX. *Hiſt. qui recenſet Numiſmatum aureorum tria millia, pręter vaſa cęlata ę Gemmis, & argenti antiquitus ſignati magnam*

*vim,*

*vim. his in Italia noſtra principibus viris ſuccenturiabam ego Ioannem Marcanovam Medicum noſtratem, qui magno auſu Bibliothecam inſtruxit Codicibus ſcriptis, veteribus Nummis, & inſcriptionibus antiquis, quas ex Italia, & alijs regionibus magno numero conquiſivit, & accuratè deſcriptas coniecit in librum, quem Anno* MCDLXV. *ipſe inſcripſit Malateſtę Novello Ceſenę Principi, incboatum Patavij, perfectum Bononię. vidimus autem tu, & ego non ſemel apud Clariſſimum Virum Io. Vinc. Pinellum, qui commodato acceperat a Cano. Regul. S. Io. in Viridario, quibus Marcanova illum olim cum reliqua Bibliotheca legauerat. Et ſanè Matthæus Boſſus Canonicus Regularis. in Recuperationibus quas vocauit Feſulanas, Epiſt.* XX. *ad Ioannem ipſum ſcribens, hæc habet* numiſmata hæc ego Ioannes ad voluptatem vbi ſatis ſum conſpicatus, cæpide te mox cogitare, qui ante omnes viſus es mihi eo munuſculo dignus, quippe qui ſoles poſt Philoſophiam, & ornamenta doctrinæ, pictura, & illuſtrium virorum imaginibus mirè equidem delectari, & poſt ſtudia litterarum intentionem, & animum circa egregia hæc antiquitatis monumenta remittere. *Hæc ille. proximum Ioanni Marcanovæ ego ſtatuo Andream Mantineam, Patavinum, Pictorem magni nominis, qui Picturam ad antiqua decora iuſſit adſpirare. hic ut graciles, ieiunas, & exuccas pingendi rationes traduceret ad illam vividam, vegetam & florentem, qua ipſe vſus eſt, ſubſidiariam vetuſtatem advocavit. in qua ſanè nihil prætermiſit, modo eſſet alicuius venuſtatis, quod non converteret in proprios uſus. refertæ ſunt eius tabulæ Vaſis, Armis, Veſtibus, Parergis petitis ex uberrimis antiquorum promptuarijs. Et hinc factum eſt, ut Felix Felicianus Veronenſis collectas magno numero veteres inſcriptiones uni Mantineæ dedicaret, cum hac Epigraphe.*

ME
REN
TI.
PICTORVM PRINCIPI
AC VNICO LVMINI

INGENII VIRO ANDREÆ
MANTEGNÆ PATAVO AMICORVM SPLENDORI
FELIX FELICIANVS SALVTEM

*Incidere Autem hæc in Annum* MCDLXIII. *Mantineam excipit Jocundus Veronenſis magna doctrina vir . qui ut fuit familiaris magni Laurentij Medicis , ita animum applicuit ad hæc ſtudia , coegitque in vnum veluti corpus MM & amplius veterum Inſcriptionum ut teſtatur Politianus Miſcellan. C.* LXXVII. *quod annis præteritis extabat apud Stephanum Magnum Patritium Venetum , cuius illa præcipua laus fuit apud Onuphrium Panvinium , In fin.* II. *Com. in Faſtos , vt veterum Imperatorum ſeriem integram, & accuratam conſtitueret . Cæterum ipſi Jocundo certum eſt debere nos accuratam editionem Cæſaris Commentariorum : Vitruvij inſuper , Frontini , & Catonis ; ut non immerito Budæus Lib. de Aſſe , Antiquariorum diligentiſſimum appellarit . Pyrrhus demum Ligorius Neapolitanus & Æneas Vicus Parmenſis gemini Soles præluxerunt vetuſtati illuſtrandę . ille in* XI. *Libros coniecerat quidquid pervenerat ad nos a vetere ęvo . meminitq; ipſe huiuſce laboris a ſe exantlati, productiq; a Saturno Rege Italiæ ad Juſtinianum vſque Auguſtum , in libello Italice ſcripto editoque cui titulum fecit , Antiquitates Romanas . hinc illi iure , & merito obtigit , ut à doctiſſimis Viris ipſe calamo , & penicillo præſtans, honorificentiſſimis Elogijs appellaretur,* ab Onufrio Panvinio, a Hieronymo Mercuriali, ab Antonio , Auguſtino, & Stephano Pighio. *verum huius libri lucem publicam non aſpexerunt; & cum magno quidem rei litterariæ detrimento . Vicus felicior fuit, ut qui ſtudioſis approbantibus, & latinè, & Italicè multà ediderit manu planè ſollerti , multa docto calamo edita interpretatus ſit, quibus & Italiam, & Germaniam , & Galliam , & Belgium aſſurgere par eſt . hæc ad te pluribus Vir amiciſſime de heſterno ſermone , & quidem huic Epiſtolæ conſignata eſſe volui , ut meminerint qui profecerunt in hiſce ſtudijs , debere ſe pręſtantium Virorum memoriæ gratum ad minus animum ; & curent ut in ſeriem aliquam*

*tem-*

*temporum, & nationum redigantur aliquando quot quot hanc noſtram Spartam qua opera, qua ſcriptis ubique gentium exornarunt. Vale tu, & me ama.*

## L. P. Io. Vincentio Pinello Viro Nobiliſſimo. Epiſt. IV.

H*Eſterna die, domi tuæ V. Clariſſime, oſtendiſti mihi e Theſauro Bibliothecæ tuæ Epiſtolas Ovidij, calamo deſcriptas, quas neſcio quis proſa Oratione Italicè tranſtulerat; dicaveratq; Aliſæ Perucciæ matronæ Florentinæ. is in Prologo ad Epiſtolam, Phædræ nomine conſcriptam, aiebat ſuum nomen Hebraicè ſonare Os Lampadis,* bocca di lampana. *ſubdidi ego tunc, habere me in Adverſarijs neſcio quid annotatum, quod huc pertineret. tu, ut me amas, hortatus es, ut deſcriberem quidquid id eſſet. ego recepi me facturum, uti planè nunc facio. Arator Diaconus, Lib.* I. *Actor. Apoſtolicor. Pag.* CCLIII. *editionis Torneſianæ hæc habet.*

— impone Philippum
Lampadis os quod Hebreus ait, qui mentis honorem
Nomine teſte probat —

*Sedulius etiam in Collectaneis ad Epiſtolas D. Pauli in fine Epiſtolæ ad Romanos, in congerie nominum quorundam Latinorum & Græcorum, quibus Etymon Hebraice adſignatur, hoc refert,* Philippenſes os Lampadum. *Itaque dicemus huic interpreti fuiſſe nomen Philippo. quod autem ille ſubnotat hoc nominis græcè ſignificare; cuſtodiam amoris,* Guardia d' Amore, *hoc fateor me penitus ignorare. Philippus enim (quod ego ſciam) Græcis etiam ipſis amitor Equorum eſt, ut habemus apud Ocellum Lucanum, de univerſi natura, ad finem. Ideoque videtur Philippus Macedonum Rex in Nummis argenteis, cuiuſmodi ego grandiorem alterum & alterum minutum penes me habeo, Equitem ſibi ſe poſuiſſe: unde forſan factum nomen nummis Philippeis, ab Equite magis, quam a Philippo. Hæc mihi ſuggeſſerunt Adverſaria mea Vir Clariſſime. Ea Tu ſi æqui boniq; conſules, quidquid alij carpant minus morabor. Vale ex Biblioth.* VIII. *Idus Ianuar. MDXCIX.* L. P.

L. P. Martino Sandellio J.C. & Viro Reverendo. Epiſt. v.

*Videbamus nudiustertius (ſi rectè meminiſti) Dactyliothecam Abrami Gorlæi. & in ea mirabamur copioſam, & variam ſegetem antiquæ, & penitus repoſitæ Eruditionis. Detinuerunt nos tunc præcipuè duo typi expreſſi ex antiquis gemmis onychinis: alter fuit ex annulo* CXXXII. *alter ex gemma excluſa* XLII. *in illo cernere erat duos Cupidines, quorum alter alterum retortis poſt terga brachijs tollebat ſublimem; cui pila ſatis grandis adſtabat ad pedes. in hoc gemini item Cupidines ſe componebant ad luctam, vel ad ſaltationem. Tu mihi continuo eam provinciam delegabas, vt ad te ſcriberem quid hæc porrò ſignificarent. fuit Venus (vt noſti) teſte Poeta.*

Mater ſæva Cupidinum,

*licet Philoſtratus in Iconibus velit genitos a Nymphis. at duo precipui e grege tot natorum a veteribus numerantur, EROS, & ANTEROS. hi expreſſi ſunt in Gemmis, quas vidimus, & in Nummo Gentis Iuliæ apud Nummographos, Veneris genetricis currum trahentes. quæ ideo ab Ovidio.*

— geminorum mater Amorum

*appellatur. Erota & Anterota deſcripſit Eunapius evocatos a Iamblicho, magico carmine, e calidis fonticulis Gadarenis in Syria. Anterotem Pauſanias conantem extorquere Palmæ termitem Cupidini de manibus deſcribit Lib. VI. Editionis Amaſeanæ, Pag.* CCXLV. *lin.* 17. *qui etiam alibi Anterotis meminit. His duobus tertium accenſet Servius doctiſſimus Grammaticorum, ad Lib. IV. Æneidos, cuius hæc ſunt verba;* nam, & amatoribus præeſſe dicuntur EROS, ANTEROS, DYSEROS. nonnulli Nemeſin ſignificari putant nonnulli ANTEROTA. invocabat contrarium Cupidini, qui amores reſolvit: aut certe cui curæ eſt iniquus amor, ſcilicet ut implicet non amantem. Hic etiam Athenis coli dicitur. *Hæc Servius, apud quem vulgo legitur LYSEROS omnino male. At quod de Athenis, innuit explicat Pauſanias in Atticis neque vero*

*jure*

*jure notatur Servius ab Ænea Vico, & Cælio Calcagnino, quod Anterotem Eroti contrarium dixerit; hoc enim non affirmavit; & ſi affirmaviſſet poterat ſemet tueri auctoritate Pauſaniæ. At quid ſibi volet illa Pila? Davus ſum ego; non Oedipus, & Tripos ille meus* NON UNO RESPONSO ANIMUM DELUSIT*, ut noſti. dicam tamen, Scalptori gemmario eam fuiſſe mentem, ut innueret Amorem ex confuſa deformitate Univerſum effigiaſſe, circunfuſo Chao ſublato, quod erat commune totius Mundi ſepulcrum. hui tragicè ſatis inquies, & extra familiaris Epiſtolæ modum. atqui ſcias hæc eſſe Luciani, & quidem in Amoribus, quos quidem ille græcè* ΕΡΩΤΕΣ *indigitavit. An vero huic explicationi adapturus ſis tu cum aliquo riſu modulum Calceorum Cycioniorum, ego quidem neſcio, hoc unum ſcio, non dedecuiſſe te hæc audire virum cordatum, & qui in intimum animi contubernium iamdiu admiſeris, cœleſtis & divini Amoris vim univerſam, cuique præ Amore Veri omnia omnino ſordeant.*

Hæc tibi dictabam ſtudiorum in carcere parvo,
Excepto quod non ſimul eſſes, cetera letus,
*Kal. Februar. MDXCIX.*

## L. P. Joanni Mangano Eruditiſſimo Adoleſcenti. Epiſt. VI.

ET *meritò quidem Admirabamur Græcos die heſterna apud Dominum Pinellum, qui Athletas tanto in precio haberent. noſti illa Vitruviana; Lib.* IX. *in princ.* nobilibus Athletis, qui Olimpia, Pithia, Iſthmia, Nemea viciſſent, Grecorum maiores ita magnos honores conſtituerant, *&c. Quæ admiratio ipſum etiam Ariſtotelem Problem. ſect.* XXX. *tetigit, querentem cur veteres præmia certaminibus corporis decreverint, ſcientiæ non item. & ſanè ſaginatos illos, & bene curata cute, ut Reipublicæ inutiles non magni fecit Solon. apud Diogen. Laert. quod eſſent cum exercerentur ſumptuoſi, & cum vincerent pernicioſi. Carnivoros illos effecit Pythagoras, cum antea lacte, caſeo, ficubus aridis veſcerentur, ſi Porphyrio Lib.* I. *de Abſtin. credimus. quod & Plinio Lib.* XXIII. *Cap.* VII.

*viſum*

*viſum eſt: ſi tamen apud ipſum ille Pythagoras (cuius meminit) Philoſophus eſt, ac non potius Exercitator quidam, ut & ipſe vocat, cui id nominis obtigerit. verum & Philoſophus ipſe carnes eſitabat, & nullo ſepius legumento utebatur, quam fabis, ut ex Ariſtoxeno docet Gellius, Lib.* IV. *Cap.* XI. *ut ridendi videantur qui ſecus tradunt, & de Pythagoræ Sectatoribus tradit Porphyrius, cum Dijs facerent, ab animatis non omnino abſtinuiſſe. hæc ad te raptim mi Ioannes, ut tu pariter hiſce diebus, quibus omnes inſanimus, Pythagoreus ſis vel potius Apicianus & hic, & in Patria, quam te cogitare die craſtino audio. interim ego te* SALVVM IRE SALVVM REDIRE *precor e vetere formula. in Bibliotheca, domi. MDC. ipſis Liberalibus, quæ Cereris & Bacchi certamina ſunt, ut coronam accipiat Venus. probè enim cecinit Auctor ſacrorum Faſtorum.*

Vere dapes Cereri agreſtes, patrique Lyæo
　Forte dabant: fuſo per ſua feſta mero.
Dumque dabant, liquidis cœlabant fecibus ora
　Corticeve aut Minio per loca ludus erant.

*At hæc ferenda erant, niſi lateret nequitia ſub larvis.*

　　— facies velata pudorem
Significat læſum ſciri laſcivia non vult:
Ora tegit, ſcelus eſt pavidum, metuitque videri.

*ut ſcribit Poeta non omnino malus. Tu vale iterum & tertio, pugilice & athletice.*

## L. P. FRANCISCUS VIDUÆ Philoſopho & Juriſconſulto V. Excellentiſſimo. Epiſt. VII.

*QUæris ex me (Amice) peramanter ut ſoles, cur ego COELUM ſcribam, non CAELUM uti omnis Antiquitas, cuius me ſtudioſum eſſe ais, conſuevit. ego primum reſpondeo, non eſſe me ſepem, aut maceriam rectæ ſcriptionis: deinde eſſe mihi in promptu non leves cauſas, propter quas ab Antiquitate in hoc uno recedam. Ut enim omittam fuiſſe aliquos, qui COELUM ſcriberent,*

*ut teſtatur Joannes Genuenſis in ſumma, quam ipſe nominavit Catholicon, cuius rei extat veſtigium apud quoſdam e noſtris vernaculis canendi magiſtris.* * *Rationes meæ huiuſce Ortographiæ nitantur magnorum virorum auctoritati, qui ita ſenſerunt. Varro Libro IV. de L.L. ſcribit,* ego magis puto a Chao cavum: & hinc Cœlum; quoniam ut dixi, Hoc circum ſupraq; quod complexu continet terram, cavum Cœlum. *eſſe autem cavum* ΚΟΙΛΟΝ *græcè omnes ſciunt. indeque factum COELUM quia OI græcum tranſit in OE latinum. Germanicus Cæſar Domitianus, in Phænomenis Arateis ex editione Ugonis Grotij V. Cl. Pag.* III.

Ce-
lo.

ARCTOE
ET
DRACO.

*Et Pag. ſubſequente.*

Oceani tumidis ignotæ fluctibus Arctoe.

*quod græcè erat* ΑΡΚΤΟΙ *ad eandem rationem* ΚΟΙΛΟΣΥΡΙΑ *nobis eſt Cœleſiria, quam nonnulli appellant, ſi rectè memini, Syriam cavam. ut Feſtus Avienus & Priſcianus* ΚΟΙΛΙΑΚΟΣ *Cœliacus* ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ *Proemium;* ΟΙΚΟΝΟΜΙΑ *Oeconomia* ΟΙΚΟΣ, *Oecus, qui legitur apud Vitruvium Lib.*VI. *& Plinium Lib.* XXXVI. *Cap.* XXV. *Et ſanè Plinius videtur memoria lapſus, qui Lib.* II. *Cap.* VI. *hæc habet.* Cœlum haud dubie cælati argumento diximus, vt interpretatur M.Varro. *non enim ea fuit Varronis ſententia, ſed Ælij Galli. quod & feſellit Aldum Manutium in Ortographia, verbo COELUM. Auctoritati Marci Varronis doctiſſimi Togatorum accenſeo ego ſententiam Joſ. Scaligeri neotericorum eruditiſſimi, qui in Etymologijs verborum ad Varronem, hæc habet* COELUM ΚΟΙΛΟΝ. *Hæ ſunt Baſes, hæc firmamenta ſententiæ meæ, quam, ſi tu multæ lectionis & politiſſimi judicij Vir non improbaveris, ego ſanè in poſterum & probabo & ratam habebo. Ad Cilicium quod attinet, de quo exquirebamus, an eſſet vox ab antiquitate repetita, aio eſſe. Servius ad illud* III. *Georg.*

Nec minus interea barbas, incanaq; menta

 Ciny-

Cinyphij tondent hirci, ſetaſque comantes
Vſum in caſtrorum, & miſeris velamina nautis

*Scribit;* & bene laudat Capellas, dicens Ciliciorum uſum, & in mari, & in terra prodeſſe mortalibus. *& hunc Virgilij locum nō inſeliciter expreſſit Feſtus Avienus in deſcriptione Oræ maritimę.*

Hirtæ hic Capellæ, & multus incolis Caper
Dumoſa ſemper intererrant ceſpitum
Caſtrorum in uſum, & nauticis velamina
Productiores & grave ſetas alunt.

*Prudentius, in Hymno Ieiunantium.*

Squallent recincta veſte pullati Patres,
SETASQ; plangens turba ſumit TEXTILES

*Alcimus Avitus in eodem argumento, pœnitentiæ Ninivitarum.*

Mollibus abiectis Cilicum dant tegmina ſetæ.

*Hic ego penſum, quod Tu impetraveras, abſolvo, petoque invicem ut mei te memorem præſtes, & die craſtina ad condictum adſis, inſpecturus nimirum Nummos aliquot veteres, qui res noſtras Patavinas tangunt. Vale. e Muſęolo meo. Kal. Novemb. MDC.*

L. P. JACOBO CAVACIO
Monacho Benedictino, conſodali meo viro
Eruditiſſimo. Epiſt. VIII.

B*Ullas æreas, quas heri ſpectabas apud me, in Bibliothecula mea, dicebam tibi imaginem referre unius ex Gorgonibus, Meduſæ videlicet.*



*Tu*

*Tu quærebas in quo uſu hæc imago apud antiquos fuiſſet. ego reſpondere diſtuli, ut ſedulo quærerem. inveni autem appoſitam fuiſſe Ægidi, quæ pectus Palladis tegebat, uti oſtendunt ſigna antiqui operis Romę, & alibi. a Pallade tranſivit aliquoties ad Auguſtorum ſimulacra, quæ illi ęque ſacra eſſe volebant ac Palladem ipſam. Mars etiam ipſe hoc Emblemate noluit carere loricam ſuam, uti proclive eſt cernere Romę apud Maximos, in elaborata illa ſtatua, quam penè omnes Antiquarij Pyrrhi Epirotarum Regis vocitant, non ferendo errore; qui doctiſſimum etiam virum, & harum elegantiarum peritiſſimum Fulvium Urſinum decepit in Illuſtrium Imaginibus. Pyrrhi enim imago imberbis & diademate cernitur in Nummo argenteo quinque, vel ſex Dracmarum, cuius mihi Ectypon communicavit Vir nobiliſſimus idemque doctiſſimus Nicolaus Fabricius Chalaſius, tibi etiam probè cognitus. ab hiſce Superum religionibus tranſivit hęc Larva ad ſacra inferorum; quod etiam politiſſimo Alciato in Emblematis obſervatum eſt. & ſanè ego non ſemel obſervavi apud Baſſanos marmor antiquum inſignitum memoria Clodię neſcio cuius Thaidis in qua Gorgon, Catelli, & Delphines parergę ſunt; ornamento & expreſſione fati & amoris, ſive philantropię. Verum hanc Gorgonis faciem nemo melius expreſſit (mea quidem ſententia,) quam Virgilius ipſe quatuor illis carminibus, quę ille Lib.* VI. *inſeruerat, & notat Servius Petri Danielis.*

Gorgonis in Medio immane portentum Meduſæ,
Vipereæ circum ora comæ cui ſibila torquent,
Infameſq; rigent oculi, mentoq; ſub imo
Serpentum extremis nodantur vincula caudis.

*Tu interim vale. domi MDCIII.*

## L. P. PROSPERO ALPINO
### Medico præſtantiſſimo. Epiſt. IX.

I*Ta prorſus fuit velut heri diſſerebamus in Horto publico apud Te. Medicum olim commendabat, ſi Alexandrinę ſcholę ſe alum-*

*num profeſſus eſſet. & ſanè luculenter hoc indicant Ammianus Lib.* XXII. *pro omni experimento dictitans ſufficere Medico*, ſi Alexandriæ ſe dixerit eruditum. *Cuius Academię Profeſſores Magnum Eunapius, Agapium Suidas, alij alios pergunt enumerare. Alexandrinam autem Academiam excepit noſtras Patavina in hoc genere laudis, cum abundè conſtet, Medicum apud nos Docturam conſecutum maioris fieri, quam alterum qui alibi. At Petrus Bellonius Lib.* II. *obſer. Cap.* XIX. *videtur aſſerere Alexandriam Troadem celebrem hoc ſtudio fuiſſe. quod ſanè nos alijs diſquirendum relinquimus, Eiuſdem vrbis peculiare pręconium fuit (ut tu optimè noſti) nullo penè die ſolem ſerenum non videro. quod quidem Ammianus auris ſalubriter ſpirantibus, & aeri tranquillo & clementi videtur adſcribere. fecit autem hęc cœli clementia ut eſſet formoſiſſima vrbs, quod teſtantur Dion Chryſoſtomus, Achilles Statius, & Ariſtides. ad hęc, & incolis refertiſſima, uti tradit Hiſtoria quam vocant Tripartitam Lib.* I. *Cap.* XII. *ideoque turbida, & ſeditioſa, ut appellat eadem Hiſtoria Lib.* XI. *Cap.* XI. *quod nec Auſonium latuit in Catalogo Urbium nobiliorum. ideoque factum ego crediderim, vt Civitas Alexandrina ex conſtitutionibus Principum non temerè daretur, vti quidem aſſerit Plinius Lib.* X. *Epiſt.* V. *plebi enim amenti, qualem prędicant Spartianus in Saturnino; & Herodianus Lib.* IV. *vires accidendę erant, non augendę. at pręter hęc omnia Sarapidis fanum Alexandrinam eo extulit, vt eſſet alter Orbis terrarum ſed ſacer, uti perhibet Eunapius in Aedeſio. hinc eſt, ut in nummo ęreo Conſtantini apud me, Genius, Sarapidis caput manu oſtentans, ſubſcribatur ALE. id eſt Alexandria. Et hęc omnia ſcripta ſint vir clariſſime in tui gratiam, qui tot annos publico ſtudioſorum commodo, Alexandrino ſeceſſui impendiſti. Vale domi MDCIV.*

## L. P. CÆSARI NIGHESOLÆ Canonico & Patricio Veronenſi viro Clariſſimo. Epiſt. X.

R*Ectè monebat domi tuę nudiuſtertius Vir eruditiſſimus Ptolemęus Olivetus, manſiſſe apud nos a primęvo ferè Antiquita-*

*tis*

*tis ritu, ut numen venerantes manum ori admoveamus. Minutius Felix in Octavio.* Cæcilius ſimulacro Serapidis denotato (ut vulgus ſuperſtitioſus ſolet) manum ori admovens oſculum labijs impreſſit. *& hoc fuit in conſpectu ſalutationes facere, uti notat Vitruvius Lib.* IV. *Cap.* V. *quod etiam Demoſtheni anſam præbuit, vt Antipatrum biantem deluderet, ut narrat Lucianus Encom. Demoſth. in fin. ille enim manum ori admovens, tanquam Deum ſalutaturus, ſimul & venenum hauſit, occubuitq; illico. & hęc fuit apud veteres perfectę precationis clauſula; uti ſcribit idem Auctor in Commentariolo de ſaltatione: ubi Indorum preces, cum Græcorum veneratione componit. Verum, & illud obſervatione dignum eſt, in precibus & gratulationibus conſueviſſe veteres ſignorum mentum oſculari; ut de æreo ſimulacbro Herculis Agrigentini teſtatur Orator, Lib* IV. *in Verrem, cuius mentum & rictus ea de cauſa, paullo eſſent attritiora. veſtigia etiam Iſidis (ut etiam aliquid de Ægyptiacis meis permiſceam) argento formata, oſculis patebant, ut inquit Appuleius Lib.* XI. *quæ ſanè quovis pignore contenderim a malis Genijs producta, ut æmularentur veſtigia Salvatoris, quæ Hieroſolimis etiam nunc (uti tradunt viri fide digniſſimi) comparent. quod & Deus Opt. Max. indulſit Juſtinæ Virgini Patavinæ, & Proto-martyri noſtræ, cuius genibus, & digitis marmora alioqui duriſſima ceſſere; veluti Veneti oſtendunt; & nos alias oſtendebamus in vetere columna, quæ temerè, nè dicam impiè, in alios uſus conceſſit. & ſanè antiquus ſcriptor Itinerarij Hieroſolymitani adnotat in templo Salomonis ſuo ævo paruiſſe veſtigia clavorum, militum qui Zachariam occiderunt, in totam aream, vt putes in cera fixum eſſe. Hęc ad te pluribus Vir Clariſſime, & quidem Auguſti exemplo, cuius tu Principis Genium, & merito veneraris. ille ſermones cum ſingulis non niſi in ſcriptis & e libello habebat inquit Svetonius Cap.* LXXXIV. *Vale. Veronæ, penè in procinctu. MDCV.*

## L. P. ANGELO ROCCHÆ. Epiſcopo Tagaſtenſi, Sacrarij Apoſtolici Præfecto Viro Reverendiſſimo. Epiſt. xi.

*Bibliothecam tuam Angelicam Vir Reverendiſſime ego multis nominibus ſuſpicio. tum quia Libris referta eſt optimis ad miraculum uſq; tum quia Tabulis abundat Coſmographicis 3. Geographiiſq; ſummo artificio elaboratis. oſtendebas tu quæ tua eſt humanitas mihi & Andreæ Victorello Baſſanenſi ſodali meo veterem Mappulam Orbis calamo deſcriptam, & coloribus diſtinctam, quam dixi ego a veteribus fuiſſe aſſimilatam Fundæ. recitaviq; protinus carmina Priſciani, quæ ſunt in principio Periegeſis.*

Non tamen aſſiduo teres undiq; margine circum
Clauditur hæc, bifido ſed brachia Littore pandens
Arctatur rapidos curſus ad Solis utrinque
Aſſimilis Fundæ. ——

*Tu illico annotaſti brachia Fundę veluti noſtrates Pueri geſtant. ſubieci ego fundam fundo perforato fuiſſe, uti habent feſtiva carmina vel Ciceronis, vel Laureæ Tullij, edita a Pitoco Epigrammatum veterum Pagina* xxx.

Fundum Varro vocat quem poſſim mitterre Funda,
Ni tamen excederit qua cava Funda patet.

*Et profecto obſervatum mihi eſt, veteres conſueſſe res minus notas notioribus aſſimilare, eo conſilio, ut per eas res, quas Natura vel Ars frequenter pariunt, infrequentes res innoteſcerent. exemplo ſint Europa & Lybia, quas Avienus Nuci pineæ comparavit.*

Æquus utrimq; modus protenditur ut ſimul ambas
Si conferre ſibi quiſquam velit, una parumper
Ut credatur humus, medijq; interflua ponti
Subtrahat exemplo quali nux Pinea forma eſt.
Singula verſanti talis ſuccedat imago
Europæ, & Lybiæ.

*Item*

*Item Peloponneſus Platani folio, apud eundem Avienum.*

Inſula ſe rurſum Pelopis viſentibus offert.

Inſula, quæ Platani folio comparat ſedet —

*Pontus Euxinus Arcui Scythico apud Pomponium Melam Lib.* I. *Cap.*XIX. *India Rhombo, eodem Avieno teſte,*

— latera agris undiq; in Indis

Quattuor eſſe tene: coeant tot & anguli ab omni

Parte ſibi obliquo claudentes extima terræ

Ceu ſpecies rhombo eſt

*Montem Calpen Urnę ſimilem facit antiquus Grammaticus ad Sat.* XIV. *Iuvenalis. Quinimo & artificialia quædam in more habuerunt phyſicis rebus, quarum ſpecies perennant, exprimere, veluti divinantes illa non æternum manſura. ſic Athenæus Lib.* III. *in princ. Petaſum comparat folio Fabæ Ægyptię. ſic Plinius Lib.*XXIV.*Cap.*XV. *pedes Lectorum flori Clinopodij, ſive Ocymoidis. ſic idem Lib.*XVIII. *Cap.* I. *Sicas Aprorum dentibus, unde ſicarij: & eiuſdem figuræ cultelli, quibus noſtri Cerdones utuntur, & vocant* Trincietti. *ſic idem Auctor Lib.* XXV. *Cap.* XI. *perſonas Comicas Lonchitidi. ita Lib.* XXIV. *Cap.* XV. *Penularum capita Centunculo; & eiuſdem generis innumera, quæ Plinius, qui fuit Naturę a ſecretis, ſollerti indagatione perveſtigavit. unde etiam factum eſt, ut recentiores quidam Europam ingenioſo commento Reginæ ſtantis figura expreſſerint, & univerſum Belgium Leonis icone. Vale Vir Reverendiſs. & bonarum Litterarum amantiſſime. in Urbe, hoc anno turbulento. MDCVI.*

## L. P. VINCENTIO CONTARENO Humanior. litter. prof. V. Excellentiſſimo. Epiſt. XII.

S*Pectabamus heſterna die, domi meę Capſulam Numiſmatum argenteorum, in qua nummi duo ſatis grandes, & qui multas drachmas penderent, artificij, ut videbatur Gręcanici, oculos tuos, V. Cl. allicuerunt. In eorum alterius & quidem grandioris adverſa*

*facie,*

*facie, ſuſpiciebamus caput muliebre & forma ſatis luculenta, cuius capillos ambiebat corona ex harundine ſatis conſpicua; alludentibus in gyrum quattuor piſcibus, qui figura Delphines referebant. in facie averſa decurrebat Quadriga, quam Agitator moderabatur. ſuperne Victoria ſertum explicabat Agitatori veluti impoſitura. inferne thorax, & Caſſis cum Criſta.*



*Nummus minor adverſus erat penè idem, venuſtioris tamen conformationis, & conchula, preter piſces, auctior. averſus oſtentabat* caput acris Equi, *vt inquit maximus Poetarum, cui ponè arduam cervicem aſſurgit Palma, notatis infra notis ignotis quibuſdam.*



*Rogabas tu me, vt eos nummos proferrem in lucem, Litterarum, inſtructum (vt aiebas) ea notitia, quæ huiuſmodi argentea ænigmata, vt inquit Prudentius, poſſit explicare. ego ſanè, vt vt me noverim nec parem exiſtimationi tuæ, nec ijs opibus firmatum, quas repoſcit hæc ornanda Sparta, morem tamen geram, & obſequar amori*

*in me*

*in me tuo Nummos ego cenſeo percuſſos fuiſſe Syracuſis in Sicilia. caput mulieris refero ad Arethuſam Nympham illam celebrem, & decantatam, cuius fontis meminit Cicero in Verrem Lib.* IV. in hac inſula extrema *(inquit Orator)* eſt fons aquæ dulcis, cui nomen Arethuſa eſt, incredibili magnitudine, pleniſſimus Piſcium: qui fluctu totus operiretur, niſi munitione, ac mole lapidum a mari diſiunctus eſſet. *neque vero novum eſt Fontes, & Fluvios ab antiquis ſub humana ſpecie fuiſſe cultos. Ælianus enim Lib.* II. *Var. Hiſtor. Cap.* XXXIII. *refert Syracuſanos Anapum viro aſſimilaſſe, Cyanen fœminæ: ambo fontes. Et quid ſi Cyane compareret in ipſo Nummo? aſt ego ad Arethuſam inclino, ſuadente Ovidio Lib.* V. *Metamorph.*

— quarum Dea ſuſtulit alto
Fonte caput, videſq; manu ſiccata capillos

*en tibi quod dicebamus de harundine capillis intertexta, pergit,*

Sed quamvis formæ nunquam mihi fama petita eſt,
Quamvis fortis eram, formoſæ nomen habebam.

*Et vero facies huiuſce noſtræ formoſiſſima eſt. Hinc porro factum eſt, ut Syracuſas Arethuſidas vocet idem Ovidius Lib.* IV. *Faſtorum.*

Utque Syracuſas Arethuſidas abſtulit armis
Claudius —

*Piſces, qui caput includunt a verbis Ciceronianis lucem accipiunt. de quadriga ſatis ſuperque alij. Caput Equinum in minore Nummo, Palma, & Notæ ad Poenos proculdubio referenda ſunt. illi enim Siciliam ad ſe pellicere non ſemel & fœderibus & armis conati fuerunt, ſed parum felici conatu. de hoc Equi capite Virgilius in* I. *Æn.*

Effodere loco ſignum quod regia Iuno
Monſtrarat caput acris Equi —

*ad quem locum egregiè Servius, & Iuſtinus Lib.* XVIII. *& Euſtath. Dionyſij enarrator, a quo & Stephano mutuantur viri docti (ut tu optimè noſti) interpretationem notarum peregrinarum: ut ſignificent* KAKKABH, *quod Punice caput Equinum eſt. Et mirum ſanè videtur, æmulas vrbes, in fundamentis novi operis, caput eſſe*

*nactas, Carthaginem primo bubulum, dein equinum; humanum Romam: hanc omine dominij, illam ſervitutis. miſſos facio Auctores, quos accuratiſſimus Rycquius de Capitolio Cap.* x. *congeſſit, unum advoco Marcianum Capellam, apud quem Toli caput hactenus obrutum iacuit. in principio nimirum Libri* III. *ubi de Grammatice hæc habet*; quæ fœmina licet in Attica, ubi maiore ævi parte floruerat, ſe aſſereret incedere palliatam, tamen ritu Romuleo, propter Latiale numen, & Toli caput (*mendoſa fuerit huc uſque illa*, & olim caput) propterq; Martiam gentem, Veneriſque propaginem, Senatum Deum ingreſſa eſt penulata. *At cur fuit Toli caput ſolum ſine partibus cæteris? cur litteris Thuſcis notatum? de ſolo capite non utique certum Arnobio teſte, imo cum membris omnibus humationis officia ſortitum ſunt qui aſſerant. Litteras Tuſcas ego refero ad Aruſpicinæ ſecretum*, ut fixa obſignati ominis (*inquit Arnobius*) perpetuitas ſtaret. *penes Etruſcos nimirum portentorum diſciplina erat; & Romani pueros ſuos curabant illa diſciplina imbui, & illis Litteris erudiri, ut Livius noſter Lib.* IX. *& Val. Maximus Lib.* I. *Cap.* I. *tradiderunt. Neque vero novum omnino fuit, abiunctum a reliquo corpore caput humari. ſiquidem teſtatur Pauſanias Lib.* I. *Ægypti filiorum ſolitaria capita, alicubi condita eſſe. Et caput Pompei ſeorſum a trunco eſt crematum. At hæc ego ad te? me ineptum prorſus, qui non videam hoc eſſe Samia Samum comportare. Tu, ſat ſcio, parces ſtudio diſcendi, & me amabis, uti ego Te inceſſanter. Vale. e Bibliothecula noſtra*, VI *Kal. Mar. MDCIX.*

## L. P. ANDREÆ CHIOCCO
Medico Eruditiſſimo. Epiſt. XIII.

IN *veterum Analectis V. Cl. Æſculapius veſter figuratur magna barba, palliatus & cum baculo, cui ſerpens involutus eſt. Barba ſanè innotuit ex impio facto Dionyſij Tyranni, qui Epidauri Æſcu-*

*lapio*

*tapio auream adimi imperavit, cauſatus patrem Apollinem imberbem conſpici ut ſcribit Valer. Max. Lib. I. Cap. I. & ex huius nebulonis præſcripto videtur effectum antiquum ſigillum quod eſt apud me, Æſculapij imberbis.*



*Incedebat autem Pallio caput velatus, quod & Romæ mihi obſervatum eſt in ſtatuis & veteribus Nummis. de baculo & ſerpente Appuleius Lib. I. Metam.* diceres Dei medici baculo, quod ramulis ſemiam putatis nodoſum gerit, ſerpentem generoſum lubricis amplexibus inhærere. *Neque vero ſerpentem generoſum quod vocat id fruſtra eſt. Ovidius enim Lib. XV. Met. Æſculapium in ſomnis loquentem inducens, hec canit*

Hunc modo Serpentem, baculum qui nexibus ambit
Perſpice, & vſque nota —

*vult perſpici & notari qui non de grege ſerpentum, ſed & Draco fuit, ut notavit Feſtus duobus in locis. ideoque cecinit Lucanus. Lib.* IX.

Vos quoque qui cunctis innoxia numina terris
Serpitis aurato nitidi fulgore dracones.

*&c.*

*Et ſerpentem Epidaurium apud Horatium, Lib.* I. *Sat.* III. *Draconem explicant Interpretes. At de Epidaurijs quidem Serpentibus inſignis extat locus apud Pauſaniam in Corinthiacis, qui, & multam lucem Lucano afferet, veluti & Ælianus in Hiſtor. Anim. Lib.* VIII. *Cap.* XII. *qui etiam Pariam, ſeu Paruam ex Apollodoro hunc Æſculapij ſerpentem vocat; cuius quoque fortaſſe meminit & Suidas. verum de Draconibus hactenus, de quibus accuratè & copiosè diſquirit, ut ſolet Velſerus noſter, illud margaritum Germaniæ ſuæ, in Commentario ad Converſionem S. Afræ. pag.* XXXII. *6. Æſculapius ſanè ipſe vicarium ſuum Anguem Romam miſit ſeu itare paſſus eſt, ut tu probè noſti. & feſtivus profectò eſt Acron Grammaticus, Lib.* V. *Sat.* III. *Horat. qui ſcripſit, Romanos Epidauri, incertos ob multitudinem ſimulachrorum quod potiſſimum deligerent, Anguem recepiſſe. Romæ in Inſula Tiberina quibus honoribus cultus fuerit etiam hodie loquuntur antiqua monumenta Græcarum Tabularum, in quas relatæ fuerunt curationes illius monitu peractæ. de Epidauro ineptum eſt monere. Triccæ primum artis experimenta ecidiſſe aſſerit Theodoretus Serm.* VIII. *ex Apollodoro. ideoque eximiè etiam ibi cultus eſt cum filio Podalyrio, ut inquit Lucianus in Pſeudomante. in Arce præterea Carthaginis Apuleio teſte in Floridis & apud Ægeatas in Cilicia, & Hiſtor. Tripartita. Lib.* II. *Cap.* XX. Poenigenam *vero quod apud Virgilium eſt,* Phœbigenam, *ſatis novè legit Luctatius Placidus apud Statium* III. *Theb. quod eſſet Æſculapius per pœnam matris natus. Hiſce omnibus tu Aſclepiadarum præſtantiſſime vel nigrum præfigas Theta, vel miniatam ceram, more Democritæo, imprimas, quæſo, ut etiam ego venire poſſim in plauſum Litterarum, veluti loquitur elegantiſſimus fabulator Phædrus. Vale Patavij Kal. Aug. MDCX.*

L. P.

## L. P. MARCO VELSERO II Viro Auguſtano Viro Nobiliſs. & Eruditiſſimo Epiſt. XIV.

*DUas hebdomadas rure moratus ſum V. Cl. ubi ſanè tantum ſolidæ voluptatis hauſi, ut cantillaverim ſæpè ſæpius cum Hiſpano.*

Non amet hanc vitam quiſquis me non amat opto
Vivat & urbanis albus in officijs.

*O Soles & Umbras? illos puros & defecatos: illas amabiles & vitales. At tu cupies ſcire ubinam gentium Phæacia mea ſit. ego verò lubens indicabo. Arquadæ in Collibus Euganeis, ubi vir omnium ſæculorum memoria digniſſimus Fr. Petrarca, vixit olim, & in Cœlum evolavit. ego illius domum, cubiculum, menſam, ſellam, ſepulcrum veneratione ſum proſequtus. ibidem quamvis nec fonte labra proluerim Caballino, nec in bicipiti ſomniaverim unquam Parnaſſo, repente tamen Poeta prodivi, cecinique carmina, quæ tu videbis aliquando quum eris minus negocioſus. interim ex me cognoſce rem auribus tuis dignam. Lacus eſt in ea regione ad radices Montis, non ita diffuſus, quem indigenæ vocant* la ſolana. *quem forte Martialis Lib.* IV. XXV. *innuit, quum ſcriberet.*

Quæque Antenoreo Dryadum pulcherrima Fauno
Nupſit ad Euganeos ſola puella lacus.

*quid enim ſibi vult hæc SOLA puella? huius lacus alumni ſunt Cephali piſces æquè ſapidi ac illi e pelago, qui nobilitant Venetas coquinas. At unde hæ raræ & peregrinæ deliciæ? num & ipſa Thetys ruſticatur? ita profectò eſt; & Junilius Epiſcopus Afer, Commentario in Geneſim rem, acu tetigit, cuius hæc ſunt verba;* Bene autem cum multa eſſe conſtet maria, in locum tamen vnum congregatas dicit aquas, quia videlicet cuncta hæc iugi unda atque continua Oceano, ac mari iunguntur magno. ſed & ſiqui lacus, in ſemetipſos videntur eſſe circumſcripti, & hos fuerunt occultis quibuſdam perforatis cavernis in mare ſuos evoluere

meatus. nam foſſores puteorum hoc probant; & quia tellus per inviſibiles venas aquis repleta eſt manantibus; quia trahunt ex mari principium. *bucuſque Junilius. apud quem in diſquiſitionem venit mare illud magnum, cuius meminit. & cenſeo ego eſſe Oceanum Chriſtophoro Columbo primitus intratum, cuius mentionem facit Feſtus Avienus in deſcriptione oræ maritimæ quam vocavit.*

— Porrò in occiduam plagam
Ab his Columnis gurgitem eſſe in terminum,
Latè patere pelagus, extendi ſalum
Himilco tradit —

*antiquus autem Juvenalis interpres Sat.*XIV. mare mortuum, *appellat*, ultra quod navigare non conceditur. *Huiuſce te rei V.Cl. certiorem ni feciſſem periiſſet mihi omnino voluptas ruſticationis meæ. tu quod perſcripſi, altiſſima iſta tua eruditione digniſſimum, ſi perpenderis, & ſententiam tuam reſcripſeris, erit de quo te etiam duplo amem. Vale Patavij Kal. Octobris MDCXI.*

## L. P. ALOYSIO CORRADINO IV. Viro Patavino Iuriſconſulto, & Philologo. Epiſt. XV.

R*Arum profectò ſpectaculum eſt V. Cl. fragmentum illud Cryſtalli, quod Brutzius noſter inter præclara illa ſua Artis & Naturæ Cimelia oſtentat curioſis. Guttula illa aquæ (niſi nos oculus fallit) quæ Gemmæ penetralia obſidens ſalit ſemper utcumque vertatur Cryſtallus, me in eam ſententiam pene trahit, ut glaciem, & aquam putem eſſe quæ ſic induruerit, & eam firmitatem acceperit. ſcio quidem recentiores aliter ſentire, & ſuccum neſcioquem in medium adducere, eximis terræ penetralibus. at divinus Scaliger in Exercitationibus adverſus Cardanum hoc non ita facilè concedet. & Antiquitas quæ multarum rerum vſuperitæ fuit, in meam ſententiam videtur inclinare. Junilius Epiſcopus in Commentario in Geneſim hæc habet;* quæ enim cryſtallini lapidis firmitas, quæ ſit

per-

perſpicuitas ac puritas, nouimus, quem de aquarum congregatione certum eſt eſſe procreatum. *Claudianus inſuper in Epigrammatis; quæ ad calcem Libri proſtant, videtur eadem ſenſiſſe. ubi ſanè Critica animadverſione dignum eſt, quinque ad minus Epigrammata in unum coaluiſſe, Librariorum ſupina negligentia. At luſiſſe Poetam verſibus in eodem ferè argumento, quod nunc nos pertractamus, ſupervacuum eſt admonere. quid ſi Pilos, Feſtucas, Muſcum virentem Criſtallino lapidi vidiſſet incluſos, ut tu, & ego non ſemel vidimus? Hic deſino, & te opto valere. Domi, poſtridie Cineralium. MDCXII.*

## L. P. FRANCISCO POLÆ Juriſconſulto Clariſſimo. Epiſt. XVI.

C*On querebamur nudiuſtertius (& arbitror te meminiſſe) de hominis tranſalpini faſtu, qui Italiam Galliæ plura debere, in hiſce politioribus ſtudijs noſtris pronunciavit. Is eſt Scholiaſtes Epigrammatum & Poematiorum veterum, quæ typis impreſſa ſunt Lugduni, Anno* MDXCVI. *Dicebam ego non iure dictum videri. tu addebas rectè me facturum, ſi rationibus retunderem mendacium hominis. audi igitur illius verba. Pag.* DXCIII. Gregorius ſane Longus Sileſius, qui primus Gratium, Nemeſianum, Calpurniumque edidit, teſtatur deſcriptos de vetuſto exemplari, quod Actius Sincerus Sannazarius in Italiam tranſtulerat ex Gallia: cui & illa plura debet. *At tu homo multi iugæ Lectionis (Scholiaſten adloquor) an non meminiſti, Franciſcum Petrarcham a Gulielmo de Paſtrengo Veronenſe petere per Epiſtolam Calpurni Bucolicum carmen? ea eſt in Libro Variarum* XXXIIX. *verba autem hæc ſunt*, expecto enim Calpurini Bucolicum carmen, & tuam Varronis agriculturam. *An & tum Calpurnius e Gallia veſtra petebatur? non puto. Geminum omnino eſt, quod Joſephus Scaliger in veſtibulo Caſtigationum ſuarum Catullianarum ſcribit Catullum in Gallia fuiſſe repertum, additque illum ipſum, qui publicavit,*

*Epi-*

*Epigrammate id teſtatum fuiſſe. At, qui Epigramma conſcripſit Guarinus Veronenſis eſt, uti paret in vetere Editione Catulli, quæ apud me eſt. ubi legitur.*

HEXTICUM GUARINI VERONENSIS ORATORIS CLARISSIMI IN LIBELLUM VALERII CATULLI EIUS CONCIVIS.

Ad patriam venio longis de finibus exul.
Cauſa mei reditus compatriora fuit.
Scilicet a calamis tribuit cui Francia nomen,
Quique notat turbæ prætereuntis iter:
Quo licet ingenio veſtrum celebrate Catullum
Quovis ſub modio clauſa papirus erat.

*Neque vero ille verſus*

Scilicet a Calamis tribuit; cui Francia nomen,

*Aliam interpretationem recipit, quam a Franciſco quodam repertum alicubi (& fortè in horreo) Codicem Catulli. Si Italus quiſpiam hæc enunciaſſet quantos clamores excitaſſet Scaliger? Si Italia Galliæ plura debet, non minora ſunt, quæ hęc illi. Ego ſanè ſcio Bibliothecam Ticinenſem, nobile illud Vicecomitum Ducum Mediolani monumentum, translatam in Gallias a Ludovico Rege, Anno* MD., *Urbem Bleſenſem nobilitaſſe, & Gallicanas Bibliothecas locupletaſſe, teſte Leonardo Maniaco Lib.* IV. *Hiſtoriar. Et Anno* MDXII. *in direptione Urbis Brixianæ, antiquorum numiſmatum eam copiam Gallis victoribus obveniſſe, quæ doctos eius Gentis Viros poſſet ſollicitare ad veterem Hiſtoriam illo adiumento exornandam. ita Franciſcus Sylvius Ambianas; in Scholijs ad Epiſtolas Politiani, ſol. 81. Editionis Aſcenſianæ. Neque vero ea mihi mens eſt, ut velim detrahere nobiliſſimæ nationi, e qua multos amicos, eoſque primæ notę, nactus ſum, ſed volui noſtris hominibus eam laudem ſarctam tectam ſervare quam ſi deſpiciam, neque aſſeram, improbus inteſtabiliſque ſiem.*

Nec vero terræ ferre omnes omnia poſſunt

*Ut cecinit maximus Poetarum. habent Galli laudes ſuas: habent*

*Itali ſuas, quibus exteros homines acquieſcere par eſt. Si enim dixero veteres Inſcriptiones ab Italis primum collectas, veluti a Ciriaco Anconitano, Joanne Marcanova Patavino, Jocundo Veronenſe, mendacium non dixero. ſi nummos antiquos in pretio primum habitos a Mediceis contendero, nemo repugnabit opinor. Librorum & Bibliothecarum ſtudium a prima origine ſi noſtris adſcripſero, rectè fecero. vidit hoc Germanus poeta, eruditus ſanè & cultus*

Salve magna parens doctorum altrixque virorum,
  Exculti qua nos erudiente ſumus.
Induit ingenuos per te Germania mores,
  Doctrinæque tuis fontibus hauſit opes.

*Poteramus & nos iactare, Bobij, Anno* MDXCIII. *repertos Rutilium Numatianum Poetam, Satyram Sulpiciæ, Epigrammata aliquot, Terentianum Maurum, Ceſium Baſſum, Velium Longum, Adamantium Martyrium, Probi Catholica, Cornelium Frontonem, Sergium Grammaticum, & alios non paucos, ut ait Volaterranus Lib.* IV. *Geogr. Pag.* XIV. *poteramus adſcribere noſtris hominibus Eureſim (ut ita dicam) Quinctiliani, Aſconij, Valerij Flacci, Siluij Italici, atque adeo Ciceronis ipſius non contemnendæ portionis. veluti aſſerit Blondus in Romandiola.* CCCXLVI. *poteramus Auſonium imputare Matthæo Boſſo, Angelo Politiano, & Thadæo Ugoleto, cui etiam Martianum Capellam acceptum ferimus. Pandectas Piſanas & Florentinas, Bibliothecas Vaticanam, Medicæam, Ticinenſem, Ariminenſem, Venetam poteramus ingerere cum recentibus aliquot. verum abſtinemus; & fatemur exornatam fuiſſe hanc Litterariam Spartam certatim a doctis hominibus. Et veluti omnes, qui in Orbe Romano olim erant Cives Romani erant, ita nunc omnes qui Eruditionem amant Italiam amant, & aſſurgunt veteri Italorum, addo etiam recenti in Philologicis diſciplinis dignitati. Neque vero Itali non agnoſcunt quantum laboris exantlaverint Trans-alpini omnes, quo ſtudio & animi contentione acceſſerint ad politiora hæc ſtudia pertractanda. omnes. amant, ſingulos diligunt: & univerſos veluti Cives unius & eiuſdem publicæ rei ex intimis animi ſenſibus*

*amplectuntur. Hæc ſunt mi Pola, quæ ſine alicuius inſectatione, in communi cauſa extare apud te volui. Tu qui noſtros & exteros amas, ut omnes boni faciunt, hęc mea in bonam partem accipe; & me ama. Domi. Kal. Jul. MDCXV.*

## L. P. CURTIO PICHENÆ; Magno duci Etruriæ ab intimis ſecretis, & Senatori Florentino Viro Doctiſſimo. Epiſt. XVII.

*PErcurſum tibi & perlectum Commentarium meum, qui eſt de ſervorum miniſterijs, è proximis Litteris ad me tuis perſpexi. & ſanè Libro meo permagna facta eſt honoris acceſſio, quod tu Vir Clariſſime iſta tua dignitate, & magnarum rerum peritia animum adieceris Laboribus meis, quos ego planè adoleſcens, illuſtrando illi argumento ſuſcepi. Neque profecto mihi unquam venit in mentem, fore aliquando, ut vos rei Litterariæ columina oculos flecteretis hiſce nugis perluſtrandis; curaviſſem etenim ut illa mea prodirent non modo magis, emaculata, verum etiam compta magis, & veſtris oculis digniora. Interim tui arbitrij facio, ut videas an hæc, quæ ſubnotavi redigenda ſint in Libri cenſum, ſi quando Typographus recudere voluerit. Limocinctos, quos adnotavi in vetere Tabula Patronatus declaravi ex Gellio, & Iſidoro fuiſſe publicos Servos, qui cingerentur tranſverſa purpura. His addo locum Hygeni in Libro, cui titulum fecerunt Varios Auctor. de Limitibus.* Limites autem appellati a Limo: ideſt antiquo verbo tranſuorum. nam & Limocincti, ideo quod purpuram tranſverſam habent. *ad quem locum mirè conferunt ea quę adnotavit eruditiſſimus Rigaltius. Animadverti inſuper Famulos in univerſum cinctos fuiſſe, uti eſſent ad operas & miniſteria expediti. ideoque vocat Phedrus alticinctos Atrienſes, pueros pręcinctos Horatius. imo & CHRISTUS dominus Lucę* XII. *ex ęvi more, diſcipulos ſuos monet, ut lumbos ſervili more pręcingant. & Saturnalia fortè reſpiciens, quibus domini ſervis miniſtrabant moribus Romanis, meminit domini pręcingentis ſe, & ſer-*

*ſervilia meditantis. celebratur etiam cinctura Militum apud I.Conſultos de qua videtur loqui Ammianus Marcellinus in Juliano Lib.* XXII. inducta in Iudicium fœmina quædam, quum Palatinum adverſarium ſuum, e numero Protectorum cinctum præter ſpem conſpexiſſet, hoc factum inſolens tumultuando querebatur. & Imperator, proſequere ait mulier, ſi quid te leſam exiſtimas, hic enim ſic cinctus eſt, ut expeditius per lutum incedat. *Cingulum etiam Judicis invenio apud Anaſtaſium Bibliothecarium, in Silveſtro.* Hic conſtituit ut nullus Clericus propter cauſam quamlibet in Curiam introiret, nec ante Judicem cinctum cauſam diceret niſi in Eccleſia. *In his, quę hic congeſſi, ſi aliqua putaveris corrigenda annota quęſo te: meis enim omnibus hanc legem perpetim dixi, ut tu & tui ſimiles, arbitratu ſuo, cæderent urerent, ſecarent. Vale V. Cl. noſtræ Italiæ decus. Patavij. MDCXV.*

## L. P. ANDREÆ CHIOCCO Medico ac Philoſopho. Epiſt. XVIII.

Q*Uæris de Tripode recente epiſtola tua, id eſt a me (ut tu quidem peramanter dicere ſoles, ſed turbato ordine meritorum) num antiqui paginas Librorum uti nos facimus, numeris adnotare conſueviſſent. hunc reſpondeo conſueviſſe; & teſtimonio eſſe antiquam inſcriptionem quam vulgavit F. Urſinus optimus ſenex optimè de omni meliore Antiquitate apud bonos omnes promeritus. in illa legitur Veſbinus quidam Auguſti libertus Phætrium Auguſtalibus Municipij Cæritum dono dediſſe: & hæc præterea leguntur COMMENTARIUM. COTTIDIANUM. MUNICIPI. CAERITUM. INDE. PAGINA. XXVII. KAPITE. VII Martialis etiam eo alluſit Lib. VIII. Epigr.* XXXXIV.

Centum explicentur Paginæ Kalendarum.

Jurabit heres te nihil reliquiſſe.

*qui etiam Lib.* IV. LXXXXI. *primæ Paginæ Libelli ſui meminit. Verum hanc vocem tranſtulerunt optimi Auctores ad alias etiam res,*

*quæ longè abeunt a ſupellectile cartacea. Juvenalis enim Sat.* X. *Paginam appellavit Tabulam patronatus, uti vocat antiquus Grammaticus, quæ ſunt ænea vel marmorea, ſuffixa ſtatuis, & honorum gradus continens.*

Quoſdam præcipitat ſubiecta potentia magnæ
Invidiæ mergit longa atq; inſignis honorum
Pagina —

*Palladius, Menſis Maij tit.* XI. *in pavimentorum conſtructione teſtaceo Paginas imprimi jubet, ideſt marmoreas tabulas grandes & latas, cum teſſelarum & tabellarum meminiſſet. Salvianus etiam Maſſilienſis Lib.* I. *de Gubern. Tabulas marmoreas Legis a Deo datæ vocavit* rupices paginas, & ſaxeum volumen. *parietum Paginas recenſet Sidonius, Lib.* II. *Epiſt.* II. *& Uluarum Paginas ibidem videlicet invicem contextas. & forma ſoliorum diffuſas. Plinius quoque Lib.* XVII. *Cap.* XXII. *ad æreas terræ id nominis contulit, inquiens,* ut quinto quoque palo ſingulæ iugo paginæ includantur. *Innocentius etiam vetus auctor Limitum conſtituendor. hæc habet;* excogimus finem habere contra duas paginas fundorum. *& apud eundem compaginæ ſunt Litterarum non ſemel, & quidem ex Libris Marci Varronis de Geometria ut ipſe inquit. necnon & Tiberius Imperator apud Frontinum ita diſſerit,* cum ager diviſus militi traderetur, ut extremis a compaginantibus agris, limitibus ve ſuis monumenta ſepulcra ve ſacrarentur. *& hæc quidem de Pagina. Quod autem tu idem quæris de Ellycnijs Lucernarum ſepulchralium, quas antiqui concinnabant, ſcito apud Anaſtaſium Bibliothecarium animadverſum mihi fuiſſe neſcio quid de Ellychnio Asbeſtino ſcribit enim in Silveſtro.* in medio Fontis, columnas Porphireticas, quæ portant Phialam auream, ubi Candela eſt, penſans ex auro puriſſimo Libras LII. ubi ardet in diebus Paſchæ, Balſamum Librarum cc. nixum vero ex ſtippa Amianti, *ubi mixum reponit (& meritò) eruditiſſimus Anaſtaſij Scholiaſtes. & hęc ſunt quę tua intererat ſcire, ut dicebas. ſed ecquę ſunt quę tu neſcias? Vale. Patavij Non. Maij. MDCXVI.*

L. P.

## L. P. SCIPIONI COBELLUTIO Card. Sanctæ Suſanæ Bibliothec. Apoſt. Præfecto. Epiſt. XIX.

*QUod tu Vir Illuſtriſſime in tanta eruditione & magnarum rerum uſu, exquiras a me non raro ea, quę te callere par eſt, hóc vero humanitatis tuæ præclarum eſt argumentum. nimirum æque Patris eſt docere Liberos, & demittere ſe ad eorum luſus, & adeo*

—equitate in arundine longa.

*Quærebas de Annulo pronubo cuius figurę eſſet, cuius materię; & num olim fuerit (uti nunc) precibus ad Deum fuſis conſecratus. figura videtur illa, quæ me puero frequens fuit, & nunc apud nos obſolevit, iunctarum videlicet manuum dextrarum, cuiuſmodi in antiquis Nummis cernitur non raro, ijſque aureis, argenteis, & æreis. dextras abſolute appellat Tacitus, Lib.* I. *&* II. *Hiſtor. miſſitatas ad Exercitus non ſemel. apud nos obtinuerat Fidei nomen* (una fede) *neque profecto ſine exemplo antiquitatis: quando in monetis Vitellij, Titi, Domitiani, Pupieni dextrę huiuſmodi Fidei inſcriptionem prę ſeferunt. accedit his omnibus teſtimonium ſcriptoris, quem tu merito magnifacis, Joannis Nider Lib.* I. *Cap.* II. *qui ſcribit in Formicario de Virgine ruſtica, quæ optabat reperire Annulum materialem in ſignum Chriſtiferæ deſponſationis, reperiſſe Annulum coloris albi Argento mundo ſimilem; & in clauſura ubi iungebatur in circulum duas manus artificioſè inſculptas extitiſſe, cancellatim ſibi mutuo fidem porrigentes, & ſeſe arcte conſtringentes. Moris autem erat etiam olim, ut Annulus, & Corona conſecrarentur oratione Sacerdotis: cuius quidem Orationis in veteribus Liturgijs hęc erat formula.* Bene ✠ dic Domine Annulum iſtum, & Coronam iſtam, ut ſicut Annulus circundat digitum hominis & Corona caput, ita gratia Spiritus Sancti circundet Sponſum & Sponſam; ut videant filios, & filias uſque ad tertiam, & quartam generationem: qui collaudent nomen viventis atque regnantis in ſæcula ſæculorum. Amen. *de Corona verò fruſtra eſt, ut te*

*moneam.*

*moneam. non enim dubito, quin obſervaveris locum Iſaiæ Cap.* LXII.
& indumento Iuſtitiæ circundedit me, quaſi ſponſum decoratum Corona: *& verba D. Agnetis omnibus in promptu ſunt. de data dextra & fide, cum hęc ad te ſcriberem, monuit amicus extare inſignem Livij locum Lib.* XL. *de M. Æmilio, & M. Fulvio Cenſoribus, qui initio Cenſurę acerrimas inter ſe ſimultates finierunt:* omnibus inſtantibus qui aderant, dexteram fidemque dedere, mittere vere, ac finire odium. *Et ſanè ego memini me videre virum & uxorem, Furſanium Nigrinum, & Furſaniam Floram, auſpice Hymenęo, dextras ingentes, in vetere monumento, quod repreſentarunt ſatis affabre Abrahamus Ortelius, & Ioannes Vivianus in Itinerario ut vocant per nonnullas Galliæ Belgicæ partes. Et hæc omnino ſunt, quæ tibi ſtudia mea promoventi & excitanti obſecuturus, adnotata volui. Vale. Patavij. MDCXVII.*

## L. P. THOMÆ DEMPSTERO Demuresk Baroni J. C. Profeſſori Eminenti. Epiſt. XX.

*VEro verius eſt Vir Clariſſime quod heri apud Comitem Manfredum ornatiſſimum Adoleſcentem Auditorem tuum, diſſerebamus, nihil eſſe hominis magis proprium quam falli, idque uſuvenire frequenter in hiſce noſtris ſtudijs, quæ appellamus Humanitatis. in quibus bardus omnino habetur, qui non omnia callet, ſeveræque leges imponuntur,*

Ut præceptori verborum regula conſtet,
Ut legat Hiſtorias, Auctores noverit omnes
Tamquam ungues digitoſq; ſuos, vt forte rogatus
Dum petit aut Thermas, aut Phœbi balnea, dicat
Nutricem Anchiſæ, nomen, patriamq; novercæ
Archemori. dicat quot Aceſtes vixerit annos,
Quot Siculi Phrygibus vini donaverit vrnas.

*Ut vere demum cecinit Satyricus Aquinas in calce Satyræ* VII. *Exemplum prębet huiuſce, cuius meminimus humanæ imbecillitatis*

Iaco-

*Jacobus Gretſerus nobilis e Soc. JESU Theologus in opera elaboratiſſimo de Cruce, Tomo* III. *Lib.*I. *Cap.*XXVI. *ibi enim verba faciens de Numiſmate æreo Joannis Palæologi Imperatoris Conſtantinopolitani, cuiuſmodi apud me eſt pulcherrimum, ad illa verba OPVS PISANI PICTORIS hæc habet*, Pictor Piſanus poterat nomen Patriæ. reticere. quia nihil in Nummo, præter teſtimonium cultæ Crucis, quod laudem admodum mereatur. adiecit tamen, ratus forſan precium non tamen ex arte, quam mente ſua æſtimatum iri. negotiabantur olim Conſtantinopoli plurimi Piſanorum, *&c. quæ ſanè nollem dicta ab homine eruditiſſimo. verum meminerimus HOMINES NOS ESSE. Piſanus hoc nomine proprio, non quidem a Patria appellatus, fuit inſignis Pictor idemq; Cœlator, qui ob peritiam artis ſe in cœlaturis pictorem, in picturis cœlatorem inſcribebat. eiuſdem meminit Pomponius Gauricus in Libro de Sculptura hiſce verbis*, Piſanus Pictor in ſe cœlando ambitioſiſſimus. *Item Onufrius Panvinius, in Opuſculo de Vrbis Veronæ viris Doctrina &c. Illuſtribus, qui teſtimonio Blondi Veronenſem fuiſſe ait, Guarini carmine decantatum. Eiuſdem Piſani plura eaque grandiora ſunt apud me Numiſmata, manu planè artifici ſcalpta. meminerunt & Georgius Vaſarius ſeu ille Borghinus; & Paulus Jovius Epiſtola Italice ſcripta, luculenter ſanè. Hæc ad te mi Demſtere, uti ad Veritatis Patronum & Vindicem, nullo prorſus calumniandi ſtudio. Vale, & ampliſſimum MOLINUM Italiæ noſtræ ſidus, cum primam Venetias appuleris, meo nomine plurimum ſalvere jube. Domi.*

## L. P. ANDREÆ MAUROCENO
### Gymnaſij Patavini Moderatori, Senatori Ampliſſimo.
### Epiſt. XXI.

B*Eſſarion Cardinalis Nicænus, ille qui veſtram Bibliothecam Marcianam ornavit, ea fuit morum gravitate, & doctrinarum cultura, ut nemo eo Chriſtiana probitate ſpectatior, Paulo Jovio teſte,*

*ſte, nemo fuerit doctrina admirabilior. Is Cornelium Tacitum in delitijs habuit, ſcriptorem civilis prudentiæ magiſtrum, & quod non minima laus eſt, Livio noſtro in hac etiam parte proximum. Huiuſce rei teſtem habeo Beſſarionis Epiſtolam, deſcriptam e vetere manuſcripto Codice, qui fuit olim eximij viri, & omni commendatione maioris Hieronymi Aleandri Cardinalis, cuiuſque me compotem fecit Hieronymus Aleander junior ab eruditione & modeſtia commendatiſſimus. Epiſtolæ verba hæc ſunt.* Beſſarion Cardinalis Tuſculanus domino Franciſco Barbaro ſuo ſalutem dicit Si Cornelius tuus Tacitus non eſſet, poſſet tibi referre quam humaniter a nobis ſuſceptus, quam liberaliter tractatus, quam hilariter quintum iam menſem nobiſcum hoſpitatus ſit. quem interea filium, quam ingenuum & liberalem genuerit, ac apud nos dimiſerit. Sed licet natura eum Tacitum fecerit, non tamen ita Tacitus eſt, quin ex eius facie atque aſpectu affectus eius apprime intelligantur. imo accidit interdum, ut non modo non Tacitus, ſed omnium facundiſſimus videatur. licebit itaq; ex eo etiam Tacito hæc omnia intelligas, ex quibus concipere animo poſſis quas tibi gratias habeamus, certe immortales agimus, nec quippiam avidius expectamus, quam oblatam nobis iri facultatem, qua tibi referre gratiam poſſimus. vale Bononiæ pridie Cal. Octobris M. CCCC. LIII. *Hęc Beſſarion eo ipſo Anno, quo Conſtantinopolis, Orientalis Imperij occiduum lumen a Mahumete Rege Turcarum miſerrima captivitate damnata eſt. Quam ille cladem Anno* MCCCCLXX. *poſt occupatam Euboeam, graviſſima adhortatione ad Principes Chriſtianos, proſecutus eſt latino ſermone; aſſumpta etiam Demoſthenis auctoritate, ſecus atque tradidit Andreas Schotus Antverpianus de Societate IESV, Vir ſcriptis editis, & Italicarum rerum amore longe clariſſimus. is enim Præfatione ad vitas comparatas Ariſtotelis, ac Demoſthenis ſcripſit, Beſſarionem populari Etruriæ Sermone implorasse ſubſidium vicinæ Italiæ adverſus Turcam Græciam invadere parantem. non enim populari Etruriæ ſermone ſcripſit Beſſarion, ſed*

*ſed latino, ut ipſemet Liber loquitur olim editus. Etruſce autem verterunt Nicolaus primum Sagundinus ni fallor, deinde Philippus Pigafetta, ut omittam, ſcripſiſſe Beſſarionem invaſa demum Græcia, & Turcarum juris pene facta. at hæc condonari poſſunt viro omnium philologorum cultu, & veneratione digniſſimo. Tu vale ampliſſime Domine, & tibi hæc mea habe, devotionis erga te meæ minima teſtimonia. Sandellius, & Contarenus ſalvere te jubent. ego pariter, cum acceſſione eius felicitatis, quam tua præclara Virtus jure merito ſibi exigit. Patavij.*

## L. P. PAULO GUALDO
Archi-Presbytero Cathedralis Eccleſiæ Patavinæ Viro Reverendiſſimo. Epiſt. XXII.

*IOannis Vincentij Pinelli Vita, quam tu Vir Reverendiſſime ante annos duodecim plauſu ingenti Eruditorum conſcripſiſti, eo favore excepta eſt, ut Erycius Puteanus, nobilis ille Pinelli contubernalis, in Reliquijs (uti vocat) Epiſtolarum ſuarum, Epiſtola* LVI. *ad Carolum Malineum, Ærarij Principum Præſidem, illam non dubitaverit appellare Imaginem Viri magni, probi, eruditi. Et ſanè non occurret fortè diligenter indagantibus, qui cum Pomponio Attico, præter unum Pinellum, componi poſſit. ambo nobiles, ambo Litterati, ambo magnis amicitijs florentes. ambo intra privatam fortunam ſteterunt. Illam tu recudas oportet, quando exemplaria prope omnia divendita ſunt: & multa mihi fuerunt adnotata tuo juſſu, de Io. Vincentio, clarorum hominum teſtimonia, quæ ad Poſteritatem, tranſmitti, uno veluti faſciculo comprehenſa, publicè intereſt privatimque. ſed ad rem proprius accedamus. Paulus Manutius in Epiſtolas M. Tullij familiares Lib.* V. *Epiſt.* XX. *hæc tradidit in Scholijs;* Sic omnes, quos ego viderim ſcripti Libri, tribus exceptis, duobus Marci Antonij Maffei, tertio quem vir doctiſſimus, idemque omnium humaniſſimus Io. Vincentius Pinellus, emptum ex Leonici Thomæi Bibliotheca, mihi dono dedit.

dit. *Petrus Victorius Lib.* XXVI. *Variar. Cap.* XVI. Joannes Vincentius Pinellus, vir quamvis merito ab omnibus aliqua laude dignis, plurimum laudatus ob multas & magnas animi ſui dotes, numquam tamen ſatis laudatus, ſignificavit mihi Epiſtola quadam ſua &c. legiſſe tres fuiſſe Bacidas. *Idem Lib.* XXIX. *Cap.* III. *cum de Apalis Ovis diſputaſſet, ſubdit*; cuius totius ſententiæ eſt Joannes Vincentius Pinellus, qui nos huius eruditæ diligentiſque animadverſionis admonuit, ut amicus meus ſummus, & laudis meæ undique ſtudioſus. *Thomas etiam Aldobrandinus Clementis* VIII. *frater, in Octavum Librum Diogenis Laertij. Ann. num.* I. *ita ſcribit*, ego mercatorem fuiſſe conijcio ex Libello quodam manuſcripto, quem miſit ad me Joannes Vincentius Pinellus iuvenis nobiliſſimus, & doctiſſimus. *Octavianns etiam Ferrarius, in Libello accuratiſſimo de Origine Romana, Pag.* XCII. *hæc honorificè perſcripſit*, argumento ſunt inciſa in antiquo lapide verba, quorum copiam Joannes Vincentius Pinellus vir humaniſſimus, idemque longè doctiſſimus, mihi non ita pridem fecit. *Gulielmus quoque Canterus Novarum Lectionum Lib.* III. *Cap.* V. *præclarum hoc Encomium eidem adſcripſit*; utramque hanc doctiſſimi viri emendationem nobiſcum nuper communicavit vir humaniſſimus iuxta ac doctiſſimus Joannes Vincentius Pinellus Patricius Genuenſis, idemque omnium eruditionis ingenuę candidatorum amicus integerrimus. *Omitto quæ Philippus Pigafetta veſtras, Commentario de Seſtertijs antiquis, Italice conſignavit; quia ea ipſa Pinellus minus probavit, quod te etiam non latuit. Inſignia vero ſunt quæ de Gente univerſa recenſet Thomas Coſtus ſcriptor, ſeu potius Interpolator Vitæ Innocentij* IV. *in Epiſtola nuncupatoria ad Coſmum Ducem Acheruntinum, Joannis Vincentij fratris filium. Et hæc quidem typis impreſſa ad meas manus pervenerunt, quæ tecum communicare par fuit, ut ſeriem aliquando, & lucem a diſerto calamo tuo accipiant: inedita aliquot & e ſcrinijs amicorum nactus, tum carmine, tum proſa, huius loci facio, ut penes te ſint. Segetus autem cuius*

*carmi-*

*carmina mox videbis, & olim tibi probè cognitus, ille eſt, qui Pinelli contubernalis fuit, quique maximè approbante Ioanne Franciſco Muſſato, cœperat interpretem agere Orationum Themiſtij, quas Io. Vincentius noſter, manuſcriptas in vetere Codice apud ſe habebat, & illas quidem plures, quiam non ita nuper Hieronymus Donzellinus latinè vertiſſet.*

---

## THOMÆ SEGETI

*De libro Pauli Gualdi, quo incomparabilis viri Ioannis Vincentij Pinelli vitam deſcripſit.*

Promeritus ſtudijs ſexcenta in ſæcula Famam,
    Quam pœne Famam perdidit Modeſtia
Pinellus, monumenta orbi dum pernegat, acris
    Et cerei præclara ad omnia ingeni;
Gloriolæ contemptori ſuccurrit amico;
    Docto, diſerto, florido Gualdus libro.
Hic facit, vt lethe excuſſa, æternumq; ſuperſtes
    Volitet per ora docta Pinellus virum.
Quid tibi profuerit pietas hæc Gualde requiris?
    Et tu per ora docta vectaris virum,

---

## IO. VINCENTII PINELLI

*Epitaphium.*

Non hic qui placida compoſtus pace quieſcit
    Promeritus quamvis, carmina longa feret.
Pinellum dixiſſe ſat eſto. Cetera dicent
    Celta, Italus, Suevus, Belga, Britanus, Iber.

## PAULI AICARDI EPITAPHIUM.

Ne foret in terris unus, qui cuncta teneret,
Aicardum in medio tramite Mors rapuit.
Invida Mors nihil egiſti tamen. Omnia ſcire
Non licuit vivo, poſt tua tela licet.

## COSMI PINELLI
*Io Vincentij fratris III. Ducis Acheruntini Epitaphium.*

Qui patrui Coſmus mentemq; atq; ora ferebat
Urbe illa (heu?) cecidit, qua cecidit patruus.
Judice me, haud caſu hoc factum, molita videntur
Fata, ut tam iunctos iungeret & Tumulus.

## ALIUD.

Dum patruo molem meditaris Coſme ſepulcri,
Præpropera morti victima immiti cadis.
At patrui virtus, Pietas meruit tua, ut eſſet
Honore mactus ille, tu ſolatio.

*Thomę Segeti, Britanni.*

D. O. M.
ET MEMORIÆ ÆTERNÆ.
Illuſtriſſimi Vincentij Pinelli,
Principum Stirpe Oriundi,
Ita Ingenio Dotati, & Ita Laboribus Dediti
Ut Ab Ipſius Ingenio Scientiæ Prætium Cæperint,
A Laboribus Vero Ipſe Augumentum;

Hæ

Hæ Detrimentum.
Nam Cum Pene Singula Ad Calculum Revocaret:
Renum Calculo Victus Eſt
At Dum Vincitur, Vicit Perpetuum
Sui Nominis Monumentum.
Jure Ergo Merito Sit Tibi
Vincenti Corona

*Joannes Bourgeois, Tornacenſis.*

*Vale Vir Reverendiſſime & me numera inter fidos addictoſque tibi clientes. Patavij. Anno MDCXIX.*

## L. P. ANDREÆ CHIOCCO
Medico, Clariſſimo Viro. Epiſt. XXIII.

*QUæris ex me Vir Cl. quid contineat antiqua Lapidea tabella, quæ iſtbic in Muſeo Calceolariano adſervatur, cuiuſque tu ad me exemplum miſiſti. illa profectò Ægyptij cuiuſdam ſcalptoris figmentum eſt, ut quæ & litteras exprimentes rationes myſteriorum illius Gentis proferat, atque ipſa adeò Sacra (vt ipſi vocabant) ſimulachra nobis exhibeat. Litteræ ſunt illæ, tum quæ quattuor inferioribus ſpacijs tabelle. ipſius continentur, tum quæ in ſuperiori area intermicant, mirabiles planè, & ipſamet ignoratione ſatis commendatę; Aviculę enim, ſecuriculæ, globuli, flagella, Dracunculi, & alia non pauca ipſa quidem per ſe in oculos nobis incurrunt, at quem indè ſenſum nos elicere valeamus, nemo adhuc eſt, qui ſciat. Ammianus certè Marcellinus Lib.* XVII. *Hiſtoriarum ex Hermapione, ut ut prǽiverit explicatione aliquot verſuum unius ex Obeliſcis, ſæculo huic noſtro ſolerti ſatis, & erudito, nemo tamen ad ſolidam huius diſquiſitionis gloriam adſpirare (quod ego quidem ſciam) auſus eſt. Ad ſimulachra quod attinet, dixi ego ſatis aliàs, cum explicarem imagines miras Menſæ Iſiacę, quæ fuit incomparabilis Viri P. Bembi Cardinalis. at in tui gratiam etiam nunc è magna ſatis meſſe colligam deciduum aliquod ſpicum, quod tu pro tua humanitate, & pro*

*ea,*

*ea, qua me proſequeris benevolentia, forſan recondes in horreum politiſſimæ tuę Bibliothecæ. Porrò hoc agamus. Ægyptij ſanè, ut contigerunt illis cœli Vis, & Nili ingenium planè à reliquis terrarum tractibus diſcrepantia, ita in pleriſque omnibus (inquit Herodotus) à ceteribus mortalibus ſeſe abiunxerunt. Hoc in Sacris liquido planè compertum eſt. nihil enim ita abſonum in fingendo uſpiam fuit, quod non ęquarent, vel etiam exſuperarent monſtraoſæ imagines, quibus ex antiquitate reliquis pepercit Tempus edax rerum. Nota ſunt ex carmine Virgiliano, Omnigenum Deum monſtra. & Gildas ſapiens, ut Patrię ſuæ Idolomaniam exagitaret, nihil potuit excogitare, quod ad illam exprimendam pertingeret, pręter Ægyptiaca deliramenta; Inquit enim:* Igitur omittens priſcos illos, communeſq; cum omnibus gentibus errores quibus antè adventum Chriſti in carne, omne hominum genus obligabatur adſtrictum, nec enumerans Patriæ portenta ipſa diabolica penè nummero Ægyptiaca vincentia, quorum nonnulla lineamentis adhuc deformibus intra vel extrà deſerta mœnia ſolito more rigentia torvis vultibus intuemur. *hęc ille. Georgius etiam Piſides huc reſpectans, totum ſalum horrendæ impietatis Ægyptios perbibiſſe abundè teſtatus eſt. Abſidem Tabellæ complectuntur ferè totam Alæ Accipitris, quas fortè in rotundo illo patore interſtinguit Stella Sothis, ut non ſemel in Menſa Iſiaca; ambientibus, & dependentibus anguibus binis. Fuit autem Sothis Stella, quam Canis aſtrum græci vocant (inquit Porphyrius) creditaque eſt Ægyptijs ἀρχηέτης, eademque initium apud ipſos mundanę Geneſeos. Accipiter verò Dei, & Solis symbolum eſt, tracente Clemente Alexandrino Lib.* V. *Strom.* Πυρώδης γὰρ, καὶ ἀναιρετικός: *Angues & ipſos divinitatis aliqua portione reſperſos arbitrata eſt Antiquitas: & nos olim ad faſtidium oſtendimus. nota ſunt illa Perſij Satira* I.

Pinge duos angues: Pueri, ſacer eſt locus, extrà
Meijte —

*Ægyptij ipſi adeo magnifecerunt hanc notam impietatis, ut & Num-*

*mos*

*mos Principales hac imagine conſignarent. eſt apud me æreus M. Antonini.*




*Quod ſi Stella in illo veluti Diſco non comparet, ſed nuda tantum planities, dicemus eſſe planam illam rotunditatem, quam in modum ſpeculi, vel augmentum Lunæ ſuper Iſidis frontem Appuleius Lib. 11. adnotavit. Reliquę ſunt icones Sacrę, quarum altera ſedens Oſiridis videtur, ſtans altera Iſidis. Oſiris fuit Rex apud Ægyptios, Iſis Regina, ut ſcribit Iulius Firmicus & ante Firmicum Diodorus, quos prętere a myſticis rationibus & Solem, & Fruges, & Lunam, & Terram eſſe voluerunt. Horum cultus totam Ægyptum, regiones finitimas, & univerſum ferè orbem incredibili ſuperſtitione pervaſerat. Oſiridi caput tegit Perſeę arboris Pomum (ut ego quidem exiſtimo) ea ſpecie conformatum, illiſque parergis exornatum, quę in Menſę Iſiacę prima ſectione occurrunt ſpectantibus. E mento quod propendet diximus alibi videri Serpentis caudam, neque ſanè pœnitet coniecturæ, quam tamen qui firmem non habeo, adeò tenebræ Cymmerijs e craſſiores hęc deliria obſepſerunt. Unica eſt apud me Gemma ſignatoria vetus illa ſanè, quę ad hęc alludit. Eſt autem Sarda,*



*Sceptrum Sacrum apprehendit ambabus manibus Oſiris, ut & dextra Iſis, quę ponè ſequitur, ornabatur autem Sceptrum Upupæ capite, ut docet Horapollon Lib.* I. Ὅθεν καὶ τῶν θείων σκήπτρων κουκουφα προτίμησις ἐστι; *id quare fieret, latè nos in commentario Menſæ, quam diximus. Sella planè Ægiptiaca eſt, tota ſolida, illis conformata, quas nobis exhibent huius generis antiqua monumenta. Iſis eminente mamma, & ea quidem unica, niſi nos Pictos fefellerit, pedibus penè concretis, ſiniſtræ manus digitulo inſertam Crucem anſatam geſtat. Et huiuſmodi crucis ſpecimen, & nos olim ex antiqui lapidis cœlatura deprompſimus, & Ioan. Georgius Heruvartus, in figuris obeliſcorum, qui Romæ extant, repreſentandum curavit. Et anſam eiuſdem Crucis fruſtrà abrumpere conatus eſt Iuſtus Lipſius Vir Clar. Caput Iſidis ornat ſacer Tutulus, non integer tamen, ſed detritus, vi (vt videtur) & iniuria vetuſtatis. Mamma eminens, ſi Iſis nihil aliud eſt, quam Terra, ut placet Macrobio, id ſignificat, ſufficere eam cunctis animantibus victum. Pedes eiuſdem, quos Pictor non ſatis videtur aſſecutus, illuſtrantur hiſce verbis Heliodori Lib.* III. *Æthiopicorum* Τὰ ἀγάλματα τῶν θεῶν Αἰγύπτιοι τὼ πόδε ζευγοῦντες, καὶ ὥσπερ ἑνοῦντες ἱστᾶσιν; *qui hæc etiam confirmat Homericis verſibus. Et hæc ſunt Vir Cl. quę ſuppeditaverunt tenues*

copio-

*copiolæ Bibliothecę noſtræ, & id quidem pauculis horis propè furtivis. Ego maiora, & quæ te minus dedecerent, maluiſſem; at tu qualiacumque æqui bonique conſules, uti ab amico profecta, qui hanc ſcriptiunculam apud ſeram poſteritatem cupit extare, veluti Teſſeram mutuæ inter nos, & perennis caritatis. Vale, & Excellentiſſimum Cerutum præclarum, & optimum Muſæi Calceolariani Deſcriptorem, atque Interpretem meis verbis plurimum ſalvere jubeas. Patavij Dominica Paſſionis, Nonis April. MDCXX.*


## L. P. SCIPIONI COBELLUTIO Card. Sanctæ Suſanæ Bibliothec. Apoſt. Præfecto. Epiſt. XXIV.

*HOrtaris Tu me Vir Illuſtriſſime, ut ad ſacras Antiquitates convertam ſtylum meminerimque illorum, qui magna cum laude nominis ſui hanc Eruditionis partem attigerunt. Ego verò pareo lubens, & exhibeo tibi ſpecimen in hac Epiſtola, quod tibi probari Viro eruditiſſimo cupiam. Caſſiodorus Senator ille, non magis Regius, quam Litterarius, in libro de Divinis Lectionibus, de Origene loquens hæc habet,* Qua propter in operibus eiuſdem Origenis, quantum tranſiens invenire prævalui, loca, quæ contra regulas patrum dicta ſunt, hæreſim diſputatione ſignavi. *ita habet poſtrema etiam Editio ubi in margine Libri annotavit Editor,* Achreſimi repudiatione *al.* Achreſimi diſputatione. *utro modo legamus ſunt mera monſtra verborum, nata ex ignoratione Notarum, quibus ſtudioſi, Auctorum loca ſignabant. habet illas Iſidorus Lib.* I. *Originum, Cap.* XX. *ubi inter ceteras extat hæc,*




G χρί


χρίσιμον, hæc ſola ex voluntate uniuſcuiuſque ad aliud notandum ponitur. *Repono igitur apud Caſſiodorum*, loca quæ contra regulas Patrum dicta ſunt Chriſimi diſpunctione ſignavi. *verum hæc nota apud noſtros religioſa olim fuit & ſacroſancta; ut quę contineret duas priores litteras nomini Dominici. vidimus illam in veteribus Nummis, in Titulis Monumentorum; in vetere Lucerna fictili, quæ extat apud me, cuius typum exhibuit clariſſimus Philoſophus Fortunius Licetus in Libro de Lucernis. Auctorem faciunt Conſtantinum Auguſtum, neque ſanè improbo: & opinor tranſtuliſſe eum ex veteri uſu ad hunc pium, & ſacrum. ipſe ſanè apparet galeatus in vetere Nummo, haſtatus & clypeatus: cum Inſcriptione CONSTANTINUS AUG. in galea vero conſpicitur hæc nota; ut & in Labaro alterius Nummi. At in pleriſque Regum Ptolomęorum æreis numiſmatibus non ſemel extat: ut ego vidi apud Lælium Paſchalinum iſthic. eſto. quid tum? an non potuit Conſtantinus ex promiſcuo Monetariorum uſu eximere hanc notam, cum infamiam abrogaverit ſupplicio Crucis? in Monetis ante Chriſtum percuſſis potuit ſignificare compendiaria ratione Nomen alicuius qui Monetam curaret, exempli gratia Chriſtodori, Chryſaori, Chremetis, Chryſantij, Chryſippi. poſt Conſtantinum, ſolum nomen Domini Salvatoris: de quo Julianus in Miſopogone, & Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Scriptores. num quæſo novitium eſt, multa in ſupellectilem Chriſtianitatis ut ita dicam fuiſſe invecta, quæ alias profanitatem ſubolverant? Crux ipſa, quæ nunc exornat imperantium frontes, fuit olim ignominię theca, & ſervilium ſuppliciorum periodus & epitome. hęc ideo pluribus Vir Illuſtriſſime quia memini, cum iſthic eſſem, audire me Virum totius antiquitatis bene peritum, qui in dubium revocaret, fretus hac compendiaria nota, quæ cernitur in antiquiſſimis Nomiſmatibus, quod de Conſtantiniana*



*omnes*



*omnes noſtri promiſcue tradunt. Collaribus fugitivorum eamdem imprimi conſueviſſe monſtravimus olim in noſtro Commentario de Miniſterijs Servorum. divertit illa deinceps ad figuram rectam Crucis, ab illa vetere decuſſata, in hanc formam*



*ut Nummi veteres præſeferunt. Neque verò Crux ipſa non fuit in cultu ab ipſo etiam ævo Conſtantiniano præfert ipſam clariſſime Nummulus ęreus meus, in fronte Arę data opera ſculptam, adſtante duplici Victoria, & Clypeo Aræ ſuperpoſito. eſt autem Ara, Columellæ ſpecie rotunda. Crux vero exciſa non inciſa, in fronte ut dixi, ubi Serta & Lemniſci Aram redimiunt more antiquorum. Hæc ſunt Vir Illuſtriſſime exordia veluti quędam eorum, quę ego olim tumultuariè annotavi ad res ſacras pertinentia: hęc tibi exhiberi par fuit, ut eo tandem reciderent, unde te monente & adhortante manarant, Patavij. Kal. Januar. MDCXXII.*

L. P. ALOYSIO LOLLINO
Epiſcopo Bellunenſi Viro Illuſtriſs. & Reverendiſſimo.
Epiſt. xxv.

N*Eæræ memoria apud Rhamnuſios, de qua tibi ſcripſeram præteritis diebus, in marmore huiuſmodi eſt. Mulier ſuperne ſe-*

*det ambitioſe ſtolata. brachium dextrum exerit e tunica, cubito tenus, eodemque erecto, manuque admota velum diducit a facie eo ſchemate, quo Pudicitia ſolet in veteribus Nummis Auguſtarum. idemque velum deſcendit a gena, collo, & humero dextris tranſverſum ante pectus ad latus ſiniſtrum, defluens undulatum ad uſque pedes imos. manus eiuſdem læva innititur pulvillo, tereti collumellæ impoſito. pedem dextrum excipit ſuppedaneum, quod Etruſci immutatis pauliſper vocis elementis vocant* Soppidiano. *Neera ipſa facie eſt ſatis liberali. marmor oblongum, quadratum & fornicatum in ſummo. ſub pedibus mulieris in Corona Laurea, ut videtur, hæc ſunt inciſa.*

ΕΛΕΥΘΕΡΙΑΣ
ΧΑΡΙΣΤΗΡΙΑ ΤΗΝΕΜΕΣΕΙ
ΡΑΜΝΟΥΝΤΟΘΕΝ ΝΕΑΙΡΑ
ΑΘΗΝΑΙΑΧΑΡΙΤΟΒΛΕΦΑ
ΡΟΣ ΑΝΕΘΗΚΕΝ

*Quæ neſcio quis latine ſic vertit.*

Ob Libertatem.
in gratiarum actionem Nemeſi
Rhamnuſiæ Neaera
Anthenienſis pulchri-palpebra ſacrum erexit

*Et vero Neæra etiam apud Virgilium formoſæ mulieris nomen eſt, Ecl.* III.

ipſe Neæram —
Dum fovet —

*noſtra forte illi compar fuit, quam Theleſillæ nomine celebravit Martialis Lib.* VI. LXXI.

Urit & excruciat dominum Theleſilla priorem
Vendidit ancillam, nunc redimit dominam.

*ubi dominus ancillam quæ corpore placuerat videtur in Libertatem aſſeruiſſe, ut dominam haberet. Ipſa etiam profecto Nemeſis ad amatores maximè pertinuit, ut inquit Pauſanias in Atticis:* & Rhamnuſia

nuſia virgo *nota eſt Catulli carminibus. Athenienſis igitur hęc noſtra Nemeſi, quæ Rhamnunte colebatur, memoriam ſacravit, ob libertatem adeptam, extortamque domino amatori, ſuperbo ſorte & impotenti. & hoc quidem meum ſomnium eſto de Neæra. tu*

— interpres divum, qui numina Phœbi
Qui Tripodas, Clarij Lauros, qui ſidera ſentis,
Et volucrum linguas & præpetis omina pennæ

Fare age *num merum ſomnium ſit. Nemeſis ipſius ſimulacrum expreſſit viriculo, recentis ęvi decus Apelleſque Albertus Durerus, ſervata fere Pauſaniæ deſcriptione. quod quidem vulgus Pictorum, pudendo errore, Famam vocat. Rotam Nemeſi tribuit Ammianus Marcellinus extremo Lib.* XIV. *& Poetarum non nemo. Ornaruntque ipſam hoc symbolo Amaſtriani, & Tyanæi, ut præſeferunt veteres eorundem Nummi, qui apud me ſunt Aurelij Cæſaris, & Fauſtinæ Auguſtæ. Quod autem ad cognomen attinet Neæræ ipſius, quam nos vocaremus* di ciglia gratioſe, *notanda ſunt quæ refert Athenæus Lib.* XIII. *Demetrium Phalereum Lampeto amicam ſuam hoc nomine appellaſſe, cum antea, uti ſcribit Dryllus, Charitoblepharos vocaretur. quod cognominis Adagiorum conſarcinatores neſcioquam recte, ex eodem Athenæo, ad ipſum Demetrium tranſtulerunt, in Adagio* Geometriam exercere in Cilio. *citaviſſent aptius Diogenem Laertium Libro* V. *& Heſychium Illuſtrium. Hæc omnia ut tu Pontificum eruditiſſime tuo ſuffragio comprobes mihi in votis eſt. id ſi fiet Cœlum digito attingam, non tantū vertice. Patavij. MDCXXIII.*

## L. P. GABRIELI CAPRÆ Comiti, & Canonico Patavino Viro Reverendiſſimo. Epiſt. XXVI.

*QUod res patrias amas Vir nobiliſſime Civicam Coronam mereris, quod Eruditionem raro exemplo magni facis Lauream tibi adaptat univerſus Litteratorum cætus. & vero Patria tua Vicetia eo loco eſt inter Italicas urbes, ut non quovis calamo contenta eſſe*

*poſſit.*

*poſſit. eius mihi Origines collectum irē, te quidem monente, conſilium olim fuit, quarum hac Epiſtola guſtum nunc delibo ſub auſpicijs multo ampliſſimi nominis tui. Qui eam ſundaverint an Galli, an Troiani ambiguum eſt. Iuſtinus Libro* XX. *ex Pompeio Trogo Gallos conditores adſcribit. alij Troianos aut Venetos. de quibus accuratiſſimus Philippus Cluverius Italię antiquæ Lib.* I. *Cap.* XVII. *& Introductionis Geographicę Lib.* III. *Cap.* XXIV. *utramque ſententiam amplexatus eſt Marcus Antonius Sabellicus inſignis ille Rhetor Hiſtoricus, & Poeta, in Cratere Vicentino; qui poſt Euganeos recenſitos ita infit.*

Tempore iam ex illo facies mutata locorum
Caſtella in tumulis, altiſque in montibus arces
Argolicæ poſuere manus, Vicentia nondum
Pulchra fuit (namque incerta it fama per aures)
Non inſignis, erat, ſed erat, ſine nomine tellus.
Inde adeo multis ſe ſe voluentibus annis
Poſt Aſiæ excidium, conſumptaque Pergama flammis
Antenor patria profugus, per tela per hoſtes
Erutus: Hadriacis victor conſedit in oris.
Tum Veneti comites rerum, ſortiſquè futuræ
Troica ſigna ducis melioraque fata ſecuti
Euganeum bello victum pepulere vetuſtis
Sedibus, & victæ dant iura, & nomina terræ.
Nec Venetis poſt longa quies, ſed Gallia crebris
Motibus infamis, Alpes penituſque repoſtas
Aſpernata nives; ſubitis effuſa procellis
Incautas evertit opes, atque ocia fregit.
Illa ferox bello, rebuſque elata ſecundis
Non prius abſtinuit, victriciaque exuit arma,
Finibus infeſſis, quam prædæ in parte recepta eſt,
Hic vero incertum Veneti nova mœnia priſci,
An Venetis mixti multo poſt tempore Galli
Fundarint avibus lætis atque omine læto.

Felices

Felices animæ quamvis odioſa vetuſtas
Nomina veſtra tegat, ſemper mirabitur orbis
Formoſam longe formoſis mœnibus urbem
Quam veſtre ſtatuere manus —

*De nomine quæ traduntur, a Vicanis & centum Vicis, dubio procul inania ſunt. ſive enim Galli, ſive poſuerint illam Veneti, num credemus hos ipſos Latine locutos? minime vero. paria ſunt quæ de Vinto neſcio quo & Cane ſabulantur indigna prorſus, quæ doctas paginas obſideant diu. Ego ſanè ſi Vicetes aliquis, in tota ditione Antiquitatis numeraretur, illi ipſi adſcriberem urbis nomenclaturam. neque ſanè ab hac inflexione abeunt Nicetes, Alethes, Aceſtes, & Atheſtes. quorum etiam aliqui oppidis a ſe conditis nomina propria tranſcripſerunt. VICETIAM diſertè nominant quotquot ego viderim antiqua monumenta, lapidea, ęreave, quibus accedunt & Græci aliquot Scriptores. At quod tu VICENTIAM probas ego profecto non improbo. adſtipulantur enim Juſtus Lipſius & Philippus Cluverius. imo & Sabellicus ipſe non ſemel. & præcipue hoc carmine*

— Sed quando ingens victoria fiuxit
Rite meis votis Bacchumque his vincere terris
Contigit: inde loco maneat Vicentia nomen.

*Cetera, quæ ad Religiones, ad Magiſtratus, ad Viros celebres pertinent, alterius loci ſunt, maiore cura dicenda. Hic Vicentini Crateris (uti quidem inſcripſit Sabellicus, quemque ego tibi indicavi) ratio aperienda eſt. aperiet autem ipſe, qui Litteris conſignavit maiorum veſtrorum Munificentiam Sabellicus, Lib.* VII. *Exemplor hiſce verbis*, audivit Vicetina Civitas ex Rhetoribus noſtræ ætatis Sabellicum obſcuri adhuc nominis peregre tranſeuntem. ceterum dicendi facultatem in eo àdmirrata, argentea patera magni ponderis, & quod plus fuit Civitate donavit. *Et hanc Pateram in carmine Craterem maluit appellare veluti & alterum non minus nobilem Antonius Quęrengus tuus, qui Romani carminis maieſtatem & venuſtatem rara mixtura temperavit, tu interim vale vir nobiliſſime, & Pignorium tuum multis tibi nominibus obſtrictum,*

*ctum, amare perge. Domi. Kal. Julij, in quas incidit olim Coronatio Romana Henrici* VII. *Ceſaris, Comitis Lucemburgenſis, qui Monarchię prȩclarus artifex, in medio rerum gerendarum curſu haud multo poſt deficiens, Italiam & Venetiam noſtram impacatas reliquit, anno ætatis uno & quinquageſimo, ut loquitur Muſſatus noſtras. Iterum vale. MDCXXII.*

## L. P. MARCO ANTONIO ROMITO J. Conſulto Politiſſimo. Epiſt. XXVII.

STationes deſignatas iter agentibus, militibus, & tabellarijs, in juris veſtri Auctoribus Manſiones appellari, & tu obſervaſti Amice; & alij non pauci. Arcadius enim Chariſius in L. ult. ff. de muneribus, & honor. hęc habet;* hi quoque qui cuſtodes ædium; ut archeotæ, vel logographi, vel tabularij, vel xenoparochi (ut in quibuſdam Civitatibus) vel Limenarchæ, vel curatores ad extruenda vel reficienda ædificia publica, ſive palatia, ſive navalia, vel MANSIONES deſtinantur *&c. Divus etiam Ambroſius in Pſalm. CXVIII. de Milite loquens:* ſi alio ambulaverit itinere, annonam non accipit, MANSIONEM paratam non invenit. *in Itinerario, quod vocant Hieroſolymitanum, a P. Pitoeo J. C. antiquis ęquando, publici iuris facto, Mutationes & MANSIONES paſſim leguntur: & quandoque etiam apud Antoninum. imò & Maroſticę agri veſtri oppido, in veteri marmore in ęde D. Floriani hęc legi audio.*

MARTINA CHARA CONIUX QVAE
VENIT DE GALLIA PER MANSIONES
L. UT COMMEMORARET MEMORI
AM MARITI SUI
BENE QUIESCAS DULCISSIME
MI MARITE

*Ubi raro exemplo mulier, longinquis ex oris proficiſcens, marito defuncto religioſa officia humanitatis & memorię cernitur exhibuiſſe.*

*num*

*num autem hęc fuerit Chriſtiana ego non auſim definire. illa faciunt ut affirmem; veniſſe de Gallia, UT COMMEMORARET MEMORIAM MARITI SUI. celebris enim eſt, & perantiqua apud nos deſignatio Parentaliorum his verbis, COMMEMORATIO OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM; apud Uſuardum in Martyrologio, & in Romano præſertim. Manſio præterea habitationem ſignavit; ut apud Appuleium Lib.* VIII. *Metamorphoſ. notante Helmenorſthio*, hac quoque deteſtabili deſerta manſione. *Et hinc factum eſt, ut inſcriptionem epiſtolarum obſignatarum Manſionem vulgo appellemus, quod indicet ubi quiſque maneat. In ſacris etiam Libris extant hę notiones huius vocis. Numeri Cap.* XXXIII. hæ ſunt Manſiones filiorum Iſrael. *& paulo infra*, iuxta caſtrorum loca, quæ Domini iuſſione mutabant. *en MUTATIONES & MANSIONES, quas in Itinerario Hieroſolymitano ſuperius notavimus. Et hęc videntur fuiſſe ſignata caſtra penes Alcimum Avitum Lib. V.*

Ergo ubi ſignatis ſederunt milia caſtris
Armatuſque pedes vulgus vallavit inerme.

*Quod autem CHRISTUS Dominus Joannis* XIV. *dicat*, in domo Patris mei manſiones multæ ſunt, *id vero ad Conclavia, & Diętas domus referri debere nemo non videt. Tu interim recte vale, cum tuis omnibus. Patavij MDCXXIII.*

## L. P. NICOLAO CRASSO Juniori J. Conſulto Viro Clariſſimo. Epiſt. XXVIII.

*HUmana hominis pars, quæ ab humo nomen ſortita in humum quotidie redit, exercuit ingenia Eruditorum ſæculi noſtri. & quidem ab his multa ſunt dicta, multa enarrata, quæ facem præferunt denſis tenebris antiquitatis. multa vero adhuc reſtare annotanda & illuſtranda noſti ut Vir Clariſſime, qui nobiles Græcię Inſulas, Cretam, Corcyram, Zacynthum, Cephalleniam non dicis cauſa, ut pleriq; omnes faciunt perluſtraſti; ſed gentium mores, inſtituta, legeſ-*

*que, Fiſci Patronus & Patris tui, Regni Cretæ magni Cancellarij, Comes, accuratè obſervaſti, vetuſtique ævi reliquias acri cura eruiſti, concinnaſti, & digeſſiſti; inſtructus magna peritia omnigenę Hiſtorię, & Humaniorum omnium Litterarum. mihi ſanè (ut hoc argumentum a puero uſque, delectu aliquo ſum proſecutus) Juſtini aliquot verba ſcrupulum ſemper iniecerunt, ut doctos viros conſulerem quæ illis eſſet mens, quovemodo caperent non ignobilis Hiſtorici verba. ſcribit enim Lib.* XIX. dum hæc aguntur, legati a Dario Perſarum Rege Carthaginem venerunt, afferentes edictum, quo Pœni humanas hoſtias immolare, & canina veſci prohibebantur, mortuorumque corpora cremare potius, quam terra obruere a Rege iubebantur. *&c. Scio Joannem Kirchmannum Lib.* I. *de funer. Romanor. Cap.* II. *verborum collocationem tranſpoſuiſſe, repoſuiſſeque apud Juſtinum*, mortuorumque corpora terra obruere potius, quam cremare a Rege inbebantur. *verum cum ego abſtineam ab hac metamorphoſi, perpendo tamen Herodoti verba, qui Lib.* III. *narrans Cambyſen iuſſiſſe, ut Amaſidis cadaver cremaretur, adiecit impiè feciſſe. Perſas enim Deum Ignem eſſe arbitrari, ideoque nefas eſſe Deo depaſci cadavere hominis. quamobrem Ignem inquinare arbitrati ſunt illi ipſa morte acerbius, ut inquit neſcioquis apud Suidam in voce αὖθι deque hoc Ignis cultu apud Perſas non eſt quod dubitemus, quando etiam ipſe Cteſias, in excerptis Perſicis, & Clitarchus apud Diogenem Laertium id teſtati ſint. Itaque in eam ſententiam impellor, ut exiſtimem Darium hoc iuſſiſſe in odium Magorum, quos ferè ad internecionem cæciderat. (hunc enim illum eumdem eſſe arbitror), qui etiam Feſtum Magophoniæ inſtituerit, cuius meminerunt Herodotus & Cteſias. Magorum autem inſtitutum fuit Ignis veneratio, uti notat Maximus Tyrius, & e recentioribus Dalechampius apud Athæneum, Sirmondus ad Sidonium, & Otho Heurnius in Indico Cap.* XXVIII. *neque ſanè Perſa non fuit & Cambyſes, qui ut vidimus cadaver Igni obieſcit depaſcendum. Vel etiam (ſi tibi Amice non improbabitur) leni manu emendo Juſtinum, ut videlicet ſcripſerit;* dum hæc aguntur, legati a Dario

rio Perſarum Rege Carthaginem venerunt, afferente ſedictum, quo Pœni humanas hoſtias immolare, & canina veſci prohibebantur, mortorumque corpora cremare, quæ terra obruere a Rege iubebantur. *hic nullam traiectionem verborum vides, imo per commodum ſenſum. At obnuntiantibus omnibus, quotquot ego viderim, Exemplaribus, religio mihi eſt aliquid in Iuſtino mutare. Quo circa vulgatam lectionem ſollicitandam non puto. tum quia Perſæ corpora terra non obruebant, ut fusè explicat ex Agathiæ Lib.* II. *Henrnius loco citato; tum quia Rex, tactus forte odio Magorum, Cambyſis etiam exemplo & alterius cuiuſpiam ut vidimus penes Cteſiam, Pœnis exteris hominibus aliquid voluit indulgere. Hæc ſunt ornatiſſime Craſſe mea Criteria. tu Ariſtarchum agas oro; probeſque vel improbes prout animo tuo ſederit. Vale, & Romito noſtro elegantiſſimo dic a me multam ſalutẽ. Patav. M.DCXXIV.*

## L. P. NICOLAO FABRICIO Peireſchio, Regio Aquis-Sextijs Senatori viro Nobiliſſimo & Eruditiſſimo. Epiſt. XXIX.

S*Omniorum queſtio* magnus ſermonum campus, magna diſputandi materia eſt, *inquit noſtras & veſtras Petrarca, Vir ornatiſſime. fuit hęc area, in qua decertarunt ſummorum virorum Ingenia, imo potius pelagus, ubi Natura, Doctrina & Superſtitio diductis ac diſtentis velis decurrerunt. Eventorum autem inſignium & prędicatorum veluti ſine numero pene eſt numerus, ita inſignem hanc, cui deſcribendę calamum aptavi, Epiſtolam, Viri ſuo ęvo magni, apponere viſum eſt, editam quidem alias, ſed deſcriptam etiam nobis ex Codice manuſcripto in membranis qui fuit portio Bibliothecę Pinellianę, quam tu & ego florentem olim vidimus, & magnas pleraſque provocantem copia & raritate Librorum.*

*MARSILIUS FICINUS FLORENTINUS BERNARDO BEMBO DOCTORI ET EQUITI, VENETORUM ORATORI CLARISSIMO S. D.*

Salve ſemper amice cœleſtis atque divine. ceteros quidem amicos partim mihi ſors quædam obtulit, partem propria dedit electio. Bernardum vero Bembum mecum ab initio coniunxit cœlum. divina deinde Providentia mirabiliter confirmavit. cœlum inquam, propterea quod eodem anno, eademque die, ſub eodem ſidere nati ſumus. divinam præterea Providentiam nos invicem devinxiſſe ex eo potiſſimum aſſero, quod eo anno, quo primum Orator Florentiam acceſſiſti, quarto fere ante acceſſum menſe, mihi graviter ægrotanti, ſtatim poſt votum quoddam pro ſalute Deo divæque Mariæ ſuppliciter inſtitutum, viſus es, certè tum primum nobis notus in ſomnis, antè prorſus incognitus, vitam proſperamque valitudinem polliceri. expergefactus penè ſanus brevi prorſus convalui. Quinto poſt menſe, qua die voto penitus ſatiſfeci, eademque hora, noſtrum ſponte primum adiſti Gymnaſium, magna comitante caterva. atque ea forma, qua in ſomnis olim prævideram divinitus ſalutaſti. multaque inter nos dicta tunc, factaque ſunt eodem prorſus pacto, quo Somnians videram. eodem anno tamquam religioſis votis vitę redditus Librum hunc de Chriſtiana religione compoſui. ergo lege feliciter amice cœleſtis atque divine; quem certe nobiſcum cœlum ipſum ligavit ab initio, deinde cœlo excelſior religio religavit. Marſilius tuus hæc manu propria, idibus Iulij MCCCC. LXXIX. in agro Caregio. *hactenus ille, vir doctrina & pietate conſpicuus, cuius ea germana laus eſt, in eius Libris nihil inveniri, niſi quod ſumma cum virtute ſit excultum, & magna cum ſanctitate coniunctum ut in eodem manuſcripto Codice teſtabatur Autographum hoc*; Marſilius Ficinus Florentinus Lectori in ſola pietate S. D. Lege pia mente Lector noſtrum hoc de pia fide volumen.

.; abſq;
ıus tibi
ıumani
ıa, ſed

•

*JESU*
*ione* II.
*iam non*
ıere vel
.ac peſte
vita cœ-
*pro mu-*
*naiorum*
*. Pata-*

O N O

*reus pla-*
*o loci ba-*

*iat eo ſuc-*
*ernio Ca-*
*a tantum*
*oſtram.*
*& Græcas*
*inarum,*
*erluſtra-*
*ſti.*

☞L. Helio Cæſare Imp. P. Cœlio & Albino VIBVLLIO PIO CO
VII. Idus OCTOBRES
Cn. Domitius Valens II. vir ID. praEEVNTEC. IVLIO SEVERO PONTIF.
Legem dixit in ea Verba quæ infra SCRIPTA SVNT

Iuppiter optime maxime quandoque tibi hoDIE HANC ARAMDABO DEDICABOQVE OLLIS LEGIB.
Olliſque regionibus dabo dedicaboque quas hic hoDIE PALAM DIXERO VTI INFIMVM SOLVM HVIVS ARAE ES
Si quis hic hoſtia ſacrum faxit quod magmentum neC PROTOLLAT ITCIRCO TAMEN PROBE FACTVM ESTO CETER
Leges huic arae eaedem ſunto quae arae Dianae ſunt iNAVENTINO MONTE DICTAE HISCE LEGIBVS HISCE REGIONI
Sicuti dixi hanc tibi aram Iuppiter optime maxime DICO DEDICOQVE VTI SIS VOLENS PROPITIVS MIHI COLLEGISQ
Meis decurionibus colonis incolis coloniae martiae iVLIAE SALONAE CONIVGIBVS LIBERISQVE NOSTRI

*Huiuſce Inſcriptionis pars, quam Charactere minuto exprimi iuſſimus nouitia eſt. Antiquam Littera quadrata Romana ſignandam curauimus, eo conſilio ut unus quiſque unico intuitu ſecernat antiquum a recente.*

Epiſt. XXX. Pag. 61.

lumen. ſi quid in eo laude dignum reperis Deum lauda; abſq; cuius munere nihil eſt revera laudandum. ſi quid minus tibi forte placuerit, noli rerum altudinem divinarum ex humani ingenij humilitate metiri. non enim ab humanis divina, ſed a divinis humana dependent.

Manu propria.

*Quo magis Miror Leonardum Leſſium inſignem Societatis IESU Theologum Lib.* II. *de Iuſtitia, & Iure, cap.* XLIV. *Dubitatione* II. *num.* VI. *in fine, pronunciaſſe hęc verba, in quibus modeſtiam non nemo deſideret;* hinc ferè omnes Platonici vel Magi fuere vel Magiæ favere. ideo ut etiam Marſilius Ficinus ab hac peſte non fuerit omnino immunis, ut patet ex Lib. III. de vita cœlitus comparanda. *Hui! Magus Ficinus. Tu eſto arbiter pro munere, quo fungeris ſumma cum laude vir illuſtriſsime, qui maiorum doctorumque memorias perinde ac rem ſacram veneraris. Patavij. MDCXXV.*

## L. P. ALBERTINO BARISONO Abbati Viro Reverendiſſimo. Epiſt. xxx.

*EGo vero Te Vir Reverendiſſime niſi amem & colam ferreus planè, & ſaxeus ſim. cum Tu Patriam, & res patrias eo loci habeas, ubi res haberi par eſt dignas cultu, & veneratione.*

O duo præterea tales Patavina tuliſſet
Terra viros!

*Et ſanè mirum eſt, cum amor Patrię unumquemque alliciat eo ſucceſſu, ut Ulyſſes aſperrimos Ithacę ſcopulos præferat contubernio Calypſus, inveniri tamen homines adeo bardos, quibus aliena tantum ſapiant, vileſcant ſua. At te Cive ter beatam Patriam noſtram, qui res exteras & noſtrates apprimè noris, qui Romanas, & Græcas antiquitates coniunxeris cum exacta notitia rerum Patavinarum, quas totas a carceribus ad metas non ſemel, neque curſim perluſtra-*

*ſti.*

*ſti. Et ſanè habet Urbs noſtra magni conditoris & rerum geſtarum gloria inclyta, non parva etiam nunc ornamenta, quæ hominem excultum politioribus Litteris queant cum fructu, & cum delectatione exercere. exemplo mihi ſit vetus Inſcriptio Rhamnuſiana, quæ proſtat in pariete fornicis prope Pontem quem appellant D. Benedicti. illius antiquum ſegmentum. quod eſt aſpectantibus ad dextram, ſuppletum eſt nova recentioris lapidis adiectione, ſi Aldo Manutio credimus, ex fide vetuſti Codicis. At illam religiosè, ut æquum fuerat, neque illi exſcripſerunt qui res noſtras attigerunt, neque exteri quantumvis docti, & eruditi. Manutius ipſe bis peccavit, tum quia non pauca immutavit, tum quia rationes Ortographiæ ſuæ comprobare anniſus eſt auctoritate ſegmenti recentioris. Smetius & Gruterus, decepti ab aliquo, qui exceperat oſcitanter, deceperunt & ipſi alios, quibus hæc luſtrare vel non contigit, vel non placuit. Andreas etiam Schottus V. Cl. qui omnem antiquitatem callet, eamque lotis manibus contrectare amat, Obſervationes ſuas, quas Humanas vocavit, hoc vetere monumento exornatas voluit, Lib.* V. *Cap.* XI. *parum tamen & ipſe felix in exſcribendo. Deſcribam igitur ego nobiliſſimum hoc cimelium, bona vtique fide. & accedam animo illuſtrandi, non carpendi conſilio laudatam illorum induſtriam, qui opes noſtras vel eruerunt, vel indicarunt. & ſanè turpè eſt, hæc notiora advenis eſſe, quam incolis, neſcio quo malo Italiæ noſtræ fato plaudente, & bona quæque ingenia in Barbariei barathrum ſecum rapiante. Verum obnitamur qua licet: ſitque nobis, ut fortes viros decet, fatum in dextra. Oſtendam autem primum quid peccatum ſit in ſupplemento. deinde notabo quid peccaverint deſcriptores. tum autem connitar explicare quidquid erit operæ precium. In ſegmento recentiore qui AELIUS ſemper fuit, perperam HELIUS factus eſt; & titulo IMPERATORIS numquam uſus, Imperator evaſit. addamus P. Gœlium & Balbinum ineptè diſiungi. & quid, ſi ſcribendum fuerat OPTUME, MAXSUME, & FAXSIT? & hæc quoad ſupplementum. Marmoris quod vetus erat deſcripſerunt Smetius, Aldus, Gruterus, Schottus. mendosè omnes.* Aldus *pro VIBULLIO ſubſtituit nobis*

*VIR-*

*VIRBULIUM. pro HANC ARAM UTI; CETER; LEGIBUS; ſuppoſuit ARAM; UT; CE..RA; LEGIB. Smetius & Gruterus haud multo melius in eodem argumento verſati ſunt. Schottus ipſe, alienam fidem ſecutus ut videtur, quod erat in marmore TIO CO fecit PROCOSS. quod erat EEUNTE, ſupplevit PRÆTEREUNTE, & alia ad eundem modum. Nos primi bona fide repreſentamus. Præire autem eſt dictare verba ſolemnia, quod Pontificum erat, ut patet ex Livio noſtro. Lib.* VIII. *&* X. *& Plin. Lib.* XXIIX. *Cap.* II. *Magmentum; cuius meminere Arnobius Lib.* VII. *adu. Gent. Varro L.* IV. *de L. L. & Feſtus (non MAGNENTUM ut viſum eſt doctiſſimo Turnebo Lib.* XXII. *adu. Cap.* VI.*) eſt* quoddam pinguiſſimum extum, *inquit Ioannes Genuenſis*, vel ſecundum proſectum. Cornutus, quidquid mactatur, vel quidquid diſtrahitur dicitur Magmentum. ita narrat Hug. Papias etiam dicit, Magmentum alij pinguiſſimum inteſtinum, alii ſecunda proſecta. Cornutus vero quidquid mactatur vel diſtrahitur. *Proſiciarum autem extat mentio apud Arnobium. Feſtus* Proſicium quod proſecatum proijcitur. *Eodem ferè ſenſu eruditiſſimus Sigonius, Lib.* II. *de antiquo Iure Provinciarum*, quæ vero exta valda aucta erant, ea Magmenta dicta eſſe arbitror. cuius ut ſacrificalis vocis mentio eſt apud Varronem, Feſtum, & Arnobium Libro adverſus Gentes VII. & veteri Aræ inſcriptione, quæ Narbone & Patavij legitur, in qua eſt, SI QVIS HIC HOSTIA SACRVM FAXIT QVOD MAGMENTVM NEC PROTOLLAT ID CIRCO TAMEN PROBE FACTVM ESTO, vovet, enim aram ille, cum ea conditione, ut etiam ſi ſacrificium Magmentum, id eſt exta aucta non oſtendat, nihil tamen triſte portendat. unde Magmentaria vaſa eſſe quidam putarunt, in quibus ipſa magmenta reponerentur. *impegit tamen & Sigonius ad hunc lapidem, cum veterem Inſcriptionem appellarit, quæ pro dimidia tantum vetus erat. Leges quæ dicuntur & Regiones ſunt Haruſpicum ſolemnia effata. quo ſpectat inſignis locus M. Varronis Lib.* VI. *de L.L. in princip. ferè Libri.*

*& hiſce*

*& hiſce Regionibus aptabant præſides Deos, uti prolixè videt Arnobius. Lib.* IV. *UTI SIS VOLENS PROPITIUS. Cato de R. R. Tit.* CXXXIV. Jane Pater te hac ſtrue commovenda bonas preces precor, uti ſies volens propitius mihi liberiſque meis domo, familiæque meæ, *neq, ſanè aliter Livius. Lib.* XXIX. eæ per manus ſuccedentes aliæ alijs, omni effuſa civitate obviam, thuribulis ante ianuas poſitis, qua præferebatur, atque accenſo thure, precantibus ut volens propitiaque urbem Romam iniret. *Cœlium Balbinum quem diximus monſtravit nobis antiquus lapis apud Onufr. Panvinum. Ciu. Romana.*

P. COELIO P. F.
SER. BALBINO
VIBVLLIO PIO
X VIRO STLITIB. IUDIC

*&c.*

*Et alter apud Gruterum*, MIX. *6. in quo legitur*

L. AELIO. CAESARE II
P. COELIO BALBINO COS

*ex quo Fulvius Urſinus in gente Poſtumia reſtituebat in noſtra Inſcriptione*

L. AELIO CAESARE II

*illud enim IMP. ut diximus abſonum omnino eſt, Hæc abs te non improbari Vir Reverendiſſime votorum meorum ſumma eſt. ex Bibliotheca noſtra.* XII. *Kal. Mart. MDCXXVI.*

## I. P. JOANNI HIERONYMO BRONZERIO Philoſopho, & Medico, Viro Excellentiſſimo. Epiſt. XXXI.

P*Erſianum illud*

— o mores? uſque adeone
Scire tuum nihil eſt: niſi te ſcire hoc ſciat alter?

*uti omnes interpretentur & ego novi, & tu noſti Amice. Dabis tamen veniam, ſi ego derivavero ad rem non utique improbandam inſidijs no-*

*noſtris, Litterarum videlicet Humaniorum. ſcire meum nihil eſt; niſi me ſcire hoc ſciat alter, alter videlicet, qui Cenſorem agat, qui probet, qui improbet; qui rectè dicta Chriſimo excipiat, qui perperam enunciata Obelo confodiat. Nava tu mihi quæſo hanc operam hodie. & vide an Auctoribus aliquot feliciter medicinam fecerim. Marcellus veſter Vir Inluſtris, ex Magiſtro Officiorum Theodoſij Aug. in carmine de Medicina hæc habet*

Quodque ab Idumæis vectum Seplaſia vendunt,
Et quidquid confert Medicis Lalagæa Cataplus.

*Quæ Cataplus eſſet hæc Lalagæa ego diu hæſitavi, cum præſertim eruditiſſimi viri, Jacobus Sirmondus in Notis ad Sidonium, & Gaſpar Barthius Lib. I. Aduer. Cap. VI. legant diſertè,*

E quidquid confert Medicis Lalagæa Cataplus.

*quibus & adijcias Martinum Smetium in Proſodia, verbo Cataplus, qui tamen non Martiali, ut facit, ſed Marcello, vel Vindiciano ut Barthio placet, hunc verſum aſcribere debuit. At omnem mihi hæſitationem exemit mos probè cognitus veterum Librariorum, qui ſyllabas geminare conſueverunt ubi non erat opus, & non geminare ubi debuerant. lego igitur hic*

Et quidquid confert Medicis Lagæa Cataplus.

*& erit Cataplus Alexandrina, de qua Caſaubonus ad Svetonium. Lagæa a Lago Ptolomei patre, Lucanus Lib. II. Nilum Lagæum appellat*

Qua mare Lagæi mutatur gurgite Nili.

*& Lib. X.*

— regnum agi Romana ſub arma
Iret —

*& eodem libro de ſe Cleopatra*

— Farij proles clariſſima Lagi
Exul in æternum —

*& in fine libri* proles Lagæa, & Regia Lagi. *Silius etiam Italicus Lucanum imitatus, lib. I. cecinit,*

Terminus huic roſeos amnis Lagæus ad ortus,

Septeno impellens tumefactum gurgite pontum.

*Martialis lib.* IIX.

Hoſpita Lagæi littoris umbra iaces.

*Juvenalis Sat.* VI. *v.* 83.

Nupta Senatori comitata eſt Hippia Ludium
Ad Pharon, & Nilum, famoſaque mœnia Lagi
Prodigia & mores urbis damnante Canopo.

*A Marcello tranſeamus ad Marcianum Capellam. hic lib.* IV. *in princ. Dialecticem producit ad conſeſſum Deorum, atque fuiſſe illi* geſtamen in manibus inopinum, ac prorſus Gymnaſijs omnibus ineſpertum. in læva quippe Serpens gyris immanibus involutus. *& infra*. nimirum inquit Bromius, qui facetior eſt Deorum, eamque penitus neſciebat, hæc aut (*non autem*) ex harenis Lybiæ anhelantis adducitur. quod & capillitium implexum docet, & amicitia venenorum, aut fidendum forma copulam eſſe Marſicæ nationis. *quis non hæreat continuo illis duobus verbis*, forma copulam? *ego aio legendum eſſe* pharmacopolem eſſe Marſicæ nationis. *nimirum Marſi apud univerſam antiquitatem famam ſibi compararunt in tractandis Serpentibus. alluſit Bromius ad Pharmacopolas circunforaneos, qui etiam hodie anguino contubernio inſtruunt pompam ſcenæ ſuæ. prætereo Hugonem Grotium hic, Hieronymum Columnam ad Ennij fragmenta, & Umbronem Virgilij*, VII: *Æneid.*

Vipereo generi, & graviter ſpirantibus Hydris
Spargere qui ſomnos cantuque manuque ſolebat.

*ubi Servius præclarè. eſt vero permirum, quod ſcribit Euſtathius enarrator Dionyſij, ſcribere quendam, Romæ Viperas Marſos vocari. at feſellit Euſtathium & illum neſcioquem originatio vocis & idiotiſmus. non enim Romę Viperas Marſos, ſed Maraſſos appellabant, uti etiam nos hodie appellamus & Matheolus ipſe ad Dioſcoridem lib.* II. *cap.* XVI. *teſtatur Marſos, qui ſe apud popellum iactant veluti gentiles Divi Pauli, quem Vipera in Melita inſula non leſit, Actor. cap.* XXV. *Viperas Maraſſos vocare. At quid prohibet una & eadem*

*opera*

*opera etiam Prudentio ferre opem? is in Præfatione libri prioris contra Symmachum, luculenter uti ſolet explicat appulſum D. Pauli ad inſulam, quam diximus, excitatum ignem, Viperæ morſum, & adclamationem inſulanorum. mox allegoricè Hiſtoriam transferens ad relationem Symmachi, hæc habet*

Seps inſueta ſubit ſerpere flexibus,
Et vibrare sagax eloquij caput.

*Impreſſi hucuſque habuerunt quos ego quidem viderim.*

Spes inſueta ſubit —

*Seps emendabat & rectè Latinus Latinius Viterbienſis eruditiſſimus Vir, ut me Romæ docuit Jacobus Sirmondus. eſt autem Seps quidam exiguus ſerpens, qui non ſolum corpus, verum etiam oſſa veneno conſumit, ut inquit Joannes Genuenſis. qui citat Lucanum in* IX.

Oſſaque diſſolvens cum corpore tabificus ſeps

*vocat autem Prudentius Viperam pro cōpia Poetica Aſpidem, Hydrum, & Sepem. Cæcilia & ipſa eſt de genere Serpentum. ut patet ex Columella lib.* VI. *cap.* XVII. *quam tamen Librarij apud Vegetium lib.* III. *Mulomed. qui Columellam penè totum exſcripſit, in Celiciam mutarant. e diverticulo revertamur in ſemitam, & Marcianum reviſamus, apud quem eodem loco Bromius ita argutatur,* Quod ni eſt, ex illius hami fraude colligitur, quod circulatrix pellaciſſima, & Metarum Marſicarum incola comprobat. *haſce Metas Marſicas ego non probo: & repono Metas Murtias, famoſas illas preconio Mercurij apud Apuleium lib.* VI. *& dictis Servij, Æn.* VIII. *ad illa*

Conſeſſu Caveæ, magnis Circenſibus actis.

*Et has quidem Metas in ſuo Circo maximo Pyrrhus Ligorius, adiuncta Ædicula Murtiæ, propè carceres locavit. in Circo autem ad Metas proſtabant impoſtores, & circulatores. Ennius ipſe commemoravit*

— de Circo Aſtrologos

*Juvenalis Sat.* VI.

Si mediocris erit; ſpatium luſtrabit utrinque

I 2 Meta-

Metarum, & ſortes ducet —

*& infra*

Plebeium in Circo poſitum eſt & in Aggere fatum

*ad quę carmina ne pigeat videre antiquum Scholiaſten, qui meminit Circi, Circulatorum, & Spinę Circi. legemus igitur:* & Metarum Murtiarum incola comprobat. *Hiſce omnibus quę dixi ſi Tu amice calculum candidum adieceris, erit ut gaudeam impendiſſe me horulas aliquot non malis Auctoribus emaculandis. Vale. domi meæ.* III. *Kal. Mart. MDCXXVI.*

## L. P. FELICI OSIO
Humaniorum litterar. Primario Publico Profeſſori.
Epiſt. XXXII.

*QUod te Vir Cl. hac mea Epiſtola compellem ea cauſa eſt, ut tu qui helluo Librorum es, videas an ego ab irriſione vindicem ſubſannatorum, Dedicationes quas vocamus Eccleſiarum noſtrarum. Jam primum certum eſt, antiquos veræ Religionis exſortes dedicaſſe & ipſos Templa ſua. & notat latè Briſſonius Lib.* I. *Formularum. qui etiam meminit verbi ſollemnis DEDICO, & DEDICABO; ut rectè habet Dedicatio Aræ, Salona Patavium translatæ, quæ in pariete affixa viſitur, propè Pontem D. Benedicti. neque aliud ſibi voluit Horatius Carminum Lib.* I. *Ode* XXXI.

Quid dedicatum poſcit Apollinem
Vates —

*& Arnobius Lib. 6. aduerſus Gentes.* ſed erras (inquitis) & laberis; nam neque nos æra, neque auri argentique materias, neque alias quibus ſigna conſiunt, eas eſſe per ſe Deos, & religioſa decernimus numina: ſed eos in his colimus, eoſque veneramur quos DEDICATIO inſert ſacra & fabrilibus facit inhabitare ſimulacris *& infra.* quinimmo iure DEDICATIONIS impulſos ſimulacrorum coaleſcere iunctioni. *Neque ſolum templa, & Simulacra dedicabant illi, ſed & Urbes, Thermas,*

*Balie-*

*Balineave, & reliqua publica opera. Idatius Epiſcopus in Faſtis,* His conſulibus dedicata eſt Conſtantinopolis die v. Idus Majas. *quo die Menologium habet* ΤΑ ΓΕΝΕΘΛΙΑ ΤΗΣ ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΥ ΠΟΛΕΩΣ. *quibus concinit Genebrardus. Dedicatio igitur Conſtantinopolis erit dies natalitius eiuſdem, quo forſan die cudebantur Nummi ærei minuti cum eius Urbis imagine, veluti & Romæ: qui & nunc copioſiſſimi eruuntur. & rem ipſam fusè admodum narrat Zonaras. Annalium Tomo tertio in principio. Ex quo dicimus non primum iactum lapidis fuiſſe Dedicationem, ſed perfectionem operis ad faſtigium conſummati. & hunc pertinent Natales Urbium, qui leguntur non infrequentes. de Thermis idem Idatius.* His Conſulibus Thermæ Caroſianæ dedicatæ ſunt. *de Balineo vetus Inſcriptio Novarienſis a Paulo Gallerato edita BALINEVM QUOD VI CONSVMPTVM FVERAT &c. PECVNIA SVA RESTITUIT ET DEDICAVIT. de Statuis clarorum virorum Svetonius, Auguſto Cap.* XXXI. itaque & opera cuiuſque manentibus titulis, reſtituit: & ſtatuas omnium triumphali effigie, in utraque Fori ſui porticu dedicavit. *Arcus & Fornices triumphales inſcribuntur & ipſi paſſim DICATI vel CONSECRATI. & hæc apud Ethnicos, qui multa communia habebant cum Chriſtianis, ut animadvertit doctiſſimus Annalium Eccleſiaſticorum Scriptor, To.* I. *Anno* XLV. *pag.* 327. *editionis Romanæ: & a quibus multa ad Chriſtianam pietatem tranſlata ſunt, ut idem, Baronius aſſerit eiuſdem Tomi pag.* 520. *veluti etiam ipſa Templa, quæ erant pravæ Religionis officinæ, & impietatis asyla, in Baſilicas quandoque tranſierunt. Magnus Felix Ennodius (quem Innodium appellat Arnulphus Epiſcopus Lexovienſis) Dictióne* II. credo ego vos, fratres cariſſimi tota mentis cura venerari, quod in loco hoc, manente Templi nomine, vetus perierit pro religione cultura: quod Delubri reverentia fugatis inſtituatur libaminibus, quod ſacrarium appellatur merito, poſtquam ſeniores hoſtias abiuravit, & in adolendi mutatione ſacrificij, diuinæ Ædis nomen aſſumpſerit. *Apud Hebræos Dedicatio antiquiſſimi fuit inſtituti,*

*ut*

*ut tradunt Uvalafridus Strabo, de Rebus Eccleſiaſtic. Cap.* IX. *&* *Rabanus Maurus, Lib.* II. *Inſtitutionis clericor. Cap.* XLV. *nec non & Sigonius Lib.* III. *de Rep. Hebræor. Cap.* XVI. *a quibus hauſiſſe noſtros memini, arbitror, dubium erit. ad noſtras autem quod attinet, qui ad ſacietatem volet haurire, is adeat doctiſſimum Joannem Stephanum Durantũ, de ritibus Eccleſiæ Catholicę Lib.* I. *Cap.* XXIV. *quibus adijci poſſunt Idatij eiuſdem verba itidem in Faſtis,* His Cõſulibus dedicatum eſt Conſtantinopoli Dominicum die XV. Kal. Martias. *Dominicum autem ſacra ædes eſt, ut ante Baronium in Martyrologij notis, explicat vetus Itinerarium Hieroſolymitanũ, cuius hæc ſunt;* ibidem modo iuſſu Conſtantini Imperatoris Baſilica facta eſt, id eſt Dominicum miræ pulcritudinis. *Pompa ipſa Dedicationis Chriſtianæ luculẽnta extat apud Venantium Fortunatum Lib.* III. 4.

Convocat egregios ſacra ad ſolemnia Patres
*&*
Hinc te Pontifices circundant, inde miniſtri;
Cingit te totum, hinc honor inde favor.
Clerus & ecce choris roſonat, plebs inde choraulis
Quiſque tuum votum qua valet arte canit.

*&c. ut non ab re dixerit Alcuinus Flaccus Caroli magni præceptor, Commentario Lib.* V. *in Evangelium Sancti Joannis, Dedicationem Templi ad tempus uſque Dominicæ Incarnationis obſervatam fuiſſe,* quæ etiam ſalubri conſuetudine in Eccleſijs Chriſti ſervari moderno tempore dinoſcitur. *neque vero Alcuinus barbarè uſurpavit Eccleſias Templorum, aut Baſilicarum loco; Salvianus enim Maſſilienſis non ſemel uſurpavit. Illud etiam diſquiſitionem tuam meretur, quare Vitruvius Lib.* II. *Cap.* VIII. *dicat nefas eſſe dedicata removeri, cum removerit Plinius Lib.* X. *Ep.* LIIX. *&* LIX. *& id ex reſcripto Imperatoris Traiani. & an Dedicatio novitatẽ, indicaverit, veluti apud Hygenum, de Limitibus conſtituendis legitur,* ab agrorum nova dedicatione culturæ *colonias dictas eſſe; & apud Ennodium Dedicatio Auditorij; & Calices dedicati in Epiſto-*

la

*la Hadriani Auguſti, apud Fl Vopiſcum in Saturnino. Inſolens præterea huius verbi notio me ſollicitat, qua utuntur Appuleius Lib.* III. *de habitudine Doctrinæ. Platonis, & Goffridus Abbas Vindocinenſis Lib.* III. *Epiſt.* XXVII. *ille enim Qualitates Dedicativas & Dedicare pro Affirmativis, & Affirmare; hic Dedicare pro commendare & confirmare uſurpant. Hæc ideo ad te V. Clar. pluribus fortè quam ferat modulus Epiſtolæ familiaris; non quidem ut doceam, ſed ut docear abs te, cui intermina Lectio patefecit intima omnifariæ Eruditionis. Domi. MDCXXVI.*

## L. P. JOANNI THVILIO
Humanior. Litterar. Publico Primario Profeſſori.
Epiſt. XXXIII.

N*On omnino inſcitè Hirundines olim Cycnos arguebant, propterea quod canendi artem nollent in publicum proferre, ſed pratis ſolum, fluminibus, & Zephyro canerent. occultæ muſicæ vetus eſt dictum nullum eſſe alicubi commodum V. Cl. cuius ego præcepti memor ſi quid in arculis meis pluteiſque latet, id omne conſilium eſt tranſcribere publico bono, ut docti homines quos Editionis fortuna deſtituit volitent aliquando per ora virum, & poſtuma hac fama perfruantur merito iure. utinam vero quod ego tenuitati meæ impero, id exequantur alij copioſi & locupletes, qui Bibliothecas (niſi Bibliotaphia malimus appellare) refertiſſimas habent ineditis bonorum Auctorum fœtibus, eo conſilio, ut in compedibus habeant immortalia monumenta Ingeniorum, donec illa ignis fortuitus redigat in favillas, vel vis maior hoſtilitatis alio avertat. Hiſce nos precemur bonam mentem. tu interim hæc habe in fercula primæ eius Menſæ, quam tu Muſarum Triclinio præfectus ſtrenuè apparas accolis Parnaſſi. Tranquillus Molloſſus vixit avorum noſtrorum memoria. Cremonenſem facit Gyraldus. ego Caſalenſem arbitror, uti etiam ad me ſcripſit olim Vir Nobilis Petrus Antonius Tollentinus Canonicus Cremonenſis, qui recentem Hiſtoriam ſi quis alius amavit, & in pre-*

*cio*

*cio habuit. illius apud me ſunt Epigrammata, Odæ, Elegiæ, in edita omnia. excerpſi autem hæc in gratiam tui.*

## De Nave Farneſij.

Si meruit cœlum quæ vexit Jaſona puppis
Auſa per ignotas currere prima vias,
Qua vehitur Divum ſuperæque Vicarius Aulæ,
Nobilis & toto maximus orbe Leo,
Hæc una ante alias, tanto vectore beata.
Quo tandem fuerit digna carina loco?

*videtur autem hæc navis vectaſſe Leonem in Lacu Vulſinienſi, in quo tractu ut aſſerit Paulus Jovius Lib. IV. Vitę Leonis X. Alexander Farneſius Cardinalis Pontificem excipere ſolitus, frequentes villas atque prætoria ingenti ac erudito ſumptu paſſim exædificarat. neque alia de cauſa videtur ceciniſſe quæ proximè ſubnotamus*

## In Adventu Leonis Pont. Max.

Hunc quicumque vides factum de frondibus Arcum
Forſitan ignoras ſerta quid iſta velint.
Frondibus ornantur magnorum Templa Deorum,
Dum celebrat lætos Martia Roma dies.
Fronde renidet Hymen, gaudet Victoria fronde;
Lætitiæ ſemper convenit illa novæ.
Cura Deum manifeſta Leo quo præſide rerum
Felicem terris credimus eſſe Jovem:
Viſit Alexandri Farneſia tecta, decetque
Tam feſtum læta fronde virere locum.

*item*

## Ad Leonem Pont. Max.

Cum placidam veris faciem novus extulit annus
Floribus & læto gramine ridet ager.

Læta

Læta quod eſſe vides frondentibus atria ramis;
Tota domus vernat te veniente Leo.

*Illa certè locum & occaſionem deſignant.*

## De Lacu Vulſino.

Ocia cum Nymphis vitreo Vulſinus in antro
Dum capit, & lætos ſpectat agitque choros,
Pulſari liquidas feſtis clamoribus undas
Senſit, & ex imo ſuſtulit ora lacu.
Utque ſuas vidit certamina tanta per undas,
Et volitare citas per vada ſumma rates.
Imperio maris inſani ſibi gaudeat inquit
Perpetuiſque regat turbida regna Notis
Neptunus, cui Scylla rapax, cui ſæva Charybdis
Naufragijs miſeras terreat uſque rates.
Per mea vel parvis innoxia regna carinis
Ludere dum proceres, Pontificeſque iuvet.

*quæ ſanè carmina feſtiva, arguta, & concinna mihi viuentur, & indigna Lilij Gyraldi Critica nota: cum Lib.* I. *de poetis noſtrorum temporum pronunciavit, Tranquillo Moloſſo Cremonenſi nondum planè apertam eſſe viam; pleno tamen gradu ad illam contendere: niſi quid euntem impediat.*

*Hæc quę ſubdo gravia ſanè ſunt, non ſine aculeo.*

### Epit. Hadriani Pont. Max.

Quod bonus & recti cuſtos, quod pacis amator,
Correctorque Aulæ luxuriantis eras,
Scilicet hac una ex cauſa vir ſancte periſti,
Vixiſſes annos Neſtoris improbior.

### Aliud.

Longior in terris ætas tibi ſancte fuiſſet
Præſul ad innumeras prodita Olympiadas,

Si male vixiſſes . brevius tibi contigit ævum ,
Exemplum raræ quod probitatis eras .

*Diſtichon hoc , & ipſum cum antiquitate paria facit*

## De Luſco .

Luſcus habet nummos; habeat, dum, quod facit, idem
In medio ſitiat Tantalus Eridano .

*Ex hiſce paucis tu poteris coniectare quanti precij ſint reliqua . illa ſanè Typographum opperiuntur quempiam, & illum quidem amantem publicę rei , non geſtientem loculos implere . quos tamen ex hujuſmodi merce nemo feret inanes Eiuſdem generis ſunt apud me non pauca , velut Publij Auguſti Gratiani Odarum Liber unicus ; Bartholomæi Fuſci Leonici carmina ; Hieronymi Vallenſis Patavini carmina ; Andreæ Navagerij aliqua , omnia typis deſtinata . tu vale ; & Muſas cole . Domi . MDCXXVI.*

## L. P. CHRISTOPHORO FORSTNERO Univerſæ Hiſtoriæ Conſultiſſimo . Epiſt. XXXIV.

*QUod de loco Taciti , Vir doctiſſime & nobiliſſime, Lib.* XI. *Annalium aurem vellis , id vero gratiſſimum eſt . non quod ego is ſim , cuius Tu cenſuram expetere magnoperè debeas , ſed quia pateat hinc mihi campus , in quo & tibi obſequar , & ea perdiſcam, de quibus vos magni in re Litteraria Anteſignani meritò dubitatis. locus eſt de cenſu Claudiano . in quo Tacitus tradit cenſa fuiſſe Civium* LXIX. *centena , &* XLIV. *millia . immanem numerum inquis. & ſanè videtur. Verum I. Lipſius in Commentario ad Tacitum non dubitat , confirmatque ratione & calculo Caſſiodori, qui ( ut ipſe ait ) exprimit ſexaginta novem centena millia . imo & lib.* I. *de magnitud. Rom. Cap.* VII. *tuetur hunc numerum , & lib.* I, *Elector. cap.* XXVII. *utrobique advocans in teſtem lapidem, Ancyranum , qui continet Breviarium rerum ab Auguſto geſtarum, ut noſti . Lipſio ſunt qui adſtipulentur , veluti Hadrianus Politus , qui Tacitum*

Ita-

*Italicè vertit, & alij: At undè hauſerit Lipſius, quem adfert calculum, Caſſiodori, ego ſanè non video. eſt apud me triplex Caſſiodori, Chronici editio. Prima Baſilienſis, edente Ioanne Cochleo, anni MDXXIIX. ſecunda Panviniana, Veneta, anni MDLIIX. tertia Aurelienſis, Broſſei, anni MDCXXII. hæ ſingulæ conſtanter habent,* inventa ſunt Civium Romanorum centena millia & XLIV. *alias XLIII. Panvinius tamen voluit quidpiam deeſſe in his verbis, ut inter-punctione teſtatus eſt:* & inventa ſunt Civium Romanorum... centena millia, *& XLIV. A libris ſanè manuſcriptis nihil iuvamur; cum Vaticanus, & Medicæus inter ſe pugnent. ab alijs Hiſtoricis nihil opis ſuggeritur nobis Lapis ille verè Lapis Mazochij f. 24. TEMPORIBUS CLAUDIJ TIBERIJ FACTA HOMINUM ARMIGERUM OSTENTATIONE IN ROMA SEPTIES DECIES CENTENA MILLIA LXXXVII. & ideo Lipſio merito ſuſpectus; mihi ſanè videtur adulterinus, & plumbei neſcio cuius hominis purum putum commentum. illa enim FACTA OSTENTATIONE IN ROMA. mera Italica ſunt,* fatta la moſtra in Roma. *Inſcriptio Ancyrana deſcripta nobis ab Augerio Busbequio, & primum evulgata ab A. Schotto, tum a Lipſio, Caſaubono, Grutero, Rutgerſio certatim edita, habet conſtanter ſub Auguſto, Cap. 11. & quidem non ſemel CIVIUM ROMANORUM CENSITA SUNT CAPITA QUADRAGIENS CENTUM MILLIA. At cenſus ille Claudianus proculdubio, maior fuit. ita ſanè. In hoc tumultu ſententiarum diſſidere proclivius mihi eſt, quam deliberare cui me parti addicam. Gordius hic nodus alium Alexandrum opperitur, cui ſuppetat iuventa fervidior, & recentior a ſtudijs animus. Tu ille es Vir Clariſſime, cui hæc adorea debetur. Vale, interim & me ama. Domi. XV. Kal. Sep. MDCXXVI.*

## L. P. JOANNI HIERONYMO BRONZERIO Philoſopho, & Medico, Viro Excellentiſſimo. Epiſt. xxxv.

*NÆ tu Lucianum, amice, ſi non ſuperaſti, at exæquaſti in feſtivo & jocoſo Ipernefelo tuo. bone Deus! quantum Salis,*

*quantum Italici aceti, quantum eruditionis & Doctrinæ huic Libello aſperſiſti! te felicem huiuſmodi Ingenio, me tanto patrocinio fortunatum. Hermidorus ſanè & tu Daſnidium ſervaſtis, digni utique Corona Civica, quam vobis pertexat Veritas, imponat Humanitas. Animus etiam nunc meminiſſe horret Tragœdiarum, quas in me concitarat malus Livor, & abſurda Imperitia. verum hæc & alia ego.*

Tradam protervis in mare Creticum
Portare ventis —

*Illud probè dictum eſt abs te non vacare Apollini, poſt Antipodas repertos, deſcendere de curru, & ſecedere in Parnaſſum ad viſendas Muſas. Antiquitas enim quotidie illum, ad veſperam, in Thetydos cubilia ſe recipientem fingebat. Ipſe apud Ovidium.* II. *Metam.*

Tunc etiam quæ me ſubiectis excipit undis,
Ne ferar in præceps, Thætys ſolet ipſa vereri

*Et hinc Thetyn appellat* phœbœa cubilia *Silius Italicus Lib.* III. *Et Juvenalis commentus eſt per quam ridiculè Sat.* XIV.

— Herculeo ſtridentem gurgite Solem.

*Quod vetus Interpres ita explicavit*, Gaditano Oceano Sol mergens ſtridet, ut ſi ferrum candens in aqua tingas. *ſceptrum Pædagogorum! Quam verè ſcripſit D. Auguſtinus*, I. *Confeſſion. Cap.* XII. *Vela pendere in liminibus Grammaticarum Scholarum; ſed non illa magis honorem ſecreti, quam tegumentum erroris ſignificare. Verum cupio tu mihi dicas aliquando qua ratione Phœbus apud antiquos Parnaſſum nonnumquam incoluerit, in contubernio Muſarum; cum interdiu ſemper aurigam egerit, & noctu apud Thetyn diverſatus ſit. exquire hoc amabo ab Aſtræa ſive Mercurio tuis. Sidonius ſanè Apollinaris, pœta elegans, & eruditus, in curru Phœbeo Muſas locat Carm.* XXII.

Ibant Pimpliades pariter, mediumque noveno
Circunſiſtentes umbrabant ſyrmate currum.

*proſequitur autem*

Pendet per teretes Tripodas Epidaurius anguis,
Diffuſus ſanctum per colla ſalubria virus.

*ego ſanè vidi in vetere Nummo anguem extantem e Cortina, at, non pendentem per teretes Tripodas. alioqui Cortinis* XV. *virorum Delphinus in ſummo reponebatur, ut notat Servius ad illa* III. *Ænei.*

— patrias obtruncat ad Aras.

*& patet ex Nummis argenteis Vitellij Auguſti. Tu vale nugarum ſatur. Domi, MDCXXVI.*

## L. P. JOANNI RHODIO DANO Exconſiliario Nationis Germanicæ Philoſophorum & Medicorum V. Cl. Epiſt. XXXVI.

Armorum ſonitum toto Germania cœlo
Audijt; inſolitis tremuerunt motibus Alpes

*Libet enim te affari V. Clariſſime carminibus maximi Poetarum in argumento non prorſus diſſimili. Germania ſanè veſtra, non quidem toto cœlo, ſed tota terra armorum fragorem experitur, & non Alpes ſed Italia nunc nuper haud omnino inſolitis contremuit motibus. eos tibi nunc recenſere decrevi, tibi qui res noſtras amas (ut ut peregrinus ſies) qui varia Eruditionem pectus exornaſti, qui ingenium Philoſophicis Medicisque Exercitationibus excultum habes. Apulia, quæ & Dannia, portio Regni (ut nunc vocamus) Neapolitani eſt. noſtri Apuliam planam vocant, a terrarum latè patente planitie, ab exoriente Sole habet Apuliam Peucetiam, quæ nunc eſt* terra de Bari; *ab occiduo latere Aprutium; a meridie limes illi eſt Apenninus; a Septentrione fluctu Hadriatico pulſatur. Regio eſt triticeæ meſſis feraciſſima, & Gargano monte illuſtris. In hoc tractu terrarum, hoc anno MDCXXVA. die* XXX. *Menſis Julij, circa Meridiem, terrâ, altius concuſſâ, Oppida Sancti Severi, Sancti Pauli, Serræ Capriolæ, Prucinæ, Ripaltæ, & alia non pauca, neque ignobilia ſubſederunt penitus; veſtigijs relictis paucis omnino. Mons alicubi e terra repente extitit. Lacus Leſinenſis viginti millium paſſ. ambitu illico exaruit. Pelagus retrocedens, mox inſilijt, omnia per tres horas ad ſtragem & vaſtitatem compoſita, viſa & audita. mortalium*

*talium magna cædes illinc renunciatur : ædificiorum deſolatio , magna rerum omnium confuſio . Seneca olim talia deſcripſit , regionis ab hac non longe diſſitæ mala .* hoc malum latiſſimè patet, inevitabile, avidum, publicè noxium. non enim domos ſolum, aut familias, aut urbes ſingulas haurit, ſed gentes totas, regioneſque ſubvertit : & modo ruinis operit, modo in altam voraginem condit : ac ne id quidem relinquit, ex quo appareat, quod non eſt, ſaltem fuiſſe; ſed ſupra nobiliſſimas urbes, ſine ullo veſtigio prioris habitus, ſolum extenditur. *non expreſſiſſet aptius penicillo . Et ſanè Italia noſtro leviter concuſſa, mea memoria eſt, non tota, ſed regionatim ut dicam . Anno MDXCI. die* X. *Iulij, hora prima ſupra vigeſimam, apud nos . veluti &* MDXCIII. *die* XXVIII. *Maij. &* MDCIII. *die* XXVI. *Februarij ; &* MDCXXIII. *die* VII. *Octobris:* MDCXXIV. *die* XIX. *Martij.* MDCXXVI. *die* XXV. *Ianuarij . at hæ vibrationes fuerunt potius , quam concuſſiones , & hiatus . At anno huius ſeculi duodevigeſimo , oppidum Piurij in Rætia Mons imminens oppreſſit ; & Argentam in agro Ferrarienſi ſecus Padum , terræ dehiſcentis ſinus excepit annis abhinc quattuor . & id quidem nocturno tempore ,* quo improviſior graviorque peſtis fuit, *ut ipſius Taciti verbis utar . Afflictis oppidis ut vidimus id ſolum reſtabat , ut Provincia aliqua everteretur , nec ſenſimus diu dilatum . Terra . quod proprium videbatur habere , ſtare dedidicit , fundamenta urbium diſceſſerunt , titubaruntque & ſtatim Cereris regnum, & meſſium theſaurum perdidit ipſius terræ labes. terra, quæ altrix, quæ ſtabilis, quæ mater audijt ſemper, illa eadem viros, mulieres , ædificia , non una ſtrage raptavit , involuit ; odio Pluſquam novercali . neque vero adeo me ludit amabilis inſania , ut tibi cauſas huiuſce mali afferre velim. noſti enim tu ſpiritus interceptos, & cava terrarum hæc facinora patrare . addo etiam aquarum calentium venas, & ſcaturigines fontanas Thermarum, quarum aliquam copiam alias in illo Apuliæ tractu fuiſſe evincit nomen Thermularum , hodie* Termoli , *quas recens hic internus turbo corripuit . noſti autem illa Martialis lib.* VI. 42.

Etru-

Etruſci niſi Thermulis laveris
Illotus morieris Oppiane.

*Nec eſt profecto quod non timeamus & nos, ſuperventuram nobis cladem aliquam (quod Deus avertat) a contactu vicinarum Aponi Thermarum, & inſtabilitate ſuſpenſi & vitium quotidie facientis ſoli. Nimis enim ex vero ſcriptum reliquit magnus vir.* omnia eiuſdem ſortis ſunt, & ſi nondum mota tamen mobilia. hunc fortaſſe in quo ſecurius conſiſtis locum, hæc nox, aut hic ante noctem dies ſcindet. unde ſcies an melior eorum locorum conditio ſit, in quibus iam vires ſuas Fortuna conſumpſit, & quæ in futurum ruina ſua fulta ſunt? erramus enim ſi ullam terrarum partem exceptam, immunemque ab hoc periculo credimus. *& inferius.* circuit fatum, & ſi quid diu præterijt repetit. *hæc ille Natural. Quæſtion. lib.* VI. *in principio, cum terræ motus magna ſtrage, Regulo & Virginio Coſſ. Campaniam vaſtaſſet. Neque diuturnum ſanè annorum ſpatium hanc nobis memoriam eripiet, afflictæ Urbis & Regionis ab hac lue. anno ſiquidem* MCCCCXC. *nocte quæ præceſſit Converſionem S. Pauli, hæc vis Patavium non perfunctorie leſit. & inde accidit, ut etiam hodie Feſtum illum diem vulgo a terræ motu indigitemus. quod etiam fortè originem traxit a vetuſtiore concuſſione, quæ eundem diem Anno* MCCCXLVIII. *nobilitavit, referentibus Alberto Argentinenſe, & Joanne Villano lib.* XII. *Cap.* CXXI. *qui Patavium ſingillatim nominat, Venetias præterea. Piſas, Aquileiam, & tractum Foroiulienſem Germaniamque. Verum ominemur lætiora, & componamus nos ad omnia quæ inciderint fortiter & ut viros decet ferenda.* in ea enim tempora nati ſumus, quibus (*ut aiebat magnus vir noſtras*) firmare animum expedit conſtantibus exemplis. *Vale vir amice. Domi. in Muſæo MDCXXVII.*

L. P.

## L. P. GULIELMO SOHIERO BELGÆ Viro Nobilitate, & Eruditione Præccellenti. Epiſt. XXXVII

R*Ectè ſentis Vir nobiliſſime (ut ſentiunt alij plerique omnes Reipublicę Litterarię Principes) è Notitia Antiquitatis pendere cognitionem exactam omnium Hiſtoriarum. Marmora ſiquidem, Nummi, Gemmę, & reliqua ſeculi priſci ſupellex non minus illuſtrant res a nobis longa ſæculorum ſerie diſſitas, quam tenebras vincant Funalia. exempli vice ſit marmor Rhamnuſianum quod ſpectabamus huiuſmodi.*

IANO PATRI
AVG. SACRVM
C. IVLIVSC. F. SER
AETOR AED.
DONATVS AB TI. CAES.
AVG F. AVGVSTO TORQ.
MAIORE BELLO DELMA
TICO OB HONOREM
IIVIRATVS CVM LIBERIS
SVIS POSVIT

*Iamprimum Ianus Pater appellatur, ut apud Catonem, & Martialem*

*tialem & Arnobium*, *quod eſſet* annorum nitidique Mundi ſator, *ut canit idem ipſe Hiſpanus Poeta*, *Lib.*x. 28. Annorum ſæclique caput *inquit incertus itidem Vates*, *in Pictura Menſium. deinde illud SER ad Tribum Sergiam pertinere arbitror, illorum AETOR AED prorſus neſcius. quod enim concinnator Indicis Gruteriani SER. ACTOR legit manifeſta hallucinatio eſt Torques maior deſignat*, *ut ego cenſeo*, *Milites quos Vegetius & eius Epitomator Modeſtinus appellant Torquatos duplares*, quibus (*inquit Vegetius Lib.* II. *Cap.* VII.) Torques aureus ſolidus Virtutis prœmium fuit, quem qui meruiſſet præter laudem interdum duplas conſequebatur annonas: duplares duas, ſimplares unam. *Torquis autem figura cernitur in veteribus Nummis. in Denario primum L. TORQVATI*, *ut animadvertit F. Urſinus in gente Manlia*: *& quidem in ora ipſius Denarij. tum in nummulo ęreo*, *quem ego alias vidi*, *& exhibetur ab Antonio Auguſtino Dial.* I. *Antiquitatum*, *editionis Romanæ*, *ſpecie* Dracunculorum *ſemet reſpicientium*, *caudis connexis. Et hanc eamdem ſpeciem exprimit antiquum marmor*, *cuius mihi olim copiam fecit vir nobiliſſimus*, *idemque in litteratos omnes propenſiſſimus Nicolaus Fabricius Peireſchius*, *Regius in Aqui Sextienſi Curia Senator*,

*TORQUEM AUREUM EX DRACUMCULIS DUOBUS*

*Noſtrum vero Marmor habet C. Julium donatum fuiſſe TORQUE MAIORE*, *ob annonas fortè duplares. Notandum autem eſt*, *Bellum Delmaticum*, *dici non vitio Quadratarij*, *ſed recta ſcribendi ratione*, *licet uſus nunc Dalmatiam ferat & Dalmaticum. Velius ſanè Longus in Libello de Ortographia ſic habet;* placet etiam ut Delmatiam, non Dalmatiam pronunciemus, quoniam a Delminio maxima Civitate tractum nomen exiſtimetur. *& Aurelius Victor*, *ex editione Andreæ Schotti V. Clar. de P. Scipione Naſica ſcribit*, Conſul Delminium urbem Delmatarum expugnavit. *Ita etiam præfert ænea Tabula*, *quam edidit F. Urſinus in Gente Pomponia*, *in qua recenſentur Pedites & Equites*, *qui militant in Chorte* III. *Alpinorum*, *& in* VIII. *Voluntariorum Civium Ro-*

*manorum, qui peregrinæ conditionis probati erant ET SUNT IN DELMATIA. Nummus quoque æreus extat apud me ita inſcriptus FL. DELMATIUS NOB. CÆSAR, illius nimirum Delmatij, quem Dalmatium Scriptores omnes perperam appellant, quique filius fuit Anniballiani fratris Conſtantini Magni. cuius nomen Adolphus Occo ex Velio Longo nititur eruere, neſcio quam bona fide. Codex enim Romanus, & editio Juniana Lectionem Occonis reſpuunt omnino. De bello autem quod Tiberius cum Delmatis geſſit, conſulendus eſt Svetonius, in Tiberio Cap.* IX. ex hinc Rheticum, Vindelicumque bellum, inde Pannonium, inde Germanicum geſſit. Rhetico atque Vindelico gentes Alpinas; Pannonico Breucos, & Delmatas ſubegit. *ex quibus Svetonij verbis elicimus oeconomiam militarem, quæ apud Romanos fuit, cuiuſque veſtigia retulimus ex ænea Tabula proximè citata in qua Cohors* III. *Alpinarum in Delmatia militabat. OB HONOREM* II*VIRATVS. Ulpianus in L.* I. *ff. de albo ſcribendo;* ſed ſi Lex ceſſat tunc dignitates erunt ſpectandæ, ut ſcribantur eo ordine, quo quiſque eorum maximo HONORE in municipio functus eſt. puta qui DVVMVIRATVM geſſerunt, ſi hic honor præcellat &c. *Paulus L.*VII. *ff. de Decurionibus.* is qui non ſit Decurio, DVVMVIRATV, vel alijs HONORIBVS fungi non poteſt. *Apuleius in Apologia quam vocant primam;* In qua Colonia Patrem habui loco principe DVVMVIRALEM, cunctis HONORIBVS perfunctum. *Feſtus Rufus Avienus in ora maritima, de Tarteſſo loquens*

At vis in illis tanta, vel tantum decus
Ætate priſca ſub fide rerum fuit,
Rex ut ſuperbus omniumque præpotens,
Quos gens habebat forte tum Mauruſia,
Octaviano Principi acceptiſſimus.
Et litterarum ſemper in ſtudio Iuba,
Interfluoque ſeparatus æquore

In-

Inluſtriorem ſemet Urbis iſtius
DVVMVIRATV crederet —

*Duumviri autem erant Magiſtratus in Colonijs, ut oſtendit Cicero in Agraria.* II. cum ceteris in Colonijs Duumuiri appellentur, hi ſe Prætores appellari volebant. *notat autem ibi pluribus verbis ſuperbiam Campanam, quæ Romam æmulari Prætura, Lictoribus, Faſcibus, & reliquo apparatu conſtituerat. Quod hic noſter CVM LIBERIS SVIS poſuerit, id vero non eſt ocioſum. ad filios etenim tranſibat honor Duumviratus Patris ipſius, ut vidimus proximè apud* Appuleium; *& magna fuit ſemper vis in exemplo paterno ad capeſſendas Religiones, ut innit cum irriſione Iuvenalis Sat.* XIV.

Quidam ſortiri metuentem Sabbata Patrem
Nil præter nubes, & Cœli numen adorant.
Nec diſtare putant humana carne ſuillam
Qua Pater abſtinuit —

*Abſtineo pluribus, ne te inaniter fatigem in re ſatis obvia. Tu Vale, & hæc pauca obſervantiæ erga te meæ teſtimonia æqui bonique conſule. Domi MDCXXVII. Nonis Januarij, quibus Carolus Audax, Belgij veſtri fulmen, apud Nanceium occubuit, anno* MCCCCLXXVI. *non Anno poſt ut habet Megiſerus.*

## L. P. ALBERTINO BARISONO Abbati, Viro Nobiliſſimo, & Reuerendiſſimo Ep. XXXVIII.

E*Sſe quid hoc dicam Vir nobiliſſime, quod accuratus noſtrorum recentis huius ſæculi hominum ſtylus, deſumpſerit ſibi aliqua, cum ambitione narranda, bella Gallica, Germanica, Belgica, Hungarica; & nemo animum adiecerit ad enarrandum bellum atrox, & inteſtinum, quod Barbaries quotidie concipit, commovet, agitat adverſus elegantiam veteris ævi, qua una ſtat perennè decus Italiæ noſtræ? Et ſanè maiores illi noſtri, quorum nominibus etiam nunc non ſine aliqua veneratione aſſurgimus, cum æternitatem perpetim*

*cogitarent, ſubſidia ſibi advocarunt earum rerum, quæ ætatem ſerve, & prorogare poſſent res æterna memoria digniſſimas. hinc ſepoſuerunt ſibi Papyros, Membranas, Marmora, Metalla, quibus conſignarent Doctrinarum præcepta, ſeriem rerum ab ipſis geſtarum, vultus ſuos, deſcriptioneſque illorum ædificiorum, quibus non mortales, ſed Heroes & Genij manum ingeniumque commodaſſent. Verum Barbaries non irrepens, ſed palam, poſt renatas, Litteras, ſub Larva virilis frugalitatis, hoc totum inconditis lacertis, & machinis muralibus aggreſſa eſt demoliri. Papyros enim tineis, blattis, ſordibus, ſitui obiecit. Membranas Cribris, Cytharis, & operculis Trullarum vinariarum deſtinavit. Marmora vel in Fornaces calcarias, vel in fundamenta murorum coniecit; Metalla in Pelues, Cacabos, & Mortariola conflavit, ut nimirum memoria omnis inſignium rerum funditus & radicitus periret.*

O nova pugnandi ſpecies non ales harundo
Nervo pulſa fugit, nec ſtridula Lancea torto
Eminat amento, frameam nec dextra minatur.

*Papyri folia hodie adeo rarò apparent, ut miraculo ſint, & ſegmentis, potius, quam totis voluminibus ornent Bibliothecas. Me adoleſcente magna copia Librorum in membraneis deſcriptorum, ex oppido agri noſtri non infrequente, neque obſcuri nominis, Venetias tranſlata eſt, precio redempta ab ijs, qui Vina Cretica Venditant. cui uſui nemo non intelligit. Marmora Litterata infringi, corrumpi, perversè locari, terra obrui paſſim videmus. Et ſatis notum eſt, quod non ſinè ſtomacho narrat Borghinius, de Origine florentina, caput Q. Fabij Maximi in Theatro Florentino erutum, mox fuiſſe proiectum in fundamenta, quæ recens locabat homo ſtolidus, qui theſaurum nactus erat Æſopio Gallinaceo ſimilis. neque ab iſto egregiè fatuo valde abijt homo ex Venetia noſtra, qui nummos aureos antiquos multos & precioſos conflavit, ut Torquem uxori ex ijs pararet. In quo genere inſaniæ non erat cur Hiſpania Italiæ concederet. quando referente A. Schotto Cl. Viro, in Bibliotheca Hiſpanica; ex magna & accuratè collecta Numiſmatum veterum copia, heres Ioannis Andreæ*

*dreæ Stranei Valentini eruditi hominis, mortarium ad pharmacopolij ſui uſum ſibi conflari curavit. dignus utique ipſe piſtillis, ſed in grandiore mortario Anaxarchi more tundi. At hiſce ſtolidè (neſcio imperitis an pravis) faſtigium amentiæ impoſuit, niſi quis improbitatem appellare malit Aurifaber quidam Romæ, qui me ibi degente, anno MDCVI. non aliam ſtaturariam profitebatur, quam Nummorum veterum aureorum, & argenteorum, quo etiam titulo artificium ſuum venditabat. & hoc Romæ videbatur, & ferebatur, ubi olim Lex Cornelia Nummaria lata fuit, qua tenebatur ut inquit Paulus I. Conſultus Lib. I. Sentent. tit. XXV. qui nummos aureos argenteos adulteraviſſet, laviſſet, conflaviſſet, raſiſſet, corrupiſſet &c. At hæc non vitia hominum eſſe quis clamet, ſed Barbariei ut diximus, quæ etiam me inſpectante manus temerarias admovit (ſed irrito conatu) Arcui triumphali, quem S. P. Q. R. Fl. Conſtantino Max. Aug. dicaverat. ut videlicet Novatores Tranſalpini poſſent aliquando dicere Conſtantinum Romæ numquam fuiſſe; & fabulas eſſe noſtrorum hominum, quę de Lepra Conſtantini, de eiuſdem in ſacras Baſilicas munificentia feruntur. vidit hoc Paulus V. P. M. qui huiuſmodi temeritatem tunc coercuit, & Pompeio Arrigonio ſummæ dignitatis Cardinali ſe purgavit, factum deteſtanti, & improbitatem fabrorum arguenti. & profectò Antas ſtriatas, quæ fuerant ablatæ, Pontifex Urbani decoris mirè ſtudioſus, reponi juſſit, hoc uno parum æquus, quod eum cuius auſu præclarum veſtigium Antiquitatis tentatum fuerat, indemnem reliquit. debuit enim hominem aliqua ſaltem ignominiæ nota reſpergere, tum ut huiuſmodi Harpyæ abſtinerent deinceps ungues a parietinis venerandis, tum ut malevolis os obſtrueretur, qui Syxti V. beneficentia factum eſſe dicunt, ut Severi Septizonio careamus, & aliorum Pontificum incuriæ, non Barbarorum immanitati, adſcribunt Coloſſei populationem, cuius marmoribus detractis & aliò translatis ſuccreverint ædificia rencentiora, magno cum priſcæ Gloriæ detrimento, nec minore probro eorum, qui huiuſmodi facinora poterant inhibere. verè enim ſcripſit (quiſquis ille fuit) nihil eſſe, quod de veteris Romæ maieſtate*

*docere*

*docere nos poſſit, præter ipſas ruinas. Franciſcus enim Petrarca, vir ſui ſæculi princeps. Lib. II. Epiſtolar. ad Ioannem Columnam ſcribens aſſirmat, ſibi non eſſe quod ſcribat, miraculo rerum tantarum quas viderat, & ſtuporis mole obruto. additque hæc, digna utique quæ Romæ ubique legantur & ſcribantur.* unum hoc tacitum noluerim. contra ac tu ſuſpicabaris accidit, ſolebas enim memini me veniendo dehortari hoc maxime prætextu, ne ruinoſæ Urbis aſpectu famæ non reſpondente atque opinioni meæ ex Libris conceptæ, ardor meus ille lenteſceret. ego quoque quamvis deſiderio flagrarem, non invitus differebam, metuens ne quod ipſe mihi animo finxeram, extenuarent oculi, & magnis ſemper nominibus inimica præſentia. illa vero (mirum dictum) nihil imminuit, ſed, auxit omnia. verè maior fuit Roma, maioreſque ſunt reliquiæ, quam rebar. iam non orbem ab hac urbe domitum, ſed tam ſero domitum miror. *Quorſum inquies hæc longa & verboſa Epiſtola, ſeu verius Declamatio? multa ſunt vir Reverendiſſime, quæ huc me adegerunt, ſed duo in primis. primum ut oculis ſubijcerem acrem pugnam nos proterere geſtientis Barbariei, cui par eſt ut pectus obtendamus, reijciamuſque in deſertas aliquas oras, ubi ſe iactet regnetque diu; tum ut patefacerem quo in precio ſint habendæ a nobis qualeſcunque reliquiæ Vetuſtatis; a quibus manat ad nos notitia earum rerum, quas ignorare uti turpe eſt, ita percipere glorioſum. Exemplo ſit vetus hoc marmor, quod hic apud Ramnuſios repoſitum, quamvis aliqua luce Vetuſtatis perſuſum, iacuit tamen hactenus, animum nemine advertente; dignum tamen quod in publicum non ſine honore prodiret.*

A U R I B U S
B. D. D.
P E T R U S I A
P R O B A
M A G I S T R A
G A L G E S T I
H E R M E R O T

*Auri-*

*Auribus autem dedicatam fuiſſe vel Arulam, vel Tabellam nemo mirabitur, uti ego arbitror, niſi qui earum uſum non agnoſcet in rebus percipiendis, quæ magiſterio indigent. Et fortè huc pertinet Libatio Aurita, quæ legitur apud Philoſtratum Lib.* IV. *de Vita Apollonij Tyanæi, niſi quis referre malit ad ſervum quempiam ab Auribus, qui æmulatus fuerit in privata familia, ſervos Regios Perſarum, quibus inditum erat nomen Otacuſtarum. Verum hæc fortè videbuntur (uti ſanè ſunt) nimis recondita. ad Magiſterium revertor, cuius mentionem facit & ipſum marmor. in quo munere preſtare oculis aures Lactantius Firmianus Lib.* III. *de falſa Sapientia Cap.* IX. *affirmavit. ſubſannans enim Anaxagoræ Philoſophi reſponſum profitentis ſe natum Cœli, ac Solis videndi gratia, ita ſcribit.* quid ceteræ corporis partes? anne carebunt ſuis quæque muneribus? quid, quod plus eſt in auribus, quam in oculis ſitum, quoniam & doctrina & ſapientia percipi auribus ſolis poteſt, oculis ſuis non poteſt? *Et hinc videtur natum, ut Auris Minervæ ſacra eſſet. quod arguamus licet e verbis antiqui Tituli apud Gruterum MLXVII. I.*

MINERVAE. AUG.
L. CALLIDIUS. PRIMUS
BRIXELLANUS. EX ARG.
LIB. II. ITEM L. CALLIDIUS
PRIMUS. AURES. ARGENTEAS
U. S. L. M.

*niſi hæc fuerit Minerva Medica, cuius & in antiquo lapide extat mentio. Alioqui Aures Memoriæ ſacræ erant. inquit Plinius Lib. XI. Cap. XLV.* eſt in Aure ima Memoriæ locus, quem tangentes atteſtamur. eſt poſt aurem æque dextram Nemeſios, quę Dea latinum nomen ne in Capitolio quidem invenit. *Et Aurem vellere alte ſpirantibus Adraſtiam pronunciavit Ammianus Marcellinus Lib.* XXIV. *at Servius doctiſſimus Grammaticorum ad* VI. *Eclog. hęc tradidit.* Aurem autem ideo quia Memoriæ conſecrata eſt, ut Frons Genio, Digiti Minervæ Genua Miſericor-

dix.

diæ. *quibus addo ego ex Macrobio Carnæ Deę Vitalia*, *Lib.* I. *Saturnal. Cap.* XII. *& Fidei Dextram ex Plinio, & ex ijs quæ ego diſſerui olim per Epiſtolam cum Viro Illuſtriſſimo Scipione Cobellutio, qui Romanam purpuram (dum fata Deuſque ſinebant) probitate, & eruditione illuſtrabat. Auris autem quo geſtu velleretur explicuit ex veteribus monumẽtis doctiſſimus Pierius Valerianus lib.* XXXIII. *Memoria verò & ipſa (ut etiam hoc Auribus noſtris demus) in Dearum cenſum relata fuit, uxor Jovis, Muſarum mater, ex Arnobio Lib.* XII. *& culta Carthagine, ut tradit Idatius Epiſcopus in Chronico, ſcribens de cæde Heracliani. Et hæc an ſufficiant tu videris V. Reverendiſſime, qui Epiſtolas ad te meas deinceps poteris iure tuo appellare moleſtiam & tædium Aurium, ut olim Alexander mulieres Perſides (ſed aliò ſenſu) ægritudines oculorum. Vale. Domi.*

## L. P. JOANNI BONIFACIO I. C. Adſeſſori Celeberrimo, Hiſtoriarum ſcriptori Clariſſimo. Epiſt. XXXIX.

S*Apientem ſuum ſacri Auctores hac inſigni nota præter ceteras circumſcribunt, ut* Narrationem virorum nominatorum *conſervet, Eccleſiaſtici Cap.* XXXIX. *ut tu optimè meminiſti V. Cl. & ſacrorum Librorum ſtudioſiſſime. Quod tu an præſtiteris teſtabuntur Lucubrationes tuæ, quę tam diu vigebunt florebuntque, quam diu bonis Artibus erit favor & cultus. ego ſanè cum in aliquem plauſum nominis & Litterarum ire deſiderem, ut inquit Phædrus, arripio lubens occaſiunculam te ſalutandi, & in lucem ſub auſpicijs tuis promendi, quæ de Burgundio Iudice Piſano mihi ſunt non ita recens annotata. Et ſanè iure merito noſtris hominibus aliquis calami ductus impenditur, qui ſe à Barbarie non totos opprimi paſſi ſunt, qui ſtudia utcunque iuverunt, & qui denſas ſæculi tenebras aliqua luce diſpellere ſunt conati. huiuſmodi fuit ſua ætate Burgundio, ſive Burgandius Juriſperitus Piſanus, qui floruit circa annum MCLX. Huic ſunt qui adſcribant verſiones eorum, quæ in Pandectis græcè legun-*

*leguntur, licet Accurſius Bulgarum interpretem eſſe velit. porrò hic noſter tunc temporis Græcę linguę peritia inclaruit. & memini me videre olim apud Nobiliſſimum Virum, & ab Eruditionis laude clariſſimum Io. Vincentium Pinellum, Codicem manuſcr. hoc titulo,* Incipit Liber Vindemię à domino Burgundio Piſano, de Greco in latinum tranſlatus. *quę erant aliquot Schędia Geoponicon. Incidit etiam in manus meas verſio libelli neſciocuius, Gregorij Nyſſeni, ita ſcripta;*

## *Liber B. Gregorij Niſſe incipit.*

Dominatori Friderico invictiſſimo Romanorum Imperatori, & Cæſari ſemper Auguſto a Burgundione Iudice natione Piſano pertranſlatus anno Incarnationis Domini MCLX. Indictione XIII. *Incipiebat autem,* Invictiſſimo, & glorioſiſſimo Domino. *finiebat.* propter utilitatem illorum abſtulerunt. *Mutius autem Panſa, in Bibliotheca Vaticana, de eodem tradit, interpretem egiſſe Evangelij Sancti Ioannis, & Librorum Geneſis nonnullorum: & fuiſſe acre Ioannis Chryſoſtomi prędicatorem. quod (ut videbimus) ex ipſius etiam Epitaphio compertum eſt. hoc autem huiuſmodi eſſe accepimus*

Quis, qualis, quantus iacet hic in marmore clauſus
Ille vir egregius promitur inferius.
Deceſſit ſenio propria Burgundius urbe,
Cui ſimilis vivens vix fuit eſt val erit.
Omne quod eſt natum terris ſub Sole locatum
Hic plene ſcivit ſcibile quidquid erat,
Optimus Interpres Græcorum fonte refectus
Plurima Romano contulit eloquio.
Commentor primus, Chryſoſtomus ille ſecundus,
Claruit, expoſitor, ſcripſit & innotuit.
Docta patet late Doctoris epiſtola Pauli
Otia cuius erant ſcribere, cura, labor.

M In-

Invidia caruit, vitam ſine crimine duxit,
Illæſus vitijs, noxia quæque fugans.
Gloria, Laus, & Honor proles generoſa parentum,
Id fuit in terris, Sol quod in axe ſuo.
Venit ut ad caudam plenus mercede laborum
Inquit terrenis hoſpita terra vale.
Debitor inſignis ne creditor opprimeretur,
Psychem namque polo reddidit, oſſa ſolo.
Qui legis in titulo ſic ſi cupis eſſe probandus
Huius ad exemplum curre, per alta maris.

*Quibus ſanè carminibus non omnino malis non contentus, qui Memoriam poſuit, adiecit etiam hæc rithmica, quibus ſanè carere æquo animo poteramus.*

Doctor Doctorum iacet hac Burgundius urna
Schema magiſtrorum laudabilis & diuturna.
Dogma Poetarum, cui Littera Græca Latina
Ars Medicinarum patuit Sapientia trina.
Et nunc Piſa dole, triſteris Thuſcia tota
Nullus ſub Sole eſt, cui ſic ſunt omnia nota.
Rurſus ab Angelico cœtu ſuper aera vectum
Nuper & Angelico cœlo gaudete receptum.

*Anno Dom. MCLXXXXIIII. III. Calend. Novembr. Et de Burgundio hactenus, qui tibi V. Cl. acceptum ferre debet, quod tanto poſt tempore producatur*


— in dias luminis oras.

*Vale, Pignorij & Sandellij tuorum memor. Patavij. MDCXXVII.*

## L. P. MARTINO SANDELLIO Juriſconſulto Viro Reverendo. Epiſt. XL.

F*Ruſtum veteris Inſcriptionis e marmore Pario, notatum elegantiſſimis characteribus, a ſeculo ut videtur Auguſteo, in Templo D. Martini nuper effoſum, cui tu merito præes, poſtulas tibi explicari;*

*plicari; notis videlicet implicitum, & a corpore ſuo avulſum. Num ego tibi Amice gentem Aſclepiadarum videor attingere cognatione? An vero profiteri me cenſes diſciplinam Cornelij noſtratis? verum age experiamur. fructum eiuſmodi eſt.*



*Continet autem quantum ego conijcio ſummam pecuniæ legatæ in tuitionem Monumenti alicuius. Hęc enim erat ſolemnis formula legandi. cuius veſtigium extare in vetere Gallica Inſcriptione apud Gruterum* CLI. 9. *ſunt qui credunt. ego non item.*

*QUOD. IN. ACRO. PROPRIO. CONSTITUTUM. TUENTIONI. OMNIUM. VOLUERUNT. ESSE. COMMUNE. &c. ibi enim Tuentio eſt inſpectio, non tutela monumenti, cuius penes accuratiſſimum Briſſonium Lib.* VII. *Formularum extat mentio inſignis, quam confirmant veteres Inſcriptiones apud Gruterum* CCCXCIX. I. DCXL. II. *At ſumma pecuniæ valde ingens. fateor, & ſcio Ariſtotelem Lib.* IV. *Ethic. Cap.* II. *monere non eodem ſumptu Fanum, & ſepulchrum ędificandum eſſe. Verum noſtri maiores inſanierunt circa hæc annorum ludibria; tanquam ſepulchra eorum eſſent, ut inquit Regius Pſaltes, Pſal.* XLIIX: Domus illorum in æternum. *Et hiſce delirijs compeſcendis inſudarunt quandoque pręceptis & monitis Leges, & Legum Conſulti: at prævaluiſſe hic etiam prępoſterum luxum, teſtes ſunt, inſanę ſubſtructiones aliquot, quas temporis edacitas minimum atti-*

 *git.*

*git. ut in Munatij Planci Oratoris, & Metellę Q. Cretici filię Mauſolęis videre eſt. Hęc erit Hiſtoria ſeu verius fabella Deiphobi tui vir amice. an vero ille, ut alter Priamides olim Æneam, me ſit compellaturus.*

— nihil o tibi amice relictum eſt
Omnia Deiphobo ſolviſti, & funeris umbris

*ego quidem neſcio. tu ſcies, qui illum habes contubernalem, & cum illo una omnis Antiquitatis penitiſſimę notitiam. Vale. in Bibliotheca noſtra. Idib. Mart MDCXXVII.*

## L. P. ANNIBALI CAMPEGIO J. Conſulto Ticinenſi in Patrio Gymnaſio Iuris Civilis, Interpreti Doctiſſimo. Epiſt. XLI.

*HAud diu eſt V. Cl. cum ego Veritatis eruendę gratia, & calumnię propulſandę, Julium Paulum J. C. Romę patrię aſſerere, ſcripto edito ſum conatus. in ea cauſa quam ſtrenuè me geſſerim ego quidem non diſpicio. Amici, quos conſului, mira retulerunt. verum ego qui ſciam preſtigias Amorem facere, minimè credulus fui, & uni mihi dictum fuiſſe ſum arbitratus.*

Tecum habita. noris quam ſit tibi curta Supellex.

*Illa cum ſcripſiſſem pervenit ad manus meas Commentarius inſcriptus* ΒΙΙΝΟΜΙΚΟΝ, *ſeu de iuriſperitis ſectus in duos Libros, auctore Joanne Bertrando Præſide Toloſano, viro ſanè docto, multæ Lectionis, & acris Judicij, cui plurimum debent veteres Juris Auctores. Hic Libro primo, proprio capite de Julio Paulo, Paulum ipſum Tyrium fuiſſe credidit, atq; adeo rationibus demonſtrare anniſus eſt. Quibus ego perlectis meas partes omnino eſſe cenſui, Paulum non ſinere divelli à patrijs Laribus, ſed proprium decus Romæ ſervare Italiæque noſtræ. Tui vero arbitrij V. Cl. hæc omnia ut facerem non una Humanitas tua impulit, quæ ne alias per Litteras vix notum & oculis laborantem compellavit; verum, & inſignis peritia, qua clues inter prima Italiæ terræ ornamenta, Juriſcivilis & elegan-*

*tiorum*

*tiorum Litterarum, veluti Nemico-politicus tuus, & Tetracordum Muſis & Apolline dignum abundè teſtantur. verum manus conſerere præſtat, quam Modeſtiam tuam veris etiam laudibus onerare.* *Bertrandus Tyrium fuiſſe Julium Paulum ex eo primum capite credidit, quod ab Ulpiano, & Mammææ Alexandri uxore (Matrem voluit dicere) dilectus fuerit. At eadem ſanctiſſima fœmina videtur in precio habuiſſe Fabium Sabinum, Ælium Gordianum, Pomponium & alios, qui non ideo minus Romani fuerunt, quod Ulpianus & Mammęa ipſos diligerent. Imo qui Alexandri vitam ſcripſerunt, non utique ſiluiſſent hanc neceſſitudinis cauſam, ſi Paulus Tyrius fuiſſet. neque Paulus ipſe elabi ſibi paſſus fuiſſet occaſionem Patriæ conteſtandę, in L.* VIII. *de cenſibus, cum Tyriorum civitatem nominaret, quam Ulpianus (ut ſuam originem notaret) non pręterijt in L.* I. *eiuſdem Tituli. Jam verò quod Paulus in L.* IV. §. item ſi quis *ff. de penu legata, dicat*, nomen penus mihi traditum eſt omnibus generibus dici, *nullam peregrinitatem arguit. voluit enim ſignificare traditum id ſibi a Pręceptore, qui fuit ex Ælio Lampridio, Æmilius Papinianus, & apud Latinos, ut vel pueri ipſi ſciunt, Magiſtri dicuntur tradere. Quod autem in L.* XVII. *ff. de Exceptionibus ſervitutes videatur corpora appellare, hoc verò non eſt proprietatem verborum latinorum ignorare. non enim dicit Paulus quod illi affingitur; neque apud Africanum vel Paulum alicubi ſervitus nominatur. Viam & Fundum tantummodo diverſa corpora appellat, & rectè, quod perinde eſt, ac ſi dixiſſet eſſe res diverſas, ut ibidem notat Accurſius. qua ratione Ulpianus dixit* loci corpus *in L.* IV. *ff. ſi ſervitus vendicetur. alioqui & ipſe Paulus noverat, ſervitutes prędiorum ruſticorum & ſi corporibus accederent, incorporales tamen eſſe L.* XIV. *ff. de ſervitutibus. ut proinde iniuria dicat Bertrandus imperitum fuiſſe Latinitatis. quod profecto nemini in mentem venerit, qui legerit Paulum, & alibi, & in Titulo de verbor. ſignific. Digeſtor. Libro L. Nec admodum iuvat coniecturam Bertrandi, quod Græcas artes in explananda Juriscivilis ſcientia attulerit. incidit enim Paulus in ſæculum græciſſans,*

*quod*

*quod elegantiam ducebat Græcis Litteris uti. & indicant hoc Pomponij, & Ulpiani ſcripta, Helvijque Pertinacis, & Divorum Fratrum reſcripta, & aliorum paſſim in oculos incurrentium. quod profecto novum non fuiſſe inſtitutum, dicet nobis Juvenalis Sat.* III.

Quæ nunc divitibus gens acceptiſſima noſtris,
Et quos præcipuè fugiam properabo fateri,
Nec pudor obſtabit. non poſſum ferre Quirites
Græcam urbem ——

*Quod ab Auguſto uſque per manus ferè aliorum omnium Principum traditum, ad Alexandrum etiam Severum manavit. qui referente Ælio Lampridio*, facundiæ fuit Græcę magis quam Latinæ: & Lectioni Græcæ operam maiorem dabat & legebat, ſed Græca magis. *quid igitur mirum ſi ferè omnibus Græca arriſerunt? neque immorabor in re nota. illud unum animadvertam, Legem* IX. *ff. de ſupellect. legata in meo Codice & in Pandectis eſſe Papiniani, non Pauli. quod tamen parum refert. Homerus .n. nulli ferè Latinorum non dictus eſt, qui non ideo tamen Latini eſſe deſierunt. Hippocratis ſententia in L.* XII. *de ſtatu hominum, quoad rationem partus oraculum eſt. cui viri maximi acquieverunt, ut refert Carolus Annibal Fabrotus doctiſſimus Anteceſſor Aqui-Sexienſis, in politiſſima, quam edidit Exercitatione de tempore humani Partus; neque illa magis Paulum græcum hominem facit, quod ipſam recipiat, quam dictio græca M. Aurelium Antoninum, qui Libros de vita ſua græce perſcripſit. & ſicut nemo ſanus Cornelium Celſum peregrinum appellarit, quia dictionibus Latinis verba Græca adhibuerit non ſemel; ita nemo Paulum advenam eſſe definiverit, quod in Lib.* VII. §. hæc vox *ff. de Edendo, dictiones Latinas per verba Græca explicaverit. quod & ab alijs non Græcis paſſim eſt factitatum. Ut proinde falſos inſigniter fuiſſe appareat Othomanum, & Marcilium, qui Græcum indigitaverunt. quos meminiſſe æquum erat, diſſidere J. Conſultos a Pythagoras: & fruſtra auctoritatem dicentis obtendi, quæ ratione deſtituatur. Ad illa autem, quæ ex Cuiacio afferuntur Lib.* XXI. *Obſervation. Cap.* XXVI. *par-*

*vo negotio reſpondemus; ſtudioſum à Latinis eodem ſenſu dici etiam claſſicis & non ita novicijs: veluti Cicerone, & Varrone, & alijs fortaſſe. Confeſſio & ipſa purum putum Latinum verbum eſt, ut etiam alij adnotarunt; ipſi etiam Quintiliano probè cognita. cetera vero apud Cuiacium videntur acutè magis, quam verè perpenſa. cum non uni Paulo, ſed etiam alijs ſint uſurpata, quot quot ætas Julij Pauli, tulit: quæ quidem ætas Græciæ omnia Latio permiſcuit. & immerito ſanè vexatur Tribonianus, quod pace magni viri dictum ſit, tamquam verborum Pauli interpolatur. Neque ſolidiora ſunt quæ a Bertrando afferuntur de Paulo Tyrio. tum quia neque ille (quod ſciatur) Gentem Juliam ulla cognatione attigit, neque ratio annorum videtur admodum pati, ut Julio Paulo Pater eſſe potuerit: tum quia Patavium devium eſt Tyrio homini, ſeu Roma in patriam abeat, ſive e patria Romam proficiſcatur. D. certè Paulus Cæſarea ſolvens appulit Sidonem. inde Cyprum, Lyſtram, Cretam, Melitam, Siracuſas, Rhegium, Puteolos, & Romam; Actorum Apoſt. capitibus XXVII. & XXIIX. At meram divinationem non oportuit tot machinis ſubvertere. Nos vaticinia, ex ipſius etiam Pauli ſententia, valere jubebimus. namque illa coniectura, quæ aſſimilabat prima fronte.*

—torvam & grandem cum viribus umbram
Et faciem Æneæ —

*ipſa eadem*

Nunc ſublime volans nubi ſe immiſcuit atræ.

*Tu V. Cl. Eruditionem tuam intendas velim. ego tibi I. Conſulto cum de Jure, & Juris Auctore agatur, acquieſcere decrevi. Vale. Patavij. MDCXXVII.*

## L. P. COMITI SPERONO
## De Comitibus Canonico Patavino & Abbati, Viro Nobiliſſimo Reverendiſſimoq; Ep. XLII.

P*ICtura, qua tu vir nobiliſſime apprimè delectaris, adeo magno in honore apud veteres homines fuit, ut cum ceteros fermè om-*

*nes*

*nes artifices fabros nuncuparent, ſolum Pictorem huic nuncupationi eximerent, ut inquit Leo Baptiſta Albertus Lib.* II. *de Pictura. Qui etiam addit omnium artium florem illam eſſe. nec ſanè immerito mea ſententia, quippè quæ venuſtatem colorum, & lucis ignem una exprimat, affectus omnes repræſentet, defunctorum memoriæ conſulat; Cœli converſiones, Terræ vices Diei, & Noctis partes, Artis acumina apiceſque, Divinitatem ipſam (quantum licet aſſequi cogitatione) ſubijciat penicillo. Et hinc factum eſt, ut Græci politiſſimi hominum caverent Edicto, ne Servi pingerent, quod nobiliſſimam artem ſervili manu & ingenio pollui pertimeſcerent. neque deſuerunt viri accurati & eloquentes, qui Hiſtoriam Pictorum pertexerent, veluti Ariſtodemus Car, teſte* Philoſtrato *in Iconibus; &* Polemon *apud Athenæum Lib.* XI. *qui etiam Commentarium edidit de Tabulis quæ Sicyone fuerunt, memoratum eidem Athenæo Lib.* XIII. maximè enim (*inquit Strabo. Lib.* VIII. *Geographiæ*) Corinthi ac Sicyone pingendi ac fingendi aliæque id genus artes auctę ſunt. *Et huius quidem* Polemonis *citatur etiam Liber, de varia in Sicyone porticu, Athenæo Lib.* XIII. *Et videtur idem eſſe cum eo, quem ſępè nominat Clemens Alexandrinus in* Protreptico, *& Diogenes Laertius in Ariſtippo. de* Pictura *egiſſe invenio Duridem neſcioquem, & Theophanem eidem Laertio commemoratos. & de* Picturis *Antigonum & Xenocratem celebres* Plinij *teſtimonio, Lib.* XXXV. *Cap.* X. *Neque vero Tabulas tantum & Telas nobilitavit olim* Pictura, *ductu penicilli, ſed & Aulæa opere textili. Noti ſunt carmine Virgiliano Britanni intexti, tollentes aulæa purpurea. neque ſilvit Macrobius Lib.* V. *Saturn. Cap.* XVII. *fabula Didonis uſos etiam illos*, qui figmentis liciorum contextas imitantur effigies. *Et quia cognatę res ſunt ſtylus & penicillus reperti ſunt, viri eruditi, qui experirentur an calamo valerent exprimere, quod pręſtiterant penicillo* Pictores. Philoſtrati, *ſenior & iunior, Euſtathius, Lucianus, Achilles Statius & alij. Tabulas vero uti res ſacras in Templis dedicari moris fuit; veluti* Plinius *paſſim teſtatur, & fidem facit Cebetis* Pinax, *(quam vocamus,) a noſtris nobis olim* Precep-

*toribus*

*toribus tradita & commonſtrata : ut prætermittamus Pauſaniam & alios . neque non curarunt Veteres , ut Veſtibula etiam Templorum Pictura illuſtrarentur , & Templa ipſa . & Poetæ ipſi ſatis exemplorum ſuppeditabunt . Pinaco-thecas, quas nos Gallerias vocamus, ipſi etiam inſtructiſſimas habuerunt . Philoſtratus , in principio Iconum deſcribit porticum ſuburbij cuiuſdam Neapolitani ad Mare vergentis ; ad Favonium exædificatam , quatuor vel quinque contignationibus Tyrrhenum reſpicientem mare . in qua appenſæ erant Tabellæ collectæ non ſinè maximo labore ; quod & tu vir Reverendiſſime , & omnium huiuſmodi elegantiarum amantiſſime quotidie experiris . Verum Pinacothecas non ad Favonium , ſed ad Septentrionem locat Vitruvius , cum certis , & paribus luminibus indigeant;* quod ea cœli regio neque exclaratur , neque obſcuratur Solis curſu , ſed eſt certa , & immutabilis die perpetuo . *Lib.* I. *Cap.* II. *quod etiam repetit Lib.* VI. *Cap.* VII. uti colores propter conſtantiam luminis immutata permaneant qualitate . *Superſedeo a citandis Varronis , Plinij , Petronijque verbis . qui ſanè paucùlis vocibus Græcorum in hac palæſtra induſtriæ , ſollertiæque palmam eripuit . An autem Pinaco-theca & Tablinum idem aliquando fuerint , ut videtur opinari eruditiſſimus Grapaldus , viderint doctiores . Et quamvis Vetuſtas prædicet clarorum artificium illuſtria nomina , queis Tabularum apud illos Repoſitoria in magna commendatione erant , habet tamen Urbs noſtra & publicè & privatim non pauca , quibus apud oculos eruditos inclareſcat . publice Mantineæ noſtratis , Bellinorum fratrum, Campagnolæ & Titiani æmulas manus , Stephani ab Aggere elaboratiſſima monumenta . adhæc Jocti Florentini , quem pictura rediviva Patrem appellat , opera & quidem multa , neque ſanè ignobilia . Huius , Auctor Chronici ſeptem ætatum , qui fuit Henrico* VII. *Cæſari æqualis , ſcribit extare apud nos Picturas in Templo Arenæ . & Val. Polydorus Ædiculam in Templo D. Antonij , quam vocant D. Felicis PP. & Martyris : e regione Sacelli nobiliſſimi Antoniani . & Jocti quidem per nobile Encomium legitur , in Teſtamentarijs Tabulis Cl. Viri , quem ſui ſæculi*

N *& ve-*

*& veſtri Canonicorum Collegij Phœnicem non verear nominare, Franciſci Petrarcæ. ibi enim hæc inter cetera.* & prædicto igitur magnifico Domino meo Paduano, quia ipſe per Dei gratiam nōn eget, & ego nihil habeo dignum ſe, dimitto Tabulam meam ſive Iconam Beatæ Virginis Mariæ, operis Iocti pictoris egregij, quæ mihi ab amico meo Michaele Vannis de Florentia miſſa eſt, cuius pulcritudinem ignorantes non intelligunt, magiſtri autem artis ſtupent, &c. *Privatim oſtentare poſſumus advenis Pinaco-thecam tuam, quam tu, qua tua eſt benignitas, non magis in tuum iſtud a curis moleſtioribus avocamentum, quam in ſplendoris urbani decus, & illicium ut dicam elegantium peregrinorum, nullis impenſis parcens, comparaſti. miramur iſthic copiæ certamen cum precio, & ſuſpicimus manuum eruditionem cum Naturæ artificio paria facientem. Macte iſtis animi remiſſionibus Vir Reverendiſſ. in iſta fortuna, in iſta ætate, in iſtis laudatiſſimorum hominum maiorum tuorum præclaris imaginibus, quas Patrum noſtrorum ætas ab Avo materno tuo Sperono Speronio ſapientiſſimo & eloquentiſſimo viro illuſtratas perſpexit, & noſtra a fratro tuo Schinella ornatas, qui nuper Fatis concedens, patriæ, cuius ille Comitia infracto animo vindicaverat in Libertatem; affinibus & amicis quos humanitate & auctoritate devinxerat; bonis Artibus, quas percoluerat, triſte ſui, & nunquam leniendum deſiderium reliquit. illos manet Gloria non inter moritura. Te vir Reverendiſſime tua Laus in qua deſino, omnia tibi fauſta apprecans a bono Deo. Vale, & Pignorium eximium tui cultorem aliquo loco apud te eſſe patere. Domi.*

### L. P. FLAVIO QUÆRENGO Ethices in Patrio Gymnaſio Prof. Can. Pat. Viro Reverendiſs. Epiſt. XLIII.

M*Artialis tuus Vir Reverendiſſime mihi nunc cum bona tua venia preibit, ut te in hoc Epiſtolæ veſtibulo alloquar. quod enim illæ cecinit*

O quan-

O quantum eſt ſubitis caſibus Ingenium!

*ego leviter immutabo.*

O quantum eſt magnis caſibus Ingenium!

*Quis enim neget magnum caſum, quem tibi hic dies, & hæc hora uno & eodem monumento attulit? cum ab eodem Tabellario acceperis ſummorum virorũ Imagines* Laurentij Medicis, & Dominici Molini. *ego ſanè nunc primum Thraſyllus, aut* Aſcletarion, *vel Petoſyris fieri cupio, ut momenti Geneſin ad Cœli poſitum exigam, & videam quo bono & felici aſtro duo Phœnices Italiæ noſtræ obtulerint ſeſe oculis tuis, Muſæum tuum illuſtraturi. Et quidem non irritus mihi erit vaticinij ſui Bronzerius noſter, qui neſcioquas Ephemeridas conſulens pronunciavit, Mercurio & Philologiæ hanc conſpirationem fuiſſe cordi. ut videlicet hora combinaret quos ſæcula diſparaverant, ſimiles profectò & geminos patrocinio Artium bonarum, Eloquentiæ Regno, & Patriæ tutela. ille Laurentium ab Athenæo laudatũ ſibi fortè imitandum proponens, doctos viros accerſivit, doctrinarum peritia inclaruit, bonos fovit, Patriam beavit eo ſeculo, quo, & Græciæ fatum Italiam ditavit. At hic noſter ſe unum intuens, infelici hoc ævo, quo nullus propè locus eſt honeſtis artibus, quo ſtudia exulant, quo reginæ Pecunia dominatur, quo ſordes magnatum animos occuparunt, quo beneficentia extremum ſpiritum trahit; hic inquam noſter ad illud ſe faſtigium evexit; ut præſentibus deſperationem ſit incuſſurus, poſteris relicturus invidiã. cuius enim benevolentia erga probos omnes & doctos viros (quotquot Sol aſpicit & Solum ſuſtinet) PATRIO NON CLAUDITUR AGRO, ſed latè conſpicua pervagatur; quid mirum ſi Gloriam eiuſdem nulla unquam ſit ætas ſilentio involutura? Daniel Heinſius corculum illud Sapientiæ & Muſarum, poetico ſtylo, at non poetica ſed hiſtorica fide, in magni viri effigiem canebat.*

Hæc vmbra mentis, cuius inclytum nomen
Perfregit Alpes: non ut Annibal dirus,
Rumpens aceto quidquid obſtitit, ferro:
Sed comitatis laude, amore Muſarum,
Et omnium quos Muſa conſecrat Cœlo.

 Ante-

Antenoris gens, clara civibus tantis,
Tantiſq; alumnis; ſiquid hactenus pulcrum
Tua ex origine, aut propagine eductum
Miratur orbis, arbitror tibi totum
Debetur uni, conſitentibus cunctis.
MOLINUS Orbi natus, omnium eſt unus,
Unius omnes quotquot orbe ſunt toto
Muſis amici, vel ſcientijs culti.

*Et in hac laudatione, quam Phœbus Apollo Vati ſuo dictavit Epiſtolam claudo. tu vale V. Reverendiſs. & cogita, num hac una Imagine. de iſta tua Bibliotheca Lararium feceris. Domi Non. Iun. MDCXXIIX.*

## L. P. BALTHASSARI BONIFACIO Archidiacono Tarviſino viro Reverendiſſimo. Epiſt. XLIV.

Q*Vod tu me alterum* Patavinorum *Livium nuper appellaveris amori in me tuo eſt quod imputem vir Doctiſſime & Reverendiſſime. ego ſanè metior me meo modulo ac pede, neque patior me abripi ab æſtu laudationum illarum, quas amici pleno modio admetiuntur plerumque. Illa tamen, quæ liberali ſtylo, & officioſa ingenuaque Cenſura de Livio noſtro prodidiſti, cum* lac Muſarum, mare tranquillum, animam eloquentiæ *nuncupas, digna ſunt profectò quæ nos* Patavini *plauſu excipiamus, & honore ingenti proſequamur. cum enim Antiquitas ferè omnis noſtratem Hiſtoricum ſuſpexerit, turbulenti homines inceperunt invidere illi hanc gloriam malo exemplo, illumque de faſtigio quod non ita nuper inſederat, deturbare ſunt conati. hos inter excelluit* Paulus *Benius homo Italus, & (quod nemo non miretur) in Gymnaſio noſtro eloquentiç Interpres, qui* Patavij Patavinum *aggreſſus eſt convicijs proſcindere, ſilentibus omnino Civibus noſtris, & ſtrenuè condonantibus actionem Iniuriarum, quam illi intendere debuerant. Benio ego ſuas voces (ut cum* Petronio *dicam) reddere decrevi, citra Livorem tamen &*

*Odium, quorum cauſas procul habeo, unius tamen veri ſtudio, quo nitetur tota ratio diſputationis meæ. Hanc tu ut videas primus comprobeſque, ſi videbitur tanti eſſe, & peto & opto: illorum* Plauti *memor*

Decipitur nemo mea quidem ſententia,

Qui ſuis amicis narrat rectè res ſuas

*At HOC AGAMUS. Verum antequam congrediamur, videamus queſo quid Benium potuerit impellere, ut Livio obtrectaret. Aloyſius Corradinus J. Conſultus inter precipua Urbis noſtre ornamenta (dum vixit) connumeratus, obſervaverat in Livio Lib.* IX. *male habitos Umbros, & conſciſſos Livij magis ſtylo, quam Romanorum armis. Anno ab V. C. CDXLV. narrat illos defeciſſe repente, concitata omni iuventute ſua; & magna parte Etruſcorum ad rebellionem compulſa, tantum exercitum feciſſe, ut ad oppugnandam Romam ituros, magnificè de ſe, ac de Romanis contemptim loquentes, iactarent. verum non reſpondiſſe verbis facta. cum enim caſtra vallantem Conſulem adorti eſſent, Romanos non tamquam in viros aut armatos incurriſſe: ſigna erepta, ſigniferos tractos ad Conſulem, armatoſque milites ex acie in aciem translatos. & cetera ſatis turpia. At Benius Iguvinus fuit, & Iguvium in Umbria. & huc trahebat Corradinus diſſidium Benianum quod profecto non nemo probabit. Veritas enim Mater Odij eſt. que Veritas Annium, Glareanum, Merulam & Bodinum parum equos Livio fecit. Et ut ut hec ſint ſcire oportet, Benio neque Dantem, neque Boccaccium placuiſſe: nullius precij homines dictitanti, quos tam illi qui convixerunt, quam qui vita functos exceperunt ætate, magnis & veris laudibus ſunt proſecuti, hunc Eloquentie cauſa, illum Doctrine. At cominus eſt pugnandum. Et quia Benius aciem in duo cornua diduxit. rerum ſtylique, excipiemus & nos copias hoſtiles agmine bipartito, & primum videbimus de Dionyſij Halicarnaſſenſis induſtria, qua cum Liviana comparatur. Dionyſius gravis ſanè auctor, & cui non minimum debet Hiſtoria Romana, advocat paſſim illios Auctores, quos maieſtas Liviana dedignabatur. Sophoclem exempli gratia*

*tia, Æſchylum, Homerum, Agathyllum, & Græcos aliquot, dignos utique cenſoria illa Livij nota.* Quæ ante conditam condendamve urbem, poeticis magis decora fabulis, quam incorruptis rerum geſtarum monumentis traduntur, ea nec affirmare, nec refellere in animo eſt. *& ipſe Dionyſius alicubi confitetur, nullam de Romanis ad ſua uſque tempora Hiſtoriam a Græcis accuratè ſcriptam extitiſſe: & Romanos ipſos priſci ævi res, compendio narraſſe. ut mirum non ſit Livium noluiſſe fabellis tempus terere, qui & renuit exordiri more Poetarum.* cum bonis potius ominibus, votiſque ac precationibus deorum dearumque ſi ut poetis nobis quoque mos eſſet, libentus inciperemus, ut orſis tanti operis ſucceſſus proſperos darent. *neque vero incuſaverim ego Dionyſium, cuius conſilium fuit, populares ſuos Græcarum narratiuncularum lecythis allicere, ut Hiſtoriam Barbarorum (ita illi Romanos nuncupabant) aliquo loco eſſe paterentur, Et hac de cauſa inſtituit ipſe narrationes, quibus multa complexus eſt inſignia ſanè, & quæ res Romanas noſtro cum fructu illuſtrarunt, veluti rationem ſacrorum, ritum Ludorum, ſeriem Triumphorum, Magiſtratuum inſignia, & huiuſmodi plurima, quæ Livius imbutus opinione Imperij numquam finiendi, & Urbis æternæ futuræ, tamquam obvia, & nota prætermiſit conſultò, & ſuis tantum ſcribens. Quotus enim quiſque eſt, qui nunc Hiſtoriæ novitiæ auctor demittat ſe ſe ad ea calamo exprimenda, quæ oculis uſurpamus? Turca ſanè aliquis, aut Perſa ſi res noſtras hominibus ſuis tradere ſcripto vellet, is profecto & mores, & ritus, & artes, Arma quoque; & Ædificia prolixè, & ambitioſè explicaret. quod & noſtri exequuntur, ſi quando res illorum attingere neceſſe habent. Prodigiorum explicationem, quando hac etiam ex parte nititur Benius Livio invidiam conflare, debuit meminiſſe ipſe Hiſtoriæ profeſſor, fuiſſe magnam partem Romanæ religionis, quod vel pueris ipſis qui Scholas Magiſtrorum terunt compertum eſt. neque profecto Portenta Romanam Hiſtoriam non iuvant, ut fateatur neceſſe eſt, qui Iulij Obſequentis Libellum de* Prodigijs *aliqua cum cura pervolutarit. Quid? quod neque Dionyſius*

*nyſius hiſce abſtinuit ſed notavit accuratè? neque alij omnino Græcorum qui res Romanas attigerunt? Quod vero conciones Livianas carpit non iure facit, ut tu etiam animadvertiſti. ſunt enim illæ conſiliorum atque eventuum fontes, qui Politicum hominem non modo proluunt ad voluptatem ſed & ad profectum ditant ſaluberrimis monitis & exemplis. neque verò Livius Actuarium agebat, ut proinde oporteret recitare illum verbatim quid quis dixiſſet; ſed Hiſtoricum, quorum nemo his attendit, quæ Benius nimis anxiè commentus eſt, de horridiore dicendi genere veterum Latinorum, & de ſermone Locrenſium, & Carthaginenſium. ut valde mihi mirum ſit non exegiſſe ipſum a Livio, ut Punice referret, Plautino more, quæ Legati Pœnorum in Senatu diſſeruiſſent, vel quæ Locri, ſeu quæ Illyrij, patria ipſorum lingua. Quod profectò feſtivum accroama fuiſſet, illi non diſſimile, cuius cum multo riſu Luciani, auctor fuit Creperius Calpurnianus Pompeiopolites qui Hiſtoriæ ſuæ græcè ſcriptæ intexuerat Italicas voces FOSSÆ & PONTIS, ſimiliumque. At quod etiam fidem Livij criminetur, hoc verò eſt odium prodere quo laborabat. Cremutius enim Cordus apud Tacitum Libro* VI. *Annalium, Livium fidei præclarum in primis appellat. Quod Encomium aliorſum ineptè trahit Benius, & contra ipſam Cremutij mentem. veritati enim ſtuduit Livius quam qui maximè, ut rectè animadvertit Hiſtoriæ Phoſphorus & Sol, Gerardus Ioannes Voſius noſter. De inaudito ac monſtruoſo Gigante quod comminiſcitur Benius, ipſi aurem pervellere debuit, ut videret cum quo ipſe congrederetur, & meminiſſet Verborum Vitruvianorum, veluti parricidij damnandos, qui illos vexarent, quorum ab cunctis gentibus ſcripta ſuſpicerentur. At Veritatem Benio potuit indicare ſeries ipſa rerum a Romanis geſtarum. Populus enim Romanus* qui propè quingentis annis domi luctatus, *erat in Italia ſubigenda*; ducentis annis Africam, Europam, Aſiam, totum denique orbem terrarum bellis, victorijſque peragravit, *uti tradidit Florus ipſo initio Libri ſecundi Hiſtoriarum ſuarum. neque verum eſt omnino volviſſe Livium ſcribere Hiſtoriam ab Ilij excidio, & adventu Æneæ, ſed tangere curſim,*

*ſim , & delibare* tantiſper *ut ipſe etiam innuit in Præfatione operis ſui. & vero illa prefatio Libri* I I. Liberi iam hinc populi Romani res pace belloque geſtas, annuos magiſtratus, imperiaque Legum potentiora quam hominum, peragam; *oſtendit feſtinaſſe ipſum, ut ad hæc perveniret Regibus leviter perſtrictis, & quæ ante ipſos Reges. Et debuit Benius, qui nos ad iugera compellit, perpendere, non perinde eſſe Hiſtoriam ſcribere, atque agros decempeda metiri. rerum enim geſtarum diſpoſitio & copia ſcriptorem plerumque eo adigit, ut Voluminibus amplioribus ſpatia occupet illius corporis, quod brevius, & æquius animo complexus erat. Livius ipſe in limine Libri* XXXI. *ita conquiretur*, Me quoque iuvat, velut ipſe in parte laboris, ac periculi fuerim, ad finem belli Punici perveniſſe. nam & ſi profiteri auſum perſcripturum res omnes Romanas, in partibus ſingulis tanti operis fatigari minimè convenit: tamen cum in mentem venit V. & LX. annos (tot enim ſunt a primo Punico ad ſecundum bellum finitum) æque multa volumina occupaſſe mihi, quam occuparint quadringenti LXXXXVI. anni a condita Urbe ad Aupium Claudium Conſulem, qui primum bellum Carthaginienſibus intulit, iam provideo animo, velut qui proximis littori vadis inducti mare pedibus ingrediuntur, quidquid progredior, in vaſtiorem me altitudinem, ac velut profundum invehi & creſcere penè opus, quod prima quæque perficiendo minui videbatur. *Monſtroſus ergo Gigas non Livij, ſed Benij fœtus erit, qui ut Livio convicietur verane obijciat an ſecus nihil penſi habet. Neque partitiones Decadum ab ipſo Livio ſunt, quod profeſſorem Humanitatis ignorare non decebat. antiqui enim Grammatici non Decades, ſed Libros agnoſcunt. At non ſufficiebant tot contorta in Livium tela, niſi etiam tanquam in Patriam ingratus traduceretur. hoc namque molitus eſt Benius in Commentario Lib.* I. *Æneid. cum Virgilius Antenorem conditorem Patavij aſſerat, cur invidit Patriæ ſuæ hanc gloriam Livius? cur duobus verbis, quibus rem totam conteſtari poterat perpercit? Ego ſanè non patriæ odio, ſed ex communi*

*homi-*

*hominum ſenſu hoc feciſſe Livium arbitror. tum quia Patavinum ſe nominare iactantia non caruiſſet, velut etiam Lucianus Hiſtoricum quempiam arguit, qui patriam Miletum laudavit, & hoc quidem in Proemio Hiſtoriæ ſuæ, quod utique noluit facere Livius, ut videmus. tum quia qui Urbem incolebant maieſtati Romanæ hoc deferebant, ut aliam patriam non profiterentur. huiſce rei non ſatis animdverſæ multa tamen extant veſtigia. Iuvenalis municipalem Arenam cum ſtomacho recenſuit alicubi. alibi nominat pannoſo Ædiles vacuarum Ulubrarum. quo pertinent* homines ruſticani ex Municipijs, & Municipia ruſticana *apud Ciceronem non ſemel cuius & illa huc vergunt, Lib.* II. *ad Familia. Epiſt.* XII. urbem mi Rufe cole, & in iſta luce vive. omnis enim peregrinatio, quod ego ab adoleſcentia iudicavi, obſcura & ſordida eſt ijs, quorum induſtria Romæ poteſt illuſtris eſſe. *ad quem ſenſum cecinit etiam Martialis.*

Plus ſanè placeat domina qui natus in urbe eſt.
  Debet enim Gallum vincere verna Liber.

*Neque ſanè voluit Livius aut Gallus aut Venetus audire, qui Romam alteram Patriam iure civitatis nactus erat: Auguſti præſertim familiaris, & Equitis Romani Socer. Qui hominum ſenſus Romæ degentium adeo invaluit tanto poſt Livium, ut Caſſiodorus Variar. Lib.* III. XXI. *non dubitaverit pronunciare,* Piaculi genus eſt, abſentem ſibi Romam diutius facere, qui in ea poſſunt conſtitutis Laribus habitare. *Et inde factum videtur. ut omnes paſſim, qui in Orbe Romano erant Romani appellarentur; nullo diſcrimine locorum, in quibus nati eſſent. Qui tamen Patriæ Domus appellationem reliquerant, ut in antiquis marmoribus legitur DOMO ATESTE, DOMO ALTIN. DOMO ARRETIO, Patriæ vix digna ti.* Roma *enim* communis Patria noſtra eſt, *inquit Modeſtinus. L.* XXXIII. *ff. ad Municipalem, & de Incol. neque aliter Rutilius Numatianus*

Feciſti patriam diverſis gentibus unam.
  Profuit invictis te dominante capi.

*Et hæc eſt ratio cur apud Cornelium Nepotem, Salluſtium, Livium, Plinium nulla Patriæ mentio extet. cum ille Circum-Padanus, Amiterninus ille; alter Patavinus, Veronenſis alter, ſive Novo-Comenſis eſſet. Et hæc quo ad primum aciei cornu. Quod an profligaverimus videbis tu Amice, qui copias Hiſtoricas cum Imperio moderaris, qui nos amas & noſtra, qui Livium Romanæ Hiſtoriæ longè principem nuper aſſeruiſti. Alterum Cornu Benianum Livij ſtilum appetabet, in quo Patavinitatem deprehendere ſibi viſus eſt Aſinius Pollio, ille ſtudio magis Partium, quam Livij æmulatione Patavinis inſenſus. nota autem ſunt quæ Velleius & Macrobius de noſtris, & Aſinio Pollione litteris conſignarunt. hanc Patavinitatem Benius, alibi, ut ſibi quidem videtur oculeus totus, hic ſanè totus totus tenebrio, ad partium Pompeianarum amorem revocat, contra Pollionis & Fabij Quinctiliani mentem. eam, ſiqua fuit, ego fortè primus quod & tu probas, in Originibus noſtris indicavi, ex Quintiliano & Marmoribus vernaculis. Hanc tamen M. Fabius acris cenſor vix admittit, neque dubitat pronunciare de Livio; virum fuiſſe miræ facundiæ; & alibi, in narrando miræ iucunditatis, clariſſimique candoris, in concionibus ſupra quam enarrari poteſt eloquentem; quo nemo dulciores affectus commendarit magis. Neque profecto inconcinnè faceret qui primum omnia Elogia Liviana ſeorſum hinc diſponeret, & illhinc eiuſdem obtrectatores; deinde uſurparet voces M. Æmilij Scauri in cauſa non plane diſſimili,* Varius Sucronenſis Æmilium Scaurum regia mercede corrumptum, Imperium Populi Romani prodidiſſe ait, Æmilius Scaurus huic ſe affinem eſſe culpæ negat. utri creditis? *Verum ne cauſam prodere videamur quod in rebus præſtitimus, hoc idem exſequi conemur in verbis, multo minore diſcrimine. horridum initium appellat Benius*

Facturus ne operæ precium ſim ſi

*& conſtare ait duobus ferme Hexametris integris. atqui nemo unquam leget* ſim ſi, *ſed* ſim; *& ex intervallo* ſi. *veluti illa Salluſtij nemo uno ſpiritu*

Bellum ſcripturus ſum quod

*Et*

*Et vero ego non video ( quod ad Hexametrum attinet) cur non licue-rit Patavino Livio, quod licuit Amiternino Salluſtio . Quintilianus certe omnia Italica pro Romanis habet , Lib.* I. *Cap.* V. *Benius non item . qui etiam criminatur Livianam phraſin* , facere opere precium , *quod neque Ciceroniana ſit , neque Terentiana . at num ideo minus Latina ? affirmet cui cornea fibra eſt . ego utique non affirmabo qui ſciam , linguam latinam debere uni Livio magnam copiam genuinæ Elocutionis quam apud Ciceronem & Terentium fruſtra quærimus . ut iure vocaverit novitius Livij editor , omnis latinitatis refertiſſimum . Jam vero , quod Livij etiam ſtructuram emendare geſtiat , id nullo ferendum videtur . quod tamen condonare poſſumus homini , qui etiam Joanni Boccacio Solœciſmos obiectare ſolitus erat , ut eius orationem perpoliret . Pergit porrò pro Mantiſſa Livium appellare obſcurum, truncum , obtrectatorem , & cuius ſcripta Viri docti excutiant* , ut tantum ſi quomodo poſſint, invidiam vel extinguant vel leniant . *Adeſtote mihi vos Beate Rhenane, & Carole Sigoni , tu Robortelle , tu Lipſi , tu Grutere & quotquot denique Livium illuſtraſtis . num vos hoc prętextu manum admoviſtis candidiſſimo , & politiſſimo Scriptori ? minimè gentium , ſed ut Hiſtoriam Romanam illuſtraretis lumine non aſcito , ut librariarum Harpyarum proluviem elueretis, quæ politiſſimum Auctorem fœdaverant . Quod verò Patavinitas iterum obijciatur , percommodè accidit ut fateatur , Pollionem* per invidentiam ut obſcurè , ſic temerè loqui potuiſſe . *quod ſanè a verbis Quinctiliani non abit Lib.* VIII. *Cap.*I. & in T. Livio miræ facundiæ viro PVTAT ineſſe Pollio Aſinius quandam Patavinitatem . *Progreditur porro Liviomaſtix, ut ingenium non deponat,& noſtrum accuſet velut turgidum , & poeticum in Annibale Alpes perfringere meditante . ego ſanè ignoſco homini , qui nunquam animadverterat quid Hiſtorici de Alpibus tradant , & potuit profecto unus Paulus Jovius Lib.* XV. *Hiſtoriar. hominem docere his verbis ;* tametſi rerum naturæ opifex altiore conſilio denſiſſimos ſaltus , prææltos exeſoſque vertices , & abruptas valium crepidines , in nivoſa illa atque

horribili rupium mole poſuerit, queis mortales ab acceſſu terrerentur. *& eodem Libro, Galli ducente Triultio, Alpes traijcientes potuerunt fidem facere Benio, Livium vera tradere, neque poeticum quid meditari. Polybius certè narrat, nuncios Annibali retuliſſe, Alpium iuga magno illa quidem labore, & multis cum difficultatibus ſuperatum iri. & hæc Hiſtoriarum Libro* III. *Splendorem vero Orationis quem alij ſuſpiciunt, pergit Benius impetere, telis etiam petitis ex ipſo Quinctiliano Lib.* x. *Cap.* I. *qui tamen uſque adeò Livium non voluit impugnare, ut ibidem LACTEÆ LIVIJ UBERTATIS voluerit meminiſſe. Velut etiam alias illud* Facturuſne operæ precium ſim, *excuſandum ſibi ſumpſit exemplo Bruti, Aſinij Pollionis, Saluſtij, Ciceronis, Platonis & aliorum.*

At nunc tempus Equum fumanita ſolvere colla,
*Ut finem aliquando imponamus Epiſtolæ, quæ iam magnitudine (ut dicam more Liviano) laborat ſua. Tu amice, qui non ideo minus colis Principem Hiſtoricorum, quod in eum incurſaverit Benius, hæc mea tibi habe, commendatiora utique futura ſub patrocinio nominis tui. Ego ſanè hanc qualemcunque opellam navavi lubens Viro illi, qui auctoritate ſua, & omnium ætatum iudicio tutus, defenſione non eget. Quod profectò ab homine mentis bene ſanæ & eruditionis non vulgaris Franciſco Florido Sabino pronunciatum, iugulare potuit iſtos omnes, qui bonos Auctores adeo geſtiunt impetere maledictis, ut etiam Virtutes pro Vitijs pergant obiectare.* Quotus enim quiſque hodie vivit (*inquit ille*) qui non ſibi cenſuram in ſcriptores, quaſi à dijs immortalibus demandatam, arbitretur? Ut enim de aliquibus toleretur Iudicium, quiſnam hoc tempore de Cicerone, Livio, Salluſtio Terentio Varrone, Cornelio Celſo, Plauto, Terentio, Virgilio, Horatio, Lucretio, Ovidio, Catullo, Tibullo, Propertio, ceteriſque ſimilibus aliquid in ſiniſtram partem, ſine magno ſcelere decernere audeat? Quorum ſcripta orbi probatiſſima ſemper fuere, & à nullo adhuc ſatis digne laudata? *Hæc ille neque ego plura. tu vale & ſeculum noſtrum lucubrationibus tuis illuſtra ut facis.*

*Patavij. MDCXXVII.* L. P.

## L. P. SIGISMUNDO BOLDONIO In Accademia Ticinenſi Philoſophiæ Interpreti Accuratiſſimo. Epiſt. XLV.

*Abs te, qui iſthic magna cum tui nominis prædicatione publicè doces, cupio doceri & ego Vir doctiſſime, & amiciſſime: neque tu (ſat ſcio) hoc muneris detrectabis: Eruditio enim ab humanitate non exulat. Lectum mihi eſt apud Cornelium Nepotem, quem vulgo appellant Æmilium Probum*; ibi cum amici (*Ageſilaum*) quo Spartam facilius perferre poſſent, quod Mel non habebant, cera circunfuderunt, atque ita domum retulerunt. *Quæ eadem repetit Gemiſtus Plethon, Lib.* I. *de Geſtis Græcorum poſt pugnam ad Mantineam. Quæ ceræ circumfuſio ad Perſas olim etiam attinuit, quemadmodum notavit eruditiſſimus Petr. Victorius, Variarum Lib.* x. *Cap.* VI. *At hic Mellis uſus notus etiam fuit Lucretio Lib.* III. *cuius hi ſunt elegantiſſimi verſus*;

Nam ſi in morte malum eſt, malis morſuq; ferarum
Tractari: non invenio qui non ſit accerbum
Ignibus impoſitum calidis torreſcere flammis;
Aut in Melle ſitum ſuffocari, atque rigere
Frigore, cum in ſummo gelidi cubat æquore ſaxi;
Urgerive ſupernæ obtrium pondere terræ.

*ubi Dionyſius Lambinus notat ex Lib.* V. *Hiſtoriar. Xenophontis, Ageſipolin Regem vita functum Melle oblitum, domum deportatum fuiſſe. quam funeris condituram Lacedæmoniis familiarem fuiſſe hæc Auctorum teſtimonia evincunt; Cornelii videlicet Nepotis, Xenophontiſque. Verum hoc inſtitutum manaſſe a Democrito Abderite teſtis eſt Varro apud Nonium Marcellum, in* Vulgus. quare Heraclides Ponticus plus ſapit, qui præcepit ut comburerent, quàm Democritus, qui ut in Melle ſervarent: quem ſi vulgus ſecutus eſſet, peream, ſi centum denarijs calicem Mulſi emere poſſimus. *Et hæc ſanè omnia confirmat Plinius Lib.* VII.

*Cap.*

*Cap.* III. *ſcribens vidiſſe ſe allatum ex Ægypto ad Claudium Cæſarem Hippo-Centaurum in Melle. nec non & Columella Lib.* XII. *Cap.* XLV. *qui ſcribit exanimum corpus hominis per annos plurimos in Melle ſervari. Verum, quid quæſo te, habet Mel, ut hoc poſſit efficere? An quia aereum eſt, ut inquit princeps Poetarum.*

Protinus aerij Mellis cœleſtia dona.

*ideoque* Cœli ſudor, ſiderum ſaliva, purgantis ſe aeris ſuccus *appellatur a Petro Bellonio Lib.* I. *de arboribus coniferis p.* 10. *qui hæc a Plinio Lib.* XI. *Cap.* XII. *mutua ſumpſit? An vero quia Ceram matrem agnoſcit, uti ſcribit Atheneus Lib.* XIV.? *Cera autem cadavera ſervabat, ut vidimus. An autem quod* ea Mellis eſt natura, (*ut inquit Columella loco citato*) ut coerceat vitia nec ſerpere ea patiatur? *An poſtremo, quod Mel ſit aridæ facultatis, tradente ſic Macrobio Lib.* VII. *Saturn. Cap.* XII.? nam quæ udanda ſunt corporis (*inquit Diſarius*) vino foventur; quæ ſiccanda ſunt, melle detergentur. *Qui Diſariuis (ſi per te nunc mihi critico eſſe licet) reponendus eſt apud Symmachum Lib.* III. *Epiſt.* XXXVII. *in principio ubi legitur*, Diſanus clariſſimus vir, qui inter profeſſores medendi ſummatem iure obtinet locum. &c. *lego enim* Diſarius. *Tu modo, quem Natura nihil arcanorum ſuorum cœlavit, mellito iſto tuo Epiſtolico charactere, ſententiam tuam de hac vi Mellis reſcribe, ubi commodum erit. Interim, velim a te fieri certior (quando non ſatis eſt ſemel frontem perfricuiſſe) num veſter Ticinus etiam nunc aureas arenas ferat, & an legantur, & quo proventu. veſtras quidem Bernardus Saccus affirmat, & Notitia urbium apud me manuſcr. anonymi Auctoris, cuius hæc ſunt,* Ticinus autem fluvius dictus eſt quaſi Taginus, ut quidam volunt a Tago fluvio aurifluo. cuius & hic naturam imitatur, ſolum habens, in quo plus ceteris Italiæ Aurum colligitur. *operoſum, ſanè, & ridiculum Etymon, cuiuſmodi multa afferuntur ab Italicarum rerum neſcio quibus barbaris ſcriptoribus. Vale, & Clariſſimum Campegium meo nomine ſaluta. Patavii. MDCXXVII.*

L. P.

## L. P. FRANCISCO A SOLE Canonico Patavino Viro Reverendiſſimo. Epiſt. XLVI.

*Humanitas tua quam pulcrè incedit cum nomine tuo gentilitio Vir Reverendiſſime! ſicut enim Sol* dux & princeps & moderator luminum reliquorum, mens Mundi & temperatio, *trahit ad ſe terræ halitus; ſic tu humanitate omnium affectus. Ego ſanè me tibi obſtrictum longa ſerie beneficiorum niſi fatear, omnem prorſus humanitatem exuero: adeo tu omnes beneficentiæ numeros, qua ope, qua conſilio, qua factis erga me obiviſti. Verum hæc alias: quando hic non eſt campus in quo pro dignitate præconiorum tuorum ſpatiari mea poſſit oratio: & ſi poſſet, tu id non paterere.*

— qui mitis, & acri
Aſperitate carens, poſitoque per omnia faſtu,
Inter ut æquales unus numeraris amicos:
Obſequiumque doces & amorem quæris amando.

*At nunc e re nata facere non poſſum, quin meritorum ſaltem tuorum limen te indulgente, curſim attingam. Antenoris Herois noſtri quod res fortiter & feliciter geſtas penicillo exprimi curaveris, in ornatum Aulæ tuę; eſt ſanè quod tibi privatim & publicè Patavij debeamus. argumentum enim ante hac omnino; intactum tu primus expoſuiſti oculis omnium, maiorum noſtrorum accuratam ſolertiam exactè imitatus, qui Hiſtorias coloribus exprimi, ne ſolis ſcriptoribus cederet ea laus, voluere. At quod illi Templis & Porticibus ſacrabant, tu domi tuæ extare voluiſti: ut præires exemplo nobili Civibus tuis, qui non aliunde petitis argumentis opus habent, ut Pictoribus materiam præbeant, ſed vernacula & nativa exempla ipſis etiam Romanis rerum dominis ( abſit verbo invidia ) poſſunt ſuppeditare. At Periochas Picturæ iſtius quas imperaſti, ſingulis Monoſtichis concluſas, ut etiam antiqui factitarunt, nunc ad te mitto. tu ſi placebunt curabis apponi. ego ſanè ſtudui brevitati, & facti exhibitioni, æmulatus quoad licuit Iliadem duci incluſam.*

Troia

I.

Troia ruit flammis, fatiſque urgetur iniquis.

II.

Navigium inſtruitur, Superique in vota vocantur.

III.

Troianam Pallas tutatur ab æthere claſſem.

IIII.

Excipit hoſpitio feſſos Parnaſſia Phocis.

V.

Pugio Phoebe tibi veteres ſacratur ad aras.

VI.

Diſijcit ipſa rates toto Iuno effera ponto.

VII.

Traijcere alta novem æquo rei datur ora Timavi.

VIII.

Certam Socij feriunt mare, & æquora verrunt.

IX.

Littus in Euganeum Venetum manus emicat ardens.

X.

Ferratas acies Antenor ductat in hoſtes.

XI.

Decernunt bello duro ſub Marte cadentes.

XII.

Hic odijs acti ſubeunt bella aſpera Reges.

XIII.

Antenore Veleſi ſpolijs exultat opimis.

XIV.

Hic ſocijs urbem victor deſignat aratro.

XV.

Urbis fervet opus, fundataque mœnia ſurgunt.

XVI.

Moenia ſublimi invehitur Patavina triumpho.

*Et hæc quidem omnia compendio dicta ſunt, ut vides. verum non eodem compendio dicere poſſim merita in me tua vir Reverendiſſime, quem opto valere diu, & perennare. Domi MDCXXVII.*

## L. P. HIERONYMO BOSSO
In Palatina Mediol. Acad. Regio & Primario Eloq. Profeſſori Eruditiſſimo. Epiſt. XLVII.

*QUando non licuit mihi V. Cl. videre Iano-Tatium tuum, quamvis efflagitante ampliſſimo viro, qui Litteris noſtris Genium inſpirat,* Dominico Molino, *illum non ſemel exquiſiverim, decrevi ego ad te mittere Stipem chartaceam, quam vides, Muhammedis ludos imitatus, qui ſerio ad Montes itabat, quando illi eiuſdem iuſſa exequi detrectabant. Et profectò non facilè tibi dixerim quo deſiderio flagraverim videndi Commentarium tuum, qui ſciam quam ſis inſtructus ingenuis artibus, quam accuratus, quam felix in dicendo, quam in docendo perſpicuus. verum mihi non licuit eſſe tam fortunato. At tu qui Apollinem audis & hunc Marſyam ne reſpue. Strenæ ab antiquiſſima origine fuerunt. Symmachus Lib.* X. *Epiſt.* XX. Calendas anni auſpices, quibus Menſium recurſus aperitur, impertiendis Strenis dicauit Antiquitas. *Idem Epiſt.* XXVIII. *eiuſdem Libri*; Ab exortu penè Urbis Martiæ Strenarum uſus adolevit, authoritate Tatij Regis: qui verbenas felicis arboris ex luco Streniæ, anni novi auſpices, primus accepit. *De Arbore felici ego vaticinium non profitebor. indicabo tantum loca Auctorum, e quibus poſſit indagari. Feſti, Plinij Lib.* XVI. *Cap.* XXVI. *Macrobii Lib.* II. *Saturn. Cap.* XVI. *Et fortè eo alluſit Propertius Lib.* VI. *El.* IV.

Lucus erat felix ederoſo conditus antro
  Multaque nativis obſtrepit arbor aquis.
Silvani ramoſa domus, quo dulcis ab æſtu
  Fiſtula poturas ire iubebat oves.
Nunc Tatius fontem vallo præcingit acerno,

P Fida-

Fidaque ſuggeſta caſtra coronat humo.

*illud certum eſt hoc nomine fuiſſe apud Helvetios oppidum ex Ammiano, Antonino, & recentioribus. Strenuę porrò Deæ, ut revertamur, meminit & D. Auguſtinus Lib.* IV. *de Civitate Dei Cap.* XI. *&* XVI. *Strenam vero non a Strenua Strenìave Dea deducit Feſtus, ſed aliunde.* Strenam vocamus (*inquit ille*) quæ datur die religioſo, ominis boni gratia à numero, quo ſignificatur alterum tertiumque venturum ſimilis commodi; veluti trenam, præpoſita S Littera, ut in loco & lite ſolebant antiqui. *Dies dictus huic lucro, quem religioſum appellat Feſtus, fuit velut etiam nunc eſt, Calendarium Januariarum; ut diſertè ſcribit Tertullianus in Lib. de Idolatria,* nobis quibus Sabbata extranea ſunt, & Neomenia, & feriæ a Deo aliquando dilectæ, Saturnalia, Ianuariæ, & Brumæ, & Matronales frequentantur, munera commeant, ſtrenæ conſonant, luſus, convivia conſtrepunt. *& has* Januarias *paulò ſuperius Calendas Januarias appellavit;* nimirum Saturnalia, & Calendas Januarias celebrans hominibus placebat. *pręterea Caſſiodorum Lib.* V. *form.* VII. *& Prudentium Lib.* I. *adverſ. Symmachum, qui* Feſta Calendarum *vocat. Notandum autem eſt non ſolum ex mente Tertulliani, quę liquido apparet ex Libro citato, verum etiam ex aliorum Patrum ſententia, vetitas fuiſſe Chriſtianis maioribus noſtris Strenas. D. Hieronymus apud Gratianum Cap.* V. XXXVII. d. & quod in Corbonam pro peccato virgo vel vidua, vel totam ſubſtantiam ſuam effundens quilibet pauper obtulerat, hoc in Kalendariam Strenam; & Saturnalitium ſportulam; & Minervale munus Grammaticus & Orator, aut in ſumptus domeſticos templi ſtipes, aut in ſordida ſcorta convertit, *Et hoc ideo quia boni Fati augurium habebatur* XXVI. *Q. ult. ad quem locum videndus Antonius Auguſtinus profanæ & Eccleſiaſticæ Antiquitatis peritiſſimus, Libro poſteriore de emendatione Gratiani, Dial.* I. *à quo diſcimus Kalendis Januarij, Romæ olim fuiſſe in uſu poſitum, ut Menſas ponerent, choreas ducerent, & cantiones ſacrilegas acclamarent. Verum*

*ut ut*

*ut ut Religio noſtra hęc inbibuerit, obtinente tamen conſuetudine, Strenę permanſerunt ad noſtra uſque tempora, & Romę præſertim, ubi infimi à ſummatibus accipiunt. antiquitus etiam Cęſares rerum domini accipiebant. Suetonius Auguſto Cap.* LVII. Item Kalendis Januarijs Strenam in Capitolio etiam abſenti. *Idem Caligula Cap.* XLII. edixit & Strenas ineunte anno ſe recepturum: ſtetitque in veſtibulo ædium Kal. Januarij ad captandas ſtipes, quas plenis ante eum manibus, ac ſinu omnis generis turba fundebat. *privati invicem accipiebant, & mutuas miſſitabant. quocirca Strenarum commercium appellat Suetonius Tiberio Cap.* XXXIV. quotidiana oſcula prohibuit edicto; item Strenarum commercium, ne ultra Kalendas Januarias exerceretur. conſueverat & quadruplam Strenam, & de manu reddere: ſed offenſus interpellari ſe toto menſe ab ijs, qui poteſtatem ſui die feſto non habuiſſent, ultra non reddidit. *diem feſtum vocat Suetonius, quem diem Religioſum Feſtus, & Feſta Calendarum Symmachus. Munuſcula autem, quæ ultro citroque miſſitabantur fuerunt primitus Stipes. Ovidius in* I. *Faſtor.*

Tu tamen auſpicium ſi ſit ſtipis utile quæris;
Curque iuvent noſtras æra vetuſta manus.
Æra dabant olim —

*Palmę, Carycę, mella, Caryotę. Ovidius.*

Quod vult Palma ſibi, rugoſaque Carica dixi,
Et data ſub niveo condita mella cado?

*Martialis Lib.* VIII. XXXIII.

Hoc linitur ſputo Jani Caryota Calendis,
Quam fert cum parvo ſordidus aſſe cliens.

*& Lib.* XIII. XXVII.

Aurea porrigitur Jani Caryota Calendis.
Sed tamen hoc munus pauperis eſſe ſolet.

*Stipi vero ſucceſſit Aurum. Ovidius loco citato*

Æra dabant olim; melius nunc omen in auro eſt;
Victaque conceſſit priſca moneta novæ.

*Quod & tanto poſt Ovidium tempore obtinuit. Symmachus enim Epiſtola* XXVII. *cuius meminimus, hęc habet;* merito vobis ſolemnes pateras cum quinis ſolidis, ut numinibus integritatis offerimus. *pręter hęc calendis Januarij, quod etiam hodie ab aliquibus fit, ſuas quilibet Artes auſpicabatur. Ovidius.*

Quiſque ſuas artes ob idem delibat agendo,
Nec plus quam ſolitum teſtificatur opus.

*Lęta etiam verba dicebantur, & preces dabantur, accipiebanturque alterne. Ovidius.*

At cur læta tuis dicuntur verba Calendis?
Et damus alternas, accipimuſque preces?

*Et hinc dubio procul ad nos venerunt* le bone Feſte, & il bon capo d'anno, *ut Italicè vocamus. Plinius inſinuavit Lib.* XXIIX. *Cap.* II. cur enim primum anni incipientis diem lętis precationibus invicem fauſtum ominamur? *Romę hodie, ut diximus, Strenæ Kal. Januarij ſtrenuè exercentur. & qui plura volet videre, Conſulat Ambroſium Novidium ſacrorum Faſtorum Lib.* I. *Num autem in ſtrenis modus aliquis, quoad numerum Solidorum obſervaretur, animadvertant doctiores. ego ſanè apud Symmachum animadverti quinos illos ſolidos, & penes Trebellium Pollionem in Vita Claudij Auguſti adſignatos illi fuiſſe, dum eſſet Tribunus,* in Strenis quadraginta ſeptem Philippeos, & trientes centum ſexaginta. *At de Bruma quid dicemus? Ovidius videtur reijcere in Kalendas Januarias.*

Bruma novi prima eſt veteriſq; noviſſima Solis
Principium capiunt Phœbus. & annus idem.

*alij vero ſtatuunt circa Saturnalia, & rectius.*

*Quod nos Strenam* bonam manum *vocemus in promptu eſt originatio. manu enim dabatur ut vidimus. At me ineptum, qui Poma Alcinoo ut aiunt. Te enim hęc accuratius, ęlegantiuſque pertractaſſe*

Et reor: & ſi quid veri menus augurat, opto.

*Tu vale. Patavij Kal. Januarij. MDCXXIIX.*

L. P.

## L. P. HIERONYMO ALEANDRO Franciſco Cardinali Barberino ab Epiſtolis Latinis, Viro Reverendiſſimo. Epiſt. XLVIII.

*APes Dianias vidi, quas ad me miſiſti Vir Reverendiſſime. & non potuit non placere argumentum politis carminibus expreſſum; & notis eruditis illuſtratum. Verum ad eundem ſcopum quo minus collinearem mihi non potui temperare, quando & Aceſtes Virgilianus amiſſa palma,*

— tamen æthereas telum contorſit in auras,
Oſtentans artem pariter, arcumque ſonantem.

*Athenæ namque Atticę, illę frugum & humanitatis parentes, ex reſponſis Apollinis Delphici, tredecim Colonias uno tempore in Aſiam deduxerunt, Duce Jone Xuthi, & Creuſę filio, uti Vitruvius Lib.* IV. *Cap.* I. *teſtatum reliquit, cui adſtipulatur & Velleius Paterculus* Lib. I. *Hiſt. Claſſis autem duces fuerunt Muſæ ſub Apum ſpecie, ut inquit Philoſtratus in Melete. Coloniarum vero illarum primaria fuit Epheſus Vitruvio & Paterculo teſtibus; celeberrima illa Chriſtianorum primitivo conventu Actor. Apoſt.* XX. *& Joannis Evangeliſtæ mora, & morte; maximum illud Aſię emporium, ut ait Lib.* XIV. *Strabo quod attingere Proconſuli in Aſiam proficiſcenti neceſſarium fuit ut ſcribit Ulpianus, L.* IV. *de Off. Proc. & Leg. quodque frequens eſt apud J. Conſultos in facti ut appellant ſpeciebus. ideo Epheſij Apis imagine Nummos ſuos ſignarunt, & celeberrimis Dianæ ſymbolis.*




vo-

*voluerunt quippe rependere beneficium Muſis, illuſtri hac & diu manſura teſtificatione. Quænam vero fuerit hæc ſpecies Apum neminem vidi qui explicaret. ego ſanè arbitror fuiſſe examen, ut vocabant, quod contra Haruſpicum vanitatem, proſperum etiam aliquando fuiſſe teſtatus eſt Plinius. Lib.* XI. *Cap.* XVII. *erant enim Apes Coloniarum emiſſarum notæ, ut ex Platone & Æliano a viris eruditis pridem annotatum eſt. Varro doctiſſimus Togatorum;* cum examen exiturum eſt, quod fieri ſolet cum adnatæ proſpere ſunt multæ, ac progeniem veteres emittere volunt in coloniam, ut olim crebro Sabini factitaverunt, propter multitudinem Liberorum, huius quod duo ſolent præire ſigna, ſcitur. *Et hoc Symbolum Apis adeo celebre fuit, ut Smyrnæi, qui, cum genus Atticum iactarent, & Theſeo Smyrnaque gloriarentur; Regis tamen Attali, & Arſinoes beneficio inter Jonas recepti, illud ſuis nummis adiecerint, una cum Tripode. Tripus enim & Muſis ſacer fuit, ut ex facto Heſiodi luculenter oſtendit Varro apud Agellium. Lib.* III. *Cap.* XI.




*Et ea Smyrnæ laus fuit, ut Muſarum, & Gratiarum chori, ipſam perpetuo peragrarent. quo ſpectat precatio Apollonij Tyanæi, Lib.* IV. *in princ.* vos autem Muſæ, illis interim, ut ſe ſe invicem ament, concedite. *quocirca Muſas omnes, non unam aliquam invocavit Q. Smyrnæus, Lib.* XII. 62. *Græcorum duces recenſiturus, qui in Equum Durium ſe abdiderunt. Neque ſanè decebat Muſas non habitare Smyrnæ, quæ patria Homero fuit, parentibus Melete amne, & Critheide Nimpha, ut quidem habent Nummi veteres, & Philoſtratus cum Arnobio.*

Nea-




*Neapolitani & ipſi ex Italia noſtra, ut genus ſuũ ad Athenienſes referrent, quod non omiſit Strabo, Lib.v. Minotauro & Apenomiſmata percuſſerunt. Quod ſanè viderunt Hubertus Goltzius & Ulyſſes Aldrovandus, quem politiſſimo carmine beavit Beatiſſimus D. N. URBANUS. Ille tamen ut ad alia properabat, ad hæc minus attendere eſt viſus. bene ſit optimi ſenis laudatis Manius, per quem conſecuti ſumus, ut non invideamus Græciæ vel Latio antiquos illos Naturæ Myſteriorum perſcrutatores. & ſunt qui tantum virum plagij inſimulare audeant. quaſi non Ariſtoteles, Plinus, & Athenæus, & aliorum ſcrinia turpius compilarint. lævi planè homines, & quos urit ſplendor Italicæ gloriæ. at ſinamus Apius aculeos ſuos. Meſanenſes, Bruttij & Metapontini, quos Aldrovandus produxit, eodem ni fallor reſpexerunt. Athenienſes enim in Italiam & Siciliam colonos non ſemel emiſerunt, ut potè maris cum Lacedemonijs, alternis vicibus potentes. Verum hæc omnia conniſus eſt oppugnare Vir doctiſſimus & accuratiſſimus I. Lipſius. is enim in notis ad Velleium Paterculum negat diſertè Ionem Xuthi fuiſſe conditorem Urbium Ionicarum. hanc enim migrationem ſpectare ad Nileum, & Codridas. hoc ille probat auctoritate Strabonis, Pauſaniæ, Plutarchi, Tertulliani, Ammiani: quos ego ſanè omnes præ Nummis veteribus, Herodoto, Vitruvio, & Velleio, parviſacio. Hæc ideo ad te pluribus Vir Reverendiſſime quia tu mihi in hiſce omnibus Cortina Muſarum es. Vale & amantem ama. Patavij Menſe Auguſto, MDCXXVIII.*

L. P.

## L. P. AUGUSTINO FAUSTINO J. C. Amico Optimæ Notæ. Epiſt. XLIX.

E*Ditionem, quam iugiter ornas* Legum Langobardicarum, *nos omnes avidè opperimur Vir præſtantiſſime. Tu modo memineris partem laudis eſſe tollere aliquando manum de Tabula, & corrumpi venuſtatem formoſæ faciei nimia quandoque cura. Interim, quod attinet ad iſthæc ipſa, quę prę manibus habes, quęſo te perpende hoc unum, mihi non dum probè cognitum.* Leges Langobardorum *Bonaventura Vultanius vir de bonis Litteris optimè meritus in Gloſſarijs ſui arbitratus eſt nominatas fuiſſe* Andecabeones, *vel* Auricabeones. *quod & placuit doctiſſimo anonymo; qui concinnavit Scholia ad Paulum Uvarnefridum, de Geſtis Langob. ad pag.* CLIV. *imo, & Matthias Martinius in Lexico Philologico hoc nuper confirmavit, adiecto etiam etymo, petito ex Lingua Germanica. Vulcanius, & Pauli Scholiaſtes hæc ſe aiunt reperiſſe in veteribus Gloſſarijs, uti ſanè reperiuntur. memini enim ego videre me in Codice antiquo manu euarato apud Joannem Manganum noſtrum hæc diſertè perſcripta.* Andecabeo & Auricabeo Lex Longobardorum. *Verum ego non ita facilè aſſentior, qui Gloſſarijs parum fidere a doctis Viris didicerim. ſunt enim in illis plumbea pleraque aureis permixta. Et ſanè is, qui Capitulari Caroli Magni (non genuino tamen, ſed inter polato in uſum Regni Neapolitani, quod inſcripſerunt Leges Longobardorum ediderunteque Venetijs anno* MDXXXVII.) *is inquam qui huic Libro expoſitionem vocabulorum præfixit Joannes Baptiſta Nenna Barenſis, cum ſingulorum verborum interpretationem apponat, quorundam tamen minimè appoſuit, contentus indicaſſe loca, unde peti poſſet. itaque* andigaverit & arrigaverit *quid ſibi velint declaturus, citat L.* libertus homo. *de ſucceſſionibus quæ eſt in corpore ut dicunt Capitularis Pag.* 121. *ubi hęc ſcripta ſunt*, & ſi caſu faciente ſine heredibus mortuus fuerit, & antea iudicaverit res ſuas proprias, ſe vivente, id eſt andigaverit, & arrigaverit, ſecundum Legem Longobardorum habeat cui donaverit. *quo etiam pacto legit is, quem verè Nomophilacem veterum*

Legum

*Legum appellare poſſumus*, *doctiſſimus* Lindembrogius, *Libro* II. *Legis Longob. Tit.* XIV. L. XVII *niſi quoad pro* andigaverit *habet* andegaverit. *Neq; ſanè videtur repugnare vox aliter ſcripta atq; aliter. hoc enim arguit hæſitationē ſcribentiū, qui pingebant ſiquid non intellexerant. Vulcanio enim eſt* Anclabeo, *apud Manganū fuit* Andecabeo. *& ipſa verba* Legis XVII. *in vetere Editione Baſilienſi, Tit.* XCI. *de Manumiſſionibus* §. XI. *ita habuerunt.* Et ſi caſu faciēte ſine heredibus mortuus fuerit & antea iudicaverit res ſuas proprias vivente ſe, id eſt Andigavero, & andegaverit ſecundum Legem Longobardorū, habeat cui donaverit. *Quod verbi (quidquid illud tandē ſit) illuſtrant verba veteris Gloſsæ apud Lindembrogium*, Andigavum ideſt in ſanitate. Artigavum in infirmitate. *Ego in re ancipiti quid accipiam porrigamve non habeo. tu Amice huic veſtigationi horulam ſi vacat impende. & magnorum Regum monumenta (Leges inquam) iam tandem ut evolent permitte. Longobardorum enim memoriæ nos favere par eſt, quando* præclariſſimi quiq; Libri (*ut ſcribit Franciſcus Robortellus, in diſputatione de ratione corrigendi antiquorū Libros*) ab illis deſcripti fuerunt. *concluditq;* mirum dictu, illis Libris nihil emendatius nihil purius. *At hæc ſatis. tu vale a me, & a Sandellio. Patavij. MDCXXVIII.*

L. P. JOANNI Z. CASTELLINO
Viro Eruditiſſimo. Epiſt. L.

P*Ermoleſtum mihi fuit quod nuper ex Litteris tuis percepi laborare te ex oculis. qui ſanè morbus me etiam afflixit & aliquandiu & non ſemel. ex quo capite Phœbo olim magnam invidiam conflare anniſus eſt Italicæ eruditionis, & Epiſcopalis apicis (dum vixit) clariſſimum decus*, Aloyſius Lollinus *Epiſcopus Bellunenſis, cuius verſiculos humanitatis pleniſſimos hic appono, non quidem mea cauſa, verum ut in conſpectu ſit Epigramma cultum, nitidum, & omnibus numeris omnino abſolutum.*

Phœbe tuum crimen Laurenti lumina noctem
Non hanc, Telluris quam vehit umbra, timent;
Sed luci haud ulli ceſſuram, Aurora coruſcum
Sive iubar reddat, ſeu facula uſta ferat.

Dij meliora; ſacros ſervet tutela Poetas
  Veſtra diu; hoc ratio poſtulat hoc pietas.
Ut quos carpit amor ſtudiorum, & cura fatigat
  His acie obtingat vividiore frui.

*Hæc ille Anno MDCXXI. cuius politiſſimas Lucubrationes quæ Remora hucuſque attigerit, quo minus videantur, legantur, & ſummo cum Eruditorum plauſu excipiantur, ego non ſcio & docti haut ſatis æquo animo ferunt. Verum patere tu quæſo (quando in hæc incidimus) ut Anagnoſtes tuus habeat in quo ſe exerceat, ut aures tuæ vices ſuppleant oculorum, ut memoriæ conſulatur doctiſſimi Antiſtitis, quem ego arbitror nunc e cœlo impenſe ridere inanitates curarum noſtrarum, qui malumus argui heredes ut inofficioſos, quam Editiones noſtras, dum vita ſuppetit, curare. celebraveram ego illuſtriſſimorum Maximi & Silveſtri Valeriorum fratrum laudes, quorum altero Patavina Præfectura perfuncto, alter eamdem illico auſpicabatur*

O propera furvo mœſtum caput abdere amictu
  Qui Patavi adlambis mœnia Medoace.
Nam quo clarebas VALERI de ſanguine magno
  Auguſtam advehitur MAXIMVS in patriam.
At tu diſperſos o collige frontis honores
  Nympharum Euganidum gloria Medoace,
Nam dabitur tibi mox fratri ſuccedere fratrem,
  Quem Veneti appelles delicias generis.
O ſecli decus eximium! o par nobile fratrum!
  Maiora o Ledæ nomina pignoribus!
Excipit occiduum exoriens nam Caſtora Pollux;
  At vos fulgetis lumine inocciduo.

*Vidit ille, & repoſuit mihi illico hæc carmina, quæ nulla auctoris culpa, ſed nonnullo laudati pudore huc uſque delituerunt*

Ingenti obſtrictum tenuit me pignore, Phœbi
  Muſarumque recens gloria Pignorius;
Quod noſtri ſtudioſus, amans quod fidus honeſti eſt
  Quod Latio & Tuſco cognitus eloquio.
Nunc ſuo in ære ſiem ut totus, facit aurea vena,

in

In laudes fratrum quæ fluit Adriacum.
Quorum ego amore avidam tam mentem oblecto, voluptas
Præcipua illectum quam ſua quemque tenet.
Quorum ego honore adeo afficior, magis ut ſuus ullum,
Qui venit a dignis, haud honor afficiat.

*Communicavit autem illa mihi Octavianus Bonus ampliſſimus Senator, cuius fato functi memoria apud me erit iugiter ſacra & ſancta. eiuſdem venæ ſunt Elegi, quos ille ad me miſit cum hac præfatiuncula.* lege ſodes exiguos Elegos, quos ad te mittimus, & quę in eis cenſura digna videbũtur, dele. cõmeruiſse eos hanc pœnam dixero, qui ſecundum tuos luci ſe credere ſint auſi ita audacter. *mei autem Elegi fuerant Proſopopeia Aldinæ Catellæ.*

Senectutis exoptatæ incommoda.

Urget anus Polemonem ætas; vireſque lacertis
Longè abigit: facies admonet ipſa rogi,
Vomere arat quam ruga gravi; color inficit atro
Si luteum admiſces, qualis in Æthyope eſt.
Pondus inane humeros iam deprimit, ilicet annos
Præteritos quidni pondus inane vocem?
Senſus habet non unus. agit non cæca tenebras
Nox oculis furuas, aridulum at ſenium.
Haud aliter Citharæ ad ſtrepitus obſurduit auris,
Quàm vel velivoli littora curva maris;
Vel Libyæ in vaſtis Aſpis nutritus arenis,
Serpentum narrant feruere ubi omne genu,
Exarmatus hiat vacui ſpecus oris, apertis
Unde volat valuis multiloquum eloquium.
Nam cohibere queat quis verba volucribus alis
Prædita, ne effracto carcere proſiliant?
Ætatis crimen fuerit non moris, abundans
Sermo ſenum, cunctis tædia longa ferens.
Aut verbis alas natura abſcinde, molares
Aut validos Pylijs provida reſtitue:
Aut vitio ne verte, loquax ſi lingua moratur
Hunc modò, nunc illum nunc alium, atque alium.
His accedit humo obtutus defixus, in horas

Non ſecus ac ſtygium ſi meditetur iter
Non pede iter calcandum; agilis nam deſijt eſſe.
Ex quo correptum tarda podagra premit,
Sed veſpillonum lectica, ſollicita anceps
Nec minus interea computat æra manu,
Non ferrugineæ quæ poſcit navita cymbæ
Vectores nauli nomine pauca Charon;
Sed congeſta diu, & fiſcos ruptura tumentes,
Hæredis ſubitam ni ferat alea opem,
Hæc ſtudia, hæc ſpecies properantis cuncta ſenectæ
Commoda veloci perdere curriculo.
Hanc tamen expetimus votis ardentibus ò rem,
Si bene perpendas, ridiculam, ac miſeram.

*At his utcumq; graphicè expreſſis Epiſtolam non claudo. imo ut mærorem tibi abſtergam contractum fortè ex perceptis ſenectutis incommodis, hęc etiam tibi habe ex eadem officina, aptiora utique hiſce diebus, quibus, ut penè cum Virgilio dicam,*

Rura nemuſque placent, riguique in vallibus amnes

Rus Suburbanum.

Me mihi reddis ager e viridanti conſiti vitis
Palmite; odoratis vndique cincte roſis.
Munera mens perfuncta malis ad ſueta remigrat;
Iam tenet Aonidum me redivivus amor.
Priſtina cum Genio ſarcitur gratia, ſomnus
Inviſit feſſos nocte nigrante oculos,
Longè alius fio, fueram quam nuper in urbe,
Vrbanum carcer ſi modo nomen habet.
Rauca Palatini celebrent ſubſellia Ciues,
Rure ego in exiguo iugera pauca colam.

Aliud.

Rure ſuburbano nihil eſt mihi dulcius illuc
Ipſe mihi dominum cum venio placeo.
Diſplicet medijs Civis qui in mœnibus urbis,
Nulla ubi Libertas integra, nulla quies.

*Ita canebat Luſcinia illa ſacra. Tu valetudinem tuam cura diligenter, & Muſarum ſpeciem alienis oculis contemplare, aures tuas commodaſſe contentus. Vale. Patavij. menſe Auguſti. MDCXXVIII.*

FINIS.

P. 536

SPECIAL 93-B
4411